www.e-rara.ch

[Primum volumen]

www.e-rara.ch
Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Visual Library

L. xxiii.
ii.

PLVTARCHI CHAERONENSIS

MORALIA, quæ vsurpantur. sunt autem omnis elegantis doctrinæ PENVS: Id est, varij libri: morales, historici, physici, mathematici, denique ad politiorem litteraturam pertinentes & humanitatem:

OMNES DE GRAECA IN LATINAM *linguam transscripti summo labore, cura, ac fide.*

GVILIEL. XYLANDRO AVGVSTANO interprete: cuius nunc demum etiam Annotationes locupletissimæ (si rem spectes) vnà eduntur.

Accesserunt his INDICES *locupletissimi.*



Cum Cæsareæ maiest. & Christianissimi regis Galliarum priuilegiis ad annos decem.

BASILEAE,
PER THOMAM GVARINVM,
M. D. C XIX.

LIBRORVM ET TRACTATVVM, *qui hoc* PLVTARCHI MORALIVM *primo volumine continentur, ordo.*

De liberis educandis, Commentarius pag.1
Quomodo adolescēs poetas audire debeat, Commentarius 24
De Homero, Liber 66
De auditione, Libellus 154
Quomodo possit adulator ab amico internosci, Commentarius 174
Quomodo quis suos in virtute parāda sentire possit profectus, Libellus 220
De capienda ex hostibus vtilitate, Libellus 240
De amicorum multitudine, Libellus 252
De fortuna, Libellus 260
De virtute & vitio, Libellus 265
De consolatione, ad Apollonium, Liber 268
De tuenda sanitate præcepta 304
Coniugialia præcepta 333
Septem sapientum conuiuium 347
De superstitione, Libellus 380
De scitè dictis Regum ac Imperatorū, liber, qui Apophthegmata dicitur 393
Apophthegmata Laconica 454
Instituta Laconica 502
De mulierum virtutibus, Liber 512
Aquáne an ignis sit vtilior 548
Capitulorum descriptio: hoc est, Quæstionū solutio, siue problematū 554
Quæstiones Græcæ 604
Cur oracula edi desierint, Commentatio 628
de Ei, inscripto forib. templi Delphici, Commentatio 680

UNIVERSITÄTS-B. BASEL
Rb 862 : 1
A-1223489
KATALOG

AD ILLVSTRISSIMVM ATQVE OPTIMVM principem, Ludouicum, comitem Palatinum, Rhenanum, ducem Bauariæ, &c. principem dominúmque suum benignissimum, GVILIELMI XYLANDRI, in PLVTARCHI operum volumen posterius suum,

PRAEFATIO.

PLVTARCHI Chæronensis commentariorum horum, quos à me de Græcis inenarrabili atq; incredibili labore, summáq; fide & solicitudine Latinos factos tibi, LVDOVICE princeps Illustrissime, offero & dedico, ea est omnium doctorum consensu & prædicatione dignitas, venustas, ac vtilitas: vt vereri nullo modo debuerim, ne tibi hoc nostrũ munus vile, aut tanto principe parum dignum videri posset. Porrò autem cùm iampridem compertum haberem, te patris tui omni laude superioris principis, maiorumq; adeò vestigijs insistentẽ, summa erga clientes tuos (inter quos nomen meum profiteor) humanitate vti: opus hoc meũ, quodam tibi iure tuo debitum,

vt sub tuo illustrissimo nomine in publicũ darem, teq; hac vna qua possem ratione demererer, diligenter considerata re consultissimũ fore duxi. Iure inquã tuo, princeps optime. Nam cùm ante annos ferè decẽ alterum Plutarchianorũ volumen operum, quo vitæ præstantissimorum Græcorũ ac Latinorum exponuntur virorum, itidem à me in Latinam traductum linguam inscripsissem inclytissimo PATRI tuo, alterum primogenito eius filio, quem fouendo etiã Xylandro confidebam paternas æmulaturũ virtutes, iam inde ab initio mearum in hoc opere ærumnarũ animo destinaueram. Proinde in certissimam venio spem, cùm tibi, Illustrissime princeps, tum bonis & humanis censoribus omnibus huius meæ dedicationis rationes admodum probatũ iri: ideoq; nolo ijs copiosius explicandis opinionem bonitatis causæ deminuere. Iam de ipso opere, eius autore, meoq; interpretis labore vt aliquid dicã, non tã res ipsa me cogit, quàm non malè receptus præfandi mos hortatur, propter lectores, vt præcipuè apparet, institutus. Neq; enim laudibus maiorũ tuorum, et quæ tibi propriæ sunt decantandis, paginas implere decreui. quod genus exornationis qui tractent & sunt, & erũt alij me instructiores atq; facũdiores. Mihi in præsentia satis est cùm tibi, Princeps humanissime, tum candi

do Le-

do Lectori demonstrare, meũ hoc tui demerendi officiũ non esse à tua amplitudine alienum. Nam quid ego PLVTARCHVM laudẽ, virũ (quod summi viri testati sunt, hodieq; vno omnes periti ore adfirmant) incõparabilem? quid commendem philosophiæ omnes partes, historiã, litteraturã, & antiquitatis reconditissimæ declarationẽ, quæ omnia hoc volumine quasi in copiæ cornu vberrimo cõprehensa proponuntur? quid de meo studio, conatu, labore, ærũnis exanclatis in hoc opere meiactem? PLVTARCHVM quidẽ laudare si ordiar, non iniuriã reprehendi possim eo modo, quo ab Antalcida reprehẽsus quidã fertur, Spartæ Herculem laudare aggressus. quis enim Plutarchum vituperauit? Ac nos quidẽ cùm dudũ in Vitas ab hoc scriptas præfaremur, vtcunq; narrauimus qui is vir fuisset: quæ huc inculcãda minimè duxi, suo loco copiosiùs omnia (Deo volente) enarraturus. Tamen me continere nõ possum (tãta est in animo meo huius scriptoris veneratio) quin aliquid saltem dicã. Spintharus Tarentinus, magni vir nominis, Epaminondã cùm vellet laudare, aiebat Neminem sibi obtigisse hominẽ, qui & sciret plura, et pauciora loqueretur. Magna me hercle laus, magniq; de maximo viro præclarũ testimonium. Ego autẽ de Plutarcho pronunciare hoc nõ dubito (do- Plutar. gen. Socra. & de aud.

ctioresq3 etiã idem fassuros de se quenq3 arbitror) neminem vnum scriptorem in manus per veniſſe meas, qui & plura in omnis generis rebus habuerit cognita, & plura litteris cõplexus philoſophiæ, prudentiæ humaniorisq3 litteraturæ, quam philologiã dicunt, ſtudioſis fide et facundia tãta tradiderit ſubſidia. qua laude an maior vlla ſcriptori alicui egregio tribui poſsit, haud ſcio. Equidẽ fateor taciturnitatẽ in vita cõmuni apprimè vtilem ac laudabilem eſſe, tutãq3 (vt Flaccus noſter ſcitè dixit) habere mercedem. Verùm de multarũ earumq3 optimarum rerum peritis & doctis appoſitè, puto, vſurpauerit aliquis illud Cyclopis Euripideũ. qui, cùm Vliſſes diceret,

3. Carm. 2.

Habens tua ipſe, videberis honoratior: reſpõdit,
Vtilior autem, amicis largiens, ero.

& in hoc genere maximè verũ eſt, quod apud eundem poetã Iolaus pronunciat, virũ bonum proximis natũ eſſe. Ac ſi bonum communius quãto eſt, tãto haberi debet melius, quæ ſententia in proverbium abijt: bone Deus, quàm meruit præclarè de humano genere Plutarchus, qui nõ contentus didiciſſe & docuiſſe tam multa tamq3 admiranda, ad poſteritatem quoq3 et vniuerſos mortales condenda hac bibliotheca (ſic enim meritò appellabimus hoc eius opus) doctrinã et peritiã ſuã propagauit.

Heraclidis.

Quan-

Quanquam hanc quidem locupletiorem multò haberemus, si ad nos omnia autoris huius scripta peruenissent: cùm Eusebius, Stobæus, & Gellius (siue is Agellius est) citent libros Plutarchi iamdudum amissos. quorũ iacturam apparet è reliquijs esse dolendã: Stromatéas Plutarchi, et opus de Dædalis Platæensibus Eusebius adducit. Stobæus cùm alia, tum librũ de mulierib. instituendis, Epistolam de amicicia, contra uires corporis, de quiete, de nobilitate, contra nobilitatẽ, contra diuitias, de amore, de diuinatione. Gellius de diuersa animorum et corporum indole & uirtute, secundũ de Homero librum (de eo quem nos damus, alibi dictũ est quid sentiremus) & primum de eodem, de anima primum, aliosq; citat, ut Sympositaca, nõ sanè ijsdem uerbis, aut eodem ordine quo hodie leguntur. Laudatur etiam ut testis de rebus nõ uulgarib. præter eos quos dixi ab Eustathio commentarijs Homericis: adeoq; à Simplicio Aristotelem de anima interpretante. ne Athenæum referã, aut Macrobium, qui bucula ipsius nõ ita rarò arauerunt. Qua de re, aliisq; ad Plutarchum nostrum pertinentibus, prudens hæc plura dicere supersedeo. cùm (ut dixi) breui sperem fore, ut rem istam commodè pertractem totam. Ergo de Plutarcho in præsentia satis. Opus ipsum quale esset, iam obiter monui. MO-

1. & 2. li. De præpar. Eu.

I. 8.
II. 8.
IIII. 12.
XV. 10.

RALIA titulum ei faciunt, itaq; vulgò appellãt. siue quòd maiorẽ partem putãt esse de philosophia morali, siue quòd ab ea sophiæ parte, quæ vitæ humanæ maximè est necessaria, tanquã à potiori denominandam totã horum opusculorũ duxit congeriem, quicunq; tandem huius indicis autor est. Nam moralia quidem sunt & multa & admirandæ doctrinæ atque venustatis. Sed audire velim, quænam pars porrò philosophiæ, quæ facultas, quæ litteratæ philologiæ portio non plurimũ ex his ipsis disci Plutarchianis & illustrari queat opusculis. poteram recensionem huic loco demonstrandi eius quod dixi gratia attexere. sed vt ne te Illustrissime Princeps, diutius abstinerẽ ab ipsius Plutarchi nostri lectione, aut per transennã ignauis proponere voluisse inspiciendas tãtas res existimarer: saltem ad Indices eorũ quæ Latina damus opusculorum provoco, minimè vel obscuros, vel arrogãtes: sed qui cũ moralibus physica, mathematica, logica, historica, deniq; omnis generis litteras tractari doceriq; demonstrent. Reliquũ lectio librorũ ipsa abunde patefaciet. Itaq; iam nunc quod nõ superuacaneum esse magnis argumentis colligo, ad rationem meorũ laborum breuiter reddendam me confero. Res ergo ita habet. Ante annos aliquot, ex quo Vitæ Plutarchi nostræ hominũ doctorũ & ingenuorum

rum manus per volitarunt, non defuere qui suaderent, hortarentur, vrgerent, instarent, vt alterum quoq; hoc volumen eodem modo è Græco in Latinũ sermonẽ transferrem. Hæsitaui diu, quòd viderem ante me neminem vnũ ausum esse tantum opus moliri. Vtpote cuius absolutio ineffabilem laborem, & tantũ non totius philosophiæ ac literaturæ peritũ, plurimæq; lectionis & acerrimi iudicij hominẽ desideraret, ne quid dicã de felicitate loquendi & facundia. quæ omnia quãta in me sint, satis probè noui. Videbãt viros doctissimos ita ferè hæc piscatos, vt facilima aut gloriã paratura aliquã deligerent Latinè edisserenda ijs, quæ difficiliora aut minus splendida essent præteritis. quo factum est, vt quædam in hunc vsq; diem (nisi quid nos fugit) interpretem nullum sint nacta. Nolo nunc commemorare, quàm multa & miseranda interdum errata eorũ qui ante nos delibauere de hoc Opere aliquid deprehensa sint. cûm probem tragicam illam imprecationem:

Pereas, quicunque humana feligis mala.

Tandem victus æquitate, vt arbitrabar, flagitantiũ, et rempublicã adiuuandi indefesso etiamnum studio, in humeros meos hoc mihi onus imposui, et quo potui omnino modo ad finẽ pertuli. Hic locus facit vt te, Illustrissime atq; benignissime princeps,

paulò liberiùs cõpellem: causæ bonitate meæ, et tuæ in primis fretus æquanimitatis fiducia. Considerãs enim aliquis tanti operis molem, et cùm varietate rariſsima coniunctã maieſtatem, tũ mendarũ & lacunarũ paſsim impedientiũ multitudinem, (quorum magnã partem interpretes nos antegreſsi aut non obſeruauerunt, aut pro ſuo cõmodo diſsimulauerunt: nos aſteriſcis allitis inopiã noſtram teſtatam fecimus) tũ quàm multi ac varij verſus carmine nobis reddendi, quis labor in conquirendis et annotandis ad expediendũ Lectorẽ locis ab autore allegatis, quantusq3 fuerit & quàm moleſtus tolerãdus. hæc inquã, & alia quæ modeſtiæ cauſa diſſimulo, conſiderans aliquis: facilè intelliget (modò homo ſit) me mihi ita eſſe conſciũ, vt citra vllum vel ſomniũ impudẽtiæ & potuerim, & debuerim T. A. has meas vigilias, meq3 vnà tuæ benigniſsimæ liberalitati offerre. Atque adeò, vt ſumam (quod Horatius vſurpauit noſter) ſuperbiã quæſitam meritis: cepi prouinciã durã, aut duriſsima potiùs qua vis duriorẽ, & quã nondum vidi quis vnus ſe aditurũ ita polliceretur, vt promiſſum impleret. adiui tamen et multo quidẽ ſudore, grauiſsimisq3 laboribus, tamen Dei benignitati adiuuãte hoc monimentũ exegi. quod quale ſit, ipſa res loquetur. Doctorũ quidem hominũ iudicia nõ reformido:

mido: periti modò sint rerũ, & candidi. cæteros facilè cõtemno. Id de me citra arrogantiã possum affirmare, hac mea lucubratione nõ ijs modò cõmodatum esse, qui Græcæ linguæ ignari PLVTARCHVM vel omnino nõ legũt, vel sæpe alienũ pro autoris sensum in vulgatis versionib. accipiunt: sed etiam ijs, qui nõ planè imperiti Græci sermonis, in tanta varietate rerũ cõparatione gaudẽt vtriusq; linguæ. Glaciẽ, quod aiunt, ego secui: multisq; molestijs leuaui studiosos pulcerrimarũ rerum cognitionem affectãtibus. Quo minùs curo eorũ morositatẽ, qui nisi Ciceronianũ: tersum politũq; et nescio quo tandẽ instrumẽto limatum nihil probant. Ego perspicuitati operã dedi, qua nihil debet esse antiquius interpreti. Verba vsitata et disertè significantia multo malui suis locis adhibere, quàm obscurare studio nescio cuius Latinitatis res ipsas. ausus sum etiã vti nonnunquã in philosophicis explicandis licentia confingendorũ verborum, vt intelligi sentẽtiæ possent. Deniq; id quod licuisse mihi arbitratus sum in Vitarũ interpretatione, et ibi in Præfatione quale esset exposui: hæc mihi imperatum ab ipsa re sensi, ac morem gessi necessitati. Sed hæc præcidenda sunt: nã reprehensores neq; spero fore vllos: neq; sycophãtas metuo. Satis mihi est, et erit, doctis atq; candidis iudicibus, & qui circunstãtias

etiam rerum mearum, temporum, opportunitatũq; æquo animo norint perpendere, me posse probare ærumnosam hanc meam operam, reipublicæ litterariæ nauatam. atq; id me posse, confido.

Tantũ itaq; est, quod præfari ad te, Princeps Illustrissime, volui. Restat vt tibi opus nostrũ cõmendem. Sanè spem nõ dubiã animo meo concepi, hãc meam lucubrationẽ iampridem à doctis etiã viris exspectatã, in manus hominũ ita perventurã, vt & vsui, & oblectationi permultis sit futura. vtq; sic sperarẽ, & PLVTARCHI scriptorũ præstantia, & mea (quod arroganter nõ dico) solertia atq; laboriosissima industria mihi persuaserũt. omnino autẽ hinc ad remp. & ad priuatos homines vtilitatẽ fructumq; non pœnitendum rediturum, etiã alij me tacente ausi sunt spõdere. Ergo, Illustrissime princeps, totũ hoc emolumentũ quod ad rẽpublicam è nostra ærumnosissima pertinebit hac lucubratione, tibi volo acceptũ grato animo ferãt, tibi se Latinos hos Plutarchi commentarios debere agnoscãt, tuis auspicijs me hoc cõfecisse opus sentiant, ideoq; te colant boni & eruditi omnes. Totũ hoc tuũ esto, quidquid est laude & gratiarũ actione dignũ: erit profectò nonnihil. Ego abs te, P. A. vicissim vnũ hoc peto qua debeo reuerentia et submissione, vt hoc nostrum munus benigno æquoq;

accipias

accipias animo, & miseriarũ laborumq; nostrorũ eam habeas rationem, quã tibi generosissima tua indoles, auita virtus, PATRIS exemplũ, et spes nostræ gratitudinis nõ deceptura dictabunt. Credo nõ defuturos, quib. hæc nostræ præfationis coronis putida & sordida videbitur. Sed meæ res sic sunt, sic est animi candor. et Tuæ, Princeps, humanitati certus sum hæc acceptiora fore, quã per adulãdum & ambages quæsitã (vt hodie vulgò fit) liberalitatis tuæ solicitationẽ. Non erit Tibi dedecori, non erit fraudi, Princeps Illustrissime ac clementiss. fructum nostræ lucubrationis huius quẽ multi putãt fore neutiquã aspernandum, ad rempublicã cum aliqua etiam tuæ munificentiæ prædicatione redire. nos quidẽ, & nostra omnia in venies tibi præstò esse, si quis vsus tenuitatis nostræ esse aliquãdo tuæ Amplitudini possit. Interim tuæ Illustrissimi Celsitudini, & coniugi lectissimæ Principi, liberis, familiæ omnibusq; ijs quæ cara habes, à DEO OPT. MAX. omnia faustissima precamur, tuæq; nos clementiæ suppliciter commendamus. Heidelbergæ. Eidibus Sextil. anno M. D. LXX.

T. I. C.

Subditus, & addictissimus cliens

M. Guilielmus Xylander, philosophiæ publicus in Academia Heidelbergensi professor.

EIVSDEM XYLANDRI AD *candidum Lectorem de hac secunda editione & Annotationibus suis, præfatiuncula.*



QVINQVENNIVM iam, & aliquanto amplius elapsum est ab eo tempore, quo ad alterũ hoc Plutarchi operũ volumen in Latinum sermonem conuertendum serió accingere me cepi. Sub idem tempus etiã de Græco opere recudendo Eusebius Episcopius, typographus Basilienſis, cogitabat. cui cùm in castigando eo operam nostram liberaliter obtulissemus, manuscripto sumus ab eo instructi codice, itémq; Aldino. De hoc dicere nihil attinet. Sed manu scriptus ille maiorem partem eorũ non habet, qui sunt in Aldino, libri: & præcipuè ij desiderantur in eo, qui mendis scatent grauioribus, & lacunis sunt interrupti cõpluribus. qua de re in Annotationibus alicubi conquestus sum. Erat iã tum in exspectatione editio Plutarchi Græcorum operũ ea, quæ huius ipsius demum anni verno Francofordienſi mercatu ex officina Henrici Stephani Geneuenſis typographi, de optimis quibusq; scriptoribus & rep. litteraria præclarisimè promeriti, in publicũ emissa prostitit. Itaq; etsi mea potissimùm fretus industria & qualicũq; (nihil enim magnum nobis arrogamus) eruditione, nulla tamen vel despicabili etiã re contemta, quæ quoquo modo adiumento esse posse videretur, paulatim ac vt res meæ ferebant plenæ variarũ interpellationũ, & in emendandis & in interpretandis Plutarchi scriptis progrediebar: tamen spe iã editionẽ illam deuo-

deuorauerã, animóq; præceperam voluptatẽ, quã mihi integrandis eius præsidio Plutarchi, castigãdisq; locis miserè passim toto opere fedatis percepturus videbar. Quod quidẽ ingenuè semper & apertè præ me tuli. Enim verò casitæ illud Enniannæ fuisse argumentum mihi rectissimè in promtu situm interim, animaduerto. Nam Græcus quidẽ codex, vt est nostra opera correctus, nõ tã nostro consilio, quàm certorum hominum voluntate, editus nondũ est: bienniũ verò à versionis nostræ editione iam effluxit. Cuius editionis vt tunc temporis graues habui causas maturãdæ: ita eius neque adhuc pœnituit, neq; etiamnum video cur pœnitere possit aut debeat. Primùm enim si Græca ista Geneuensis editio exspectationi meæ vel abundè satisfeciisset: frustra tamẽ tantum temporis editioni meæ producturum me fuisse sentio: cùm vix, ac ne vix quidẽ integrum mihi esset ex ista me am locupletare, ornare, aut etiam corrigere. adeò accuratè omnẽ tantùm non fruendi libris istis ære proprio emtis potestatem autor eius circumscripsit. metu fortasse plagiariorum, quos si odit, planè mecum sentit. Nunc, cùm mea editio sesquiennio illam anteuerterit: nemo scilicet ita præposterus est, qui ea me siue vsum siue adiutum suspicaturus etiam sit. Deinde, si locus veritati & libertati est, vt debet, relictus aliquis, mihi profectò pro mea persona pronunciare licet de editione ista, ἑκὰν ἐκόντι. quod bona cum pace autoris dictum volo. Non enim alienos labores contemno, sed meos perfunctoriè tutor, atque vt calumnias amoliar quorundam omnia ex indicibus æstimantiũ, id dico, quod quale sit, iã nũc adeò in promtu est cuiuis mediocriter erudito peruidere, Græcus

sanè horum librorum codex, quem meo ego studio, meis auspiciis, codice Episcopiano non raro adiutus quidem, sed auxilio eius in difficillimis ac plurimis locis destitutus, correctũ ac magna parte sanatũ habeo, publicatus (vt dixi) non est, in lucem suo tempore, vtq; nobis dignum est, ipse etiã ,pditurus. Interim (ne de vniuersis dicam) vel eorũ opusculorum, quorum me viuo quidem, sed neq; conscio neque volente versiones nostras Stephanus vsurpauit in Latina sua editione, cũ græcis ipsius cõparatio sufficit demonstrando, quàm multa ego, crassa etiam (vt sic loquar) & absurda menda industriæ meæ fretus viribus sustulerim, in Græco eius codice etiamnum exstantia, quàm multa suæ integritati restituerim, ibi adhuc mutilata. Stat tueram hoc loco exempla quædam proferre, & erat facilimum. Sed præstat diligentiæ studiosorum harum rerum isthuc relinquere: & Annotationes has nostras qui leget, satis ansæ habebit ad deprehendendum quod dixi, & pernoscendum. Certè pauca admodum sunt ab altera parte, quæ (si integrum mihi fuisset) vsurpaturus eram, ista meã anteuertente editionem: aut saltem in hac mearum Annotationũ editione inseruissem. Sed talia, tótq; sunt ea, vt nullo pœnè labore pro se quisq; dũ versionem nostram cum græcis eius conferet, sibi annotare, nostrámq; lucubrationem inde suo arbitrio corrigere possit. Hoc enim puto omnib. licere. postremò, cõmittendũ mihi nullo modo fuit, vt aut fructum laboriosissimæ nostræ lucubrationis aut reip. diutius inuidere, aut mihi meisq; reb. deesse videri possem. Existimabam enim à multis bonis gratiã me initurum, si quamprimùm ederem in lucẽ tanti scriptoris tam honesta, vtilia, iucun-

iucũdáq; scripta omnia Latinè & fideliter expressa. Et quanquam de Plutarcho nihil causę erat cur ita essem solicitus edendo, vt Achilles Homericus de Hectore interficiendo,

μή τις πῦδος ἕλοιτο βαλὼν, ὁ δὲ δεύτερος ἔλθοι.

tamen rationem habendam esse temporis multa me monebant, quæ heic enarrari non debent. Id quidem erat mihi persuasissimum, fore vt denuò hanc versionem ederem: quam adiutus aliorũ publicata priuatáue etiam opera & subsidiis auctiorem, pleniorem, castigatiorémq; videbar daturus. Verùm hoc adhuc abs re fuit, iis, quas cõmemorau i, de causis. Nunc ergo denuò prodit versio Plutarchicorum scriptorum nostra, sanè à priore non admodũ diuersa: sed annotationibus nostris aucta, quib. colophonem toti operi impositum esse existimari queamus. Equidẽ superiori editioni adiunxissem eas, nisi mihi & angustiæ temporis obstitissent, & spes multo maxima fuisset omnia politiora, auctioraq; postmodo edendi. Nunc video peropportunè in hoc tempus eas esse reiectas, cũ interea non pauca nobis ad animũ acciderint, ad recognoscendas eas & percolẽdas facientia. Candidus & non ineruditus lector facilè iudicabit, quanto mihi hæ labore, quibus constiterint molestiis. Nam & versionis nostræ rationem subinde reddimus, & identidem Græcĩ codicis sordes detergimus, vitia detegimus, frequẽter persanamus, interdum de remedio coniecturas nostras proponimus, quas vel approbent docti, vel melioribus ac firmioribus prolatis antiquent. Non sum valdè solicitus ne quis nostram versionem aliis postponat vt deteriorem. Profectò enim annotatio-

nes hæc docere possunt, quę res me impulerint, vt quædam etiam post summos & incomparabilis doctrinæ viros, Turnebum maximè, Budæum, Iunium, Erasmum, aliósq;, idq; aliter adeò interpretarer. Multorum etiã obscurorum locorum intelligentiam patefecimus, & obiter etiam aliorum autorum dicta attigimus. Contraxi autem has annotationes in quantam potui breuitatem innumeris præcisis quæ videbãtur leuiora. Adde nostris quæ attulit in quosdam libellos Henricus Stephanus non aspernanda: accedes me hercle ad intelligendum Plutarchum non malè instructus. Quod sicvbi nostræ versiones ac annotationes cũ eius lectione aut annotationibus conspirabunt (quod obseruaui aliquoties accidisse) nõ est vlla idonea de alterutro nostrũm furti suspicio, cùm & annotationes nostras multò antè scriptas quàm Plutarchus prodiit in lucem, Stephanianus demonstrari euidentissimis argumentis possit, atque omnino constet: & Stephanus si coniecturam facere de emendandis Plutarchi libris ex versione nostra fategisset, aliquot centuriis mendorum liberatũ dare nobis, multóq; rectiùs pexum & politum Plutarchum Gręcum potuerit. Eodem pertinet quod vnum atq; alterum locum à me præteritum in vertendo reprehendi, atq; re diligentiùs considerata, excusisq; aduersariis & libris nostris, pœnè eodẽ quo Henricus modo emendauisse me sensi. neq; miratus sum qui eodem studio eosdem libros legissent, eadem etiam obseruasse. quod propter vitilitigatores & malè de rectè facientib. iudicantes obiter innuẽdum duxi. Multa ego iam ab aliquot annis annotaui, cum varias lectiones conscribere sta-

re ſtatuiſſem, quę interim ab aliis itidem obſeruata, atq; publicè edita vidi. Neq; tamen ita omnia mihi tempus præripuit, vt mea prorſus ideò abiicienda cenſeam. Quòd de meis annotationibus multo magis ſtatui. Quàm autem ego multa notauerim, correxerim, explicauerim, indicauerim ab aliis prætermiſſa, ſatis ſuperq; vnum Symposiacôn opus poteſt docere. Vbi ſi qua me fugerũt, & ab ipſo ſunt reſtituta, ab ipſo petantur & deſcribantur licet. nõ enim aliena vſurpare animus eſt. Mihi ſatis eſt gloriæ partum, quod primus omnium totum PLVTARCHVM, quantus ad nos peruenit, aggreſſus latinè interpretari, non infeliciter abſolui, annotationibuſq; illuſtraui, ſi nihil aliud, laborioſiſsimis. Fragmenta & reliquias, & quorundam emendationes expoſitioneſque non paucorum locorum alio tempore cur perſequi, quàm huic operi adiũgere malim, cauſam habeo ſatis grauem. etſi breui, (vt ſpero) hoc quoque in remp. litterariam Plutarchúmq; noſtrum officio defungemur. Quod ſi cubi rem acu non tetigimus (& non dubito quandoq; me in tam vario ac difficili opere lapſum fuiſſe) gratiam nobis facilè facient homines ingenui & humanarum virium, noſtrarúmq; miſeriarũ ratiocinatores probi. quos cogitare velim, me diſcere non recuſare: contemtorem inuidię nihilominus & inutilium rixarum. Fruantur igitur noſtris laboribus qui volẽt & poterunt: & nos ament, Deúmq; orent vt in poſterum quoq;, piis noſtris & publicè commodaturis aliquando conatibus, gratiam ſuam ac vires ſuffi ciat. Interim caueant ſibi moneo, atq; (ſi dignum eſt) rogo qui de alieno rem ſuam factitant, ne cum

AD LECTOREM.

IMPERATOR Romanorum & versionem hãc nostrã & additiones has suo diplomate nobis dato munierit cõtra ipsorum temeritatem atq; iniurias, plagiariorũ potiùs more pœnas dare, quàm bonorum virorũ officio fungi voluisse videri iure possint. non enim deerimus dignitati, iuriq; nostro, si nihil benè merendo & rectè monẽdo profecerimus. Denique lectores maximo opere rogo, vt Illustrissimo & Clementissimo Principi Ludouico Friderici Electoris Palatini F. Bauariæ duci, domino meo clementissimo, acceptum ferant quicquid cùm ex versione, tum ex annotationib. hisce nostris ad se vtilitatis atque delectationis redibit. Eius enim munificentia atque humanitate recreatus (pro quibus & agèmus vt spero pleniùs, & referemus etiam Deo adiutante debitas ipsius virtutibus & celsitudini gratias suo loco atque tempore) ad persequendas reliquias horum aliorúmque laborum maiore cum animi tranquillitate & alacritate perrexi. Vale.

Pridie Idus Sextil. 1572.
Heidelberga.

ERRATA QVAEDAM SIC emendabis nostro ductu: cætera pro tua industria & candore.

IN TOMO PRIMO.

5.37 *Puercia* 19.1 *pro Theodorus, lege Theocritus* 20.5 *pro Elidæ, Elide* 29.10 *lege, pugnacis at Hectoris* 33.32 *leg. Ita nam* 40.16 *in margine Iliad. 1, non 2.* 42.20 *Iupiter* 50.3 *protinus* 57.12 *lege clara clytæmnestre* 58.8 *Iuppiter, sic et* 104.17. 62.18 *Clare Men.* 64.26 *bonis quæ semper & 29. virtutis* 72.19 *accuratè* 76.29 φυσᾶν 31. βρουτᾶν 77.1 φορίσσα 78.33 *in mar-*

ERRATA.

gine Synecdoche 79.16 *in margine* Odyss.β.159 *etiam in priore editione vtraq; heic peccatum fuit* 81.32 *incidet* 86.2 *ωᾶς* 93.37 *refertur.pestis: pestis causa,* 99.26 *per aëra* 106.7 *Iliad.ω* 459.*marg.*107.28 *Iliad.υ* 22. 110.21 *quantumuis* 114. 11 *paruit extemplo rationis conf.* 116.16 *in margine Iliad.χ.* 168 *ad versum* 17 *pertinet.alter locus est* Iliad.λ.542 118 26 *pertêtat. mendum omniũ editionum cõmune,etsi ferri hic casus potest* 121. 15 *spectauit* 135.*fine,te* 141.31 *Tegminaque* 36. *Laërtæ* 143.7 *margine Ili υ.*336. 182.37 *Chamæleoni* 194.33 *Ti.Cæsare* 235. 28 *pro aquarum,lege apuarum* 246.22 *delicatior* 257.25 *margine Hippolyto* 268.9 *deos,parentes* 174.25 *tristémque dolorem* 278 28 *in marg.Odyss.v.* 296.10 *magnasque parentum* 311.2 *Thebanus* 312.31 *nunquam eos nisi* 314.21 *sponte ortæ* 324 29 *pro Phœnicis, scribe,palmæ* 343.23 *Buζygium* 346.25 *Timocleæ pag.*351. *malè inscribitur* 352. 353.23 *Periander* 357.2 *in margine Odyss.v.initio* 361.24 *marg. Lasckopff.* 374.20 *nondum planè* 379.35 *marg.Iliad.υ.*282 384.32 *marg.musica* 387.32.*agrestis, lege agrostis* 394.5 *destituerentur* 431.20 M.*Curius* 431. 24 *Samnites* 446.24 *vera* 455.36 *marg.Calliditas* 456.*marg. Iliad.ψ.pertinet ad versum* 6.473. *pag.malè inscribitur* 483. *&* 476. 477 *malè.* 486. 487 *&* 480 *malè* 490. 498.36 *aduersa rogo* 504.37 *pollutiones* 506.5 *Nunc aliquis Satùm nostra sese aspide iactat* 577.24 *tradidit* 596.16 *vtpote qui* 604. 28 *deprehensam* 608.14 *Aeneianes* 609.35 *Hyantheámque* 611.20 *femina Irena* 614.27 *Tenedios* 625.20 *panœma* 627. 11.*Hamaxokylistòn. & sic etiam infrà* 628.16 *solis, hominum* 24.*Troglodyticam* 642.35 *gallus* 638 16 *cornix,* 672.*malè numeratur* 648. 682.27. *inimicicias.*

ERRATA TOMI SECVNDI.

27.31 XIV. 28.27 *ferri* 69.31 *Metius Fufetius* 77.32 *Menylus* 105.34 *Aeschyles* 110.15 *velut* 116.6 *Thisba* 16.31 *dioptrica.* 117.22 *Apollodotus* 123.3 *peiræeum* 126.25 *Thebaas equidẽ* 127. 32 *Hyampolim* 132.20 *eumq;* 134.37 *ad marg. Odyss.ε.* 410. 137.4 *marg.Iliad.ι.* 408. *&* Iliad.υ. 99 139.7 *marg.* Iliad.ε.515. 149.36 *xytho.* 155.20 *subolis, pro sobolis.ita & alibi scribendũ, suboles* 161.21 *quinquefronde vna uox* 168.15 *Chennin* 183.8 *arbores* 189.*pag.vitiosè inscribitur* 185.205.21 *delapsi* 26 *par erat* 208.10 *pro simulacrum scribe deliciũ* 224.2 *prælio &* 17 *Attica* 226.19 *ladanum* 227.25 *alij* 231.14 *retrò Faclis* 239.25 *habitationẽ* 259.22 *dele uocem,autem* 267.21 *pulcra*

ERRATA.

279.34 Macedonia 280.21 Lagi 293.17 inuidissime? 300.34. ille 311.6 uenderetur sedens, surgere 353.23 cũctas 359 pagella mæ lè inscripta 259 linea 16 ononin 375.22 tenerùm 379 malè inscribitur 359 in margine 34 Odyss.v. 381 in marg. scripta pertinent ad versum 17.382.29 gistratus 386 36 Euthycrates 388.5 Celtiberi 406.30 Ferimus 412.10 Romana 424.14 Papirios 493.22 temperantis 508.23 Leoprepidæ & 27 huius, hospes, reg. 521.9 velut 583.28 non pudet. At ib. 35 neq; videre sustineamus 593.36 Lysiã 632 malè inscriptus 532. Et 635 malè 639 ac uicis sim 648 malè inscribitur 548. 648.34 prædio 656 malè 556. 669 in marg. lib. X. pertinet ad versum 18 pag. 700 malè inscribitur 70. 726.9 Aphobum 729.25 Calæi, Abronis F.

ERRATA TOMI III.

891 in marg. Odyss.s. 92.8 cohæret 108 in typo pro 102 lege 192 & leimma pro lemina 111 in typo, pro 246 scribe 256.142. 27 Hoc noris 143.7 pro contrahit scribe continet 155.20 quemq; 658 in marg. Odyss. vers. 16. locum 161.4 Modestus. 6 versu Rixosos 164.28 insomnia 181.33 audire 182.30 Agamemnona 226.16 suauis stillãque 233.21 Dicæarchus 241.11 quod 248.10 Testam enim 250.35 uidetur 253.31 Panteluan 275.15 aiebã 16 μῦλλα 35 Phlœein 317.24 ciuile est testibus 357.2 mullum 392.6 amatorũ acerrimus erat aduersarius, ideóque 397.1 illa 404.5 incolimus, sumus Proles 408.18 in marg. adiciendũ, Ex Iliad. v. 121. 409.34 Mœcenatem ita 410.3. 431.34 Hilaeiram Lunam 445.14. flammæ 15 corporibus, neq; 467.6 Ogygia hinc 561. 34 medea & 35 inflammauit 414.11. Hermodori Clazomenij.

In annotatis in 5. Sympos. cap. 3. de versibus Callimachi, hæc adde. pro γλυκύτερον, legendum esse χειμώτερον, vel adfirmare ausim, qua voce etiam Homerus est usus, Iliad. β. 248. Nam apparet accusari Corinthios, quòd ritu in deterius mutato, apium pinui substituerint: quòd vox ἀποτιμήσουσιν monstrat. Sic itaque vertendi sunt versus hi.

Nunc apio, prognati ab Aleta, munere donant
Victores multo deteriore suos.
Hoc, vbi Neptuno peragunt certamina sacra,
Victori signum iam datur Isthmiaco.

Et in vltimo versu legendum pro obsoleat, obruitur.

FINIS.

SVMMA PRIVILEGII.



E quis hanc meam lucubrationẽ, versionem inquam et additiones, siue annotationes mauis nostras, ad decennium ab editionis die numerandũ intra S.Romani Imperij, et omnium Cæsareæ Maiestatis Regnorũ ac prouinciarũ fines, eodem vel alio charactere recudere, aut vbicunq; recudendam dare, vel alibi impressam adducere, vendere, vel distrahere palàm vel occultè ausit, cautum est Sacræ Romanæ IMPERATORIAE Maiestatis priuilegio nobis dato, atq; interdictum sub pœna librorum autori vindi candorum, & decem marcarum auri puri, Fisco Imperiali & autori pendendarum. Hoc priuilegium à S.R. Imperatoria Maiestate datum est Xylandro, manuq; & sigillo S.R.Imp. Maiest.confirmatum, et pro more subscriptum, Spiræ, XVI. Augusti, Anno, etc. septuagesimo. Quæ de re te monitum volui: nam ego viro præclaro, et industrio Typographo Thomæ Guarino, Ciui Basilienſi, nemini præter ipsum alij, hanc meam lucubrationem typis exscribendam commisi.

EXTRAICT DV Priuilege.

PAR grace & priuilege du Roy, est permis à Iaques dupuys, marchant Libraire iuré en la ville & vniuersité de Paris, & à Thomas Guerin, aussi marchant bourgeoys & Imprimeur de la ville de Basle, l'vng des Cantons de noz aliéz confederez & bons amis les Suysses, d'imprimer, ou fayre imprimer, quād & ou bon leur semblera, deux copies des Morales de Plutarque, nouellement tournéz de Grec en Latin, Assauoir l'vne par Xylander, & l'autre par Hermannus Cruserius. Et est defendu à tous Libraires, Imprimeurs, & autres quelzconques, de n'imprimer, vendre, ou distribuer en ses pais, terres, & seigneuries, lesdicts liures de Morales de Plutarque desdictes traductions: & ce, iusques au terme de dix ans prochainement venās, sur les peines contenuës és lettres patentes dudit Seigneur, données à Sainct Germain en laye, le huictiesme d'Aoust Mil cinq cens soixante & dix.

Par le Roy, le seigneur de Saint François, maistre des requestes ordinayres de l'hostel present

Signe. Le Vayer.

PLVTARCHI
ETHICORVM,
sive MORALIVM,
Pars I,
G. XYLANDRO Augustano interprete.

* *
*

PLVTARCHI
DE LIBERIS EDVCANdis, *Commentarius.*

CONSIDEREMVS in præsentia, quid dici possit de ingenuorum puerorum institutione, & quánam vsi ratione bene morati evadere possint. Opinor autem initium ab ipsa ducēdum procreatione. Ergo qui parentes fieri cupiūt laude dignorum liberûm, iis ego quidem hoc consulerem, ne cum quibusvis mulieribus rem haberent: quales, inquam, sunt meretrices, & pellices. Quorum enim vel à patre vel à matre aliquid vitij habent natales, eos per omnem vitam opprobria comitantē, quæ elui nullo modo possunt, súntque in promtu vitia ista, si qui afficere eos ignominia volūt. Ac sapienter dictum est à poëta, *Procreatio.*

Nisi fundamenta stirpis iacta sint probè,
Miseros necesse est esse deinceps posteros. *Euripid. Hercul. furente.*

Est itaq; præclarus libertatis thesaurus ingenuitas, cuius plurimá ducere debēt rationem, qui legitimam liberorum affectant procreationem. Etenim

eorum quibus genus est subditicium & adulterinũ, animi spiritus ponere, humíq; repere solent. rectissimèq; hoc cecinit poëta,

Idem Hippolyto.

Non duritate tanta est quisquam pectoris,
Obnoxio qui non animo & seruo fuat,
Culpæ patris matrísve conscius sibi.

Sicvt contrà arrogãtia quadam animíq; exsultatione implentur illustribus nati parentibus. quomodo Diophantum Themistoclis F. frequenter aiũt & ad multos dixisse, Quidquid ipsi placuisset, id populo quoq; Athenienſi probari. suæ enim sententiæ matrem suffragari, huius Themistoclem, cuius vniuersi Athenienses ratum habeant decretum. Omnino autem laude digni sunt Lacedæmonij ob altitudinem animi, qui Archidamum regem suum pecunia mulctauerunt, quòd pusillam vxorem ducere nõ esset veritus. causa expositа, quòd is non reges, sed regunculos ipsis statuisset generare. His continuò id subiungendum est, quod ne eos quidem fefellit, qui ante nos hoc argumentum tractauerunt. quid, inquies, illud? Quòd qui rem habere cum mulieribus prolis giguendæ causa volunt, aut omnino vini vacuos, aut certè mediocriter eo vsos hoc conuenit facere. Adsolent enim vinosi & ebriosi fieri, quos patres ebrij seuerunt. Quamobrem etiam Diogenes adolescentulum videns animo abalienatum, & mentis malè cõpotem, dixit: Adolescens, pater te ebrius genuit. Atq; hæc quidem de procreatione dicta sunto. nunc de institutione dicendum. Vt igit summa rem totam complectar, quod de artibus & scientiis solemus, idem & de virtute pronunciandum est. scilicet ad eius perfectionem tria oportere cõcurrere: Naturam nimirũ, rationem, & adsuefactionem. rationem verò intelligi volo doctrinã, & adsuefactionis nomine exercitationem. Initia hoc in genere debentur disciplinæ, vsus exercitationi, perfectio omnibus.

Quæ ad institutionem necessaria.

nibus. & vbi horum aliquid defecerit, ab ea parte mancam fieri virtutem necesse est. Natura quippe absq; disciplina si sit, cæca est: disciplina, si à natura destituatur, defecta: exercitatio his duobus demtis imperfecta est. Et quemadmodum ad agriculturam primùm requiritur bonum solũ, deinde peritus colonus, denique semina frugi: ita planè hîc natura solo, agricolæ magister, semini præcepta atq; instituta respondent. Hęc ego omnia contendere ausim conuenisse atq; cõspirasse in animas omnium ore decantatorum hominum, Pythagoræ, Socratis, Platonis, atq; aliorũ, qui nulla vnquam obliuione delendam gloriam sunt consecuti. Sanè beatus diisq; acceptus est, cui deus ista omnia tribuit. Si tamen aliquis ita putat, eos qui ingenio non sunt felici, vbi ad virtutem rectè institiuuntur atq; exercentur, non posse naturæ defectum mediocriter exsarcire, scire debet in errore se non paruo, immò autem summo versari. Naturæ enim bonitatem socordia corrumpit: vitiũ doctrina corrigit. & cùm facilia negligentes nos fugiunt, tum difficilia cõsequimur accuratione. Et verò multarum rerum contemplatione addiscere possis, quantum efficacitatis atq; ad perficiendas res virium habeãt industria atq; labor. Nam & aqua guttatim lapsa lapidem cauat: & ferrum atque æs manuum contrectatione atteruntur: & rotas curruum labore magno curuatas nullo possis conatu in pristinam restituere rectitudinem: ac incuruos histrionum lituos in rectum dirigere nulla vis queat. adeò quod contra naturam labor effecit, ipsa naturali facultate fit validius. Quid? an hęc duntaxat sunt, quibus diligentię vis demõstratur? immò verò sunt innumera porrò alia. Solum telluris bonum fuit: cultura cessante sterilescit. quãtóq; melius fuit natura, tanto deterius fit neglectu. Alia cõtrà est tellus dura atq; asperior æquo. ea tamen culta præclaros illicò edit fructus. Iã quæ arbores non tortuosæ fiunt

Industriæ & exercitationis vis.

atq; infrugiferæ, si per incuriam habeantur? quæ nõ frugiferæ fiunt atq; fecũdæ, si rectè educantur? Aut quorum corporum robur non hebescit atq; dissipat̃ socordia, luxu, prauáq; habitudine? quis contrà ita fuit invalida natura, vt non exercitationibus & certaminum studio maxima fecerit ad robur incrementa? Qui verò equi à prima ætate rectè domiti nõ parent sessoribus? qui maturè non subacti, duriceruices & feroces non exstiterunt? Et quid attinet alia nos admirari, quãdo de bestiis ferisimis multas videmus cicures mansuetásq; labore redditas? Rectè etiam Thessalus ille, qui percontanti quínam Thessalorum essent placidissimi, respondit, Qui militandi finem fecissent. Cur verò insistam pluribus recensendis? cùm mores ipsi Græco sermone nihil sint quàm adsuefactio diuturna, neq; abs re morales virtutes dixeris virtutes consuetudinis eorum lingua. Vno adhuc huius rei exemplo proposito, desinam prolixiùs ista declarare. Lycurgus, is qui Lacedæmoniis leges posuit, duos catulos iisdem prognatos canibus diversa omnino ratione educauit, alterum delicatum & luxuriosum, alterum indagini & venationibus aptum reddens. Quodam inde tempore cùm frequentes in concionem Lacedæmonij coiuissent: Magnum, (inquit) Spartani, ad virtutem concipiendam momentum adferunt adsuefactio, educatio, doctrina, atq; condocefactio. quod ego vobis iam nunc commonstrabo. simúlq; duos istos catulos productos posita in medio patina & lepore, dimisit. quorum cum alter illicò leporem, alter patinam peteret, neque etiamnum assequerentur Lacedæmonij quid sibi catulis illis ostẽdendis vellet: hi, inquit, iisdem nati parentibus, diuersa educati ratione, ventri alter deditus, alter venaticus evaserũt.

Educatio.

Quomodo nutriendi liberi.

Dictum satis de adsuefactione & vitæ institutione. Consequens est vt de nutritione disseramus. Mea quidem sententia matres ipsæ nutrire infantes atq; lacta-

lactare debent. maiore enim cum adfectu animi alent eos, maioréq; ſtudio, vtpote intime, & à teneris (quod aiunt) vnguiculis diligentes. Nutricum enim amor ſubditicius atque adſciticius eſt, vtpote mercedis gratia diligentium. Sed & ipſa natura docet ipſis matribus lactádam eſſe atque alendam ſuá prolem. ideò enim cuivis animali parienti alimentum lactis ſuppeditauit. ac planè ſapiens eſt providentia, quæ bina mulieribus vbera dedit, vt etiam ſi gemellos partu edidiſſet, vterque haberet alimẽti ſui fontem. Abſq; etiam hoc eſſet, tamen iſto modo matres liberis redderentur benevolentiores, amorémq; erga eos maiorem conciperent. neque id iniuria. convictus enim quaſi intenſio quædam eſt benevolentiæ. quando etiam à beſtiis ademtas alias quarum vſę erant convictu, deſiderari videmus. Maximè igitur, vt dixi, tentandum hoc eſt, vt ipſæ matres mammam ſuis præbeant infantibus. Sin id præſtare nequeant, vel ob corporis invaletudinem, (vſu enim hoc venire poteſt) vel quia ad nouæ ſobolis feſtinãt procreationem: ſaltem nutrices non quaſvis, ſed quàm fieri poteſt maximè probas deligamus. Primum in hac re ſit, vt moribus eæ ſint Græcanicis. Sicvt enim membra corporis ſtatim ab ipſis natalib. infantis ſunt fingenda, vt recta adoleſcant, neq; diſtorqueantur: ita & iam inde ab initio indoles eius informanda eſt. Eſt namq; puericia ob molliciem efficiu facilis, animiſq; puerorum teneris etiamnũ facilè inſidet quod diſcunt. ſicvt cõtrà quæ dura ſunt, ea difficulter molliuntur. Et ſicvti ſigilla mollibus imprimuntur ceris, ſic diſciplinæ puerilibus adhuc animis inſiguñt. Ac mihi videtur diuinus Plato nutricibus prudenter præcepiſſe, ne quaſvis fabulas pueris recitent, ne horum animi à principio ſtolidi- tate ac prauitate occupentur. Sed & Phocylides videtur bene hortari hoc verſu,

Inſtituenda bonis eſt ipſa puercia rebus.

Ad finem ſecundi de repub.

Cęterùm ne id quidem prętermittendum eſt, debere pueros qui alumnis inſeruiẽt, vnáq; alentur quęri, primùm qui bonis ſint moribus, deinde Græco vtantur eóq; plano ſermone: ne cum barbaris & praua habentibus mores ſi conſuęſcant, inde aliquid vitij ducant. proverbio enim ſententia minimè abſurda iactatur, Si cum claudo habites, fore vt ſubclaudicare diſcas. Poſtquã eò ætatis puer pervenit, vt iam ſit pædagogo ſubdendus, ibi tum adhibenda eſt accuratio, ne filios noſtros per imprudentiam mancipiis, aut barbaris, aut leuibus hominibus tradamus. Nam plus quàm deridiculũ eſt, quod hodie pleriſque vſu venit. qui cùm ſeruorum quos habent probos, alios agriculturæ, alios rei nauticæ, alios mercaturæ, alios adminiſtrationi rei familiaris, alios vſuræ exercendæ adhibeant: ſi quod inueniunt mancipium ebrioſum ac gulæ deditum, & ad omnia invtile negocia, id liberis præficiunt. Oportet autem bonum pædagogum eo eſſe ingenio, quo fuit Phœnix Achillis pædagogus. Nunc quod omnium eſt eorum quę hactenus dixi maximum atq; ſummũ, dicere aggrediar. Quærẽdi ſunt liberis magiſtri, quorum & inculpata ſit vita, & mores iuſtæ reprehenſioni non obnoxij, & peritia minimè vulgaris. Fons enim & radix virtutis atque honeſtatis vitæ, eſt inſtitutio proba. vtq; agricolæ ſtirpibus pedamenta apponũt: ſic probi magiſtri accuratis præceptis admonitionibúſq; adoleſcentes ſuffulciunt, vt mores recti inde germinent. Nũc verò etiam deſpuas in contumeliam quorundam parentum, qui priùs quàm futuri magiſtri vllum fecerint periculũ, ignoratione aliquãdo aut etiam imperitia decepti, non ſpectatis, adeóque etiam malę notæ hominibus filios ſuos committunt. Quanquam non hoc eſt vſque adeò ridiculum, ſi quidem imprudentia peccatur. Illud extremè abſurdum, quòd aliquando, monentibus qui id meliùs norunt, ſcientes quanta ſit magi-

Pædagogus.

Magiſtri, ſeu præceptores quales quærendi.

magistrorum quorūdam imperitia iuxtà atque prauitas, iis tamen suos mandant liberos: vel adulationibus blandientium victi, vel rogantibus eam amicis gratiam dantes. quod perinde est, ac si quis ægrotans omisso qui arte mederi posset medico, in amici gratiam deligat à quo ob eius inscitiā necetur: aut repudiato nauis optimo rectore, amico petente pessimum deligat. Prò deūm atque hominū fidem. patris nomen gerit aliquis, & maiorem habet rationem gratiæ petētium, quàm liberūm institutionis? Nónne consentaneum est, quod antiquus ille Crates dixit? se, si fieri posset, altissimo vrbis loco conscenso proclamaturum: Quò tenditis homines? qui rei faciundæ omne impenditis studium: filiis, quibus opes vestras relinquetis, curā perparuam? Quibus ego adderem, Tales patres perinde agere, ac si quis de calceo sit solicitus, pedem nihil curet. Multi etiam parentes eò progrediuntur & auaritiæ & in liberos suos odij, vt ne maiorem opus habeant mercedē péndere, magistros filiis conducant homines nullius precij: inscitiam sectantes vilem. Quam ob rem Aristippus patrem excordem neq; inelegante, & pervrbano sermone pupugit. à quo interrogatus quantum mercedis pro filij sui institutione posceret, Mille denarios respondit. eóq; exclamante, Hercules, vt valdè nimiū exigis, cùm possim mille denariis seruum emere. Proinde, dixit, duo habebis mancipia, filium scilicet tuum, & id quod emeris. Denique quî non sit absurdum, cum adsuefacias puerum vt alimentum dextra sumat manu, increpéq; si læuam porrigat: nullam interim te curam adhibere, vt dextros probósq; is sermones audiat? Iam quid eueniat mirificis istis parentibus, postquam liberos malè enutritos malè instituerunt, audi. Postquam hi sumta iam virili toga, contemto sano & composito vitæ ductu, in incompositas atq; seruiles voluptates sese præcipitauerunt: tum demum eos pœnitet

Dictū Cratetis.

neglectę liberorũ institutionis, mœrorem ex eorum sceleribus percipientes, quem nulla subsequitur vtilitas. Alij enim adulatores sibi adiungunt ac parasitos, hominum genus prauum & execrabile, perniciẽ pestémq; iuuẽtutis. alij scorta & meretrices redimunt proteruas atq; sumtuosas. alij abliguriunt sua. alij in aleam & comessationes à recto vitę cursu efferuntur. sunt qui & maiora audent flagitia, adulterantes, orgia Bacchi obeuntes, & vel vnam voluptatem morte redimendam putantes. Qui si versati cum philosopho aliquo fuissent, nũquam profectò talibus sese emancipassent rebus: sed Diogenis saltem præceptum didicissent. qui verbis quidem insolentibus, verè tamen quod ad res ipsas attinet, monuit, Ingredere lupanar aliquando, vt discas nihilne res honestæ ab indignis differant. Vt autẽ vna summa rem totam explicẽ, etsi haud iniuria vaticinari potiùs quàm præcipere videri possum, ita pronuncio: Vnum esse primũ, idémq; & medium & vltimũ in hac re caput, educationem rectam, legitimámq; institutionem. atq; hæc ego conducere & adiumentum ad parandam virtutem adferre aio, ádq; felicitatem. Nam reliqua quidem bona, humana sunt, exigua, neq; digna in quæ operam impendas. Nataliũ splendor res est præclara sanè: sed bonum à maioribus profectum. Diuitiæ in precio sunt: verùm earũ possessio à fortuna pendet: quæ eas sæpenumerò ademit habentibus, & non sperantibus obtulit. magnæ opes tanquam scopus propositæ sunt iis qui cupiunt loculos exhaurire, seruis maleficis, ac calumniatoribus. &, quod maximum est, etiam pessimis adsunt diuitiæ. Gloria res est vt venerabilis, ita instabilis. Pulcritudo optabilis, sed paruo durans tempore. Sanitas preciosa res est, eadémq; facilè mutatur. Robur digna res est laude ac voto, sed morbo ac senectute facilè aboletur. quanquam, vt vno verbo dicam, qui ob vires corporis sibi plaudit, scire debet

Bonorũ humanorum cõparatio.

debet se à vero aberrare. quantum enim est hominis robur cum aliorum animaliũ robore comparatum? elephantorum puta, taurorum, leonum? Doctrina omnium quæ nobis adsunt bonorum sola immortalis est & diuina. Sunt enim duo in hominis natura principatum facilè obtinẽtia, Mens & Ratio. quorũ Mens rationi præest, Ratio mentis imperia exsequitur. hæc fortunæ non obnoxia, nulla calumnia auferri, nullo morbo corrumpi, senectute lædi non possunt. sola enim mẽs senescens iuuenescit, & tempus cùm adimat alia, senectuti apponit scientiam. & bellum cùm torrentis in morem omnia proruat, solam doctrinam auferre nequit. Ac mihi quidem videtur dignũ memoratu Stilponis Megarensis philosophi dictũ. qui à Demetrio, quo is tempore Megaram ciuibus in seruitutem abductis solo æquauit, interrogatus ecquid suarum rerum amisisset, Nihil se amisisse respondit: neq; enim bellũ virtutem inter spolia capere. Cui concinit atque consonat Socratis illud, qui Gorgiæ (nisi fallor) quærenti quid de Persarum rege sentiret, & an eum felicem esse putaret, Ignorare se respondit, quòd nesciret, Virtute & doctrina præditus esset, nécne. scilicet in his felicitatem, nõ in fortunæ obnoxiis bonis ponebat Socrates. Porrò quemadmodum hortor, vt institutione liberorum nihil habeamus antiquius: ita rursum moneo, sectandam esse eam, quæ corruptelarum vacua & sana sit rationem. & à nugis istis ad populares cœtus comparatis quàm longissimè abducendum filios. Vulgo enim placere, sapientibus est displicere. Testimoniũ mihi perhibet Euripides his verbis,

Institutio vera & salutaris tenenda.

Ad turbam ego verba facere sum imperitior,
Inter sed æquales paucósq; doctior.
Habet hoc locum. nam qui inter doctos nil valent,
Gratior apud vulgum est eorum oratio.

Hippol. coron.

Equidem animadverti, qui in eo studium suum po-

nunt, vt dicendo placere promiſcuis turbis hominum, eorúmq; reportare poſsint gratiam, eorum vitam ferè intemperantem voluptatibúſque deditam exiſtere. ídq; optimo me Hercle iure. qui enim ita ſe comparant, vt hominibus nullam honeſtatis rationem ducentibus voluptates concilient, multum abeſt ij vt propriæ oblectationi atque luxuriæ prælaturi ſint ea quæ recta ſunt atq; ſana, aut pro dulcibus moderata ſectaturi. Ad hæc, quid pueros vtile docebimus aliud, aut quibus eos bonis inhærere iubebimus? Pulcrum eſt profectò nihil fruſtra neq; dici, neq; agi: & in proverbio eſt, difficilia eſſe ea, quæ ſint pulcra. Verùm orationes ex tẽpore habitæ, plenæ ſunt multæ leuitatis atq; vanitatis, neq; initium habentes aptum, neq; finem. Ac præter alia delicta, qui ſubitò dicũt, in periculoſam incidũt verborum redvndantiã atq; loquacitatem. cùm meditatio non ſinat orationem modi proportionem finéſq; trãſilire. Narrant Periclem ſæpenumerò vocatũ à populo, non obtemperaſſe, quòd ſe negaret eſſe præmeditatum. Eodémq; modo Demoſthenes æmulus eius in republica gerenda rationis, cùm ab Athenienſibus ad conſilium dandum vocaretur, recuſauit, ſe non eſſe commentatũ ſecum rem inquiens. Verùm hæc fortaſsis nullo autore tradita ſint, & conficta. In oratione quidem Mædiana evidenter commendat meditationis vtilitatem. ſunt enim hęc eius verba. Ego verò, viri Athenienſes, meditatum me eſſe profiteor, neq; inficiabor me quantũ omnino in me fuit, ſtudioſè commentatum eſſe orationem. profectò enim miſer eſſem, ſi talia perpeſſus, atq; etiamnũ ſuſtinens, ea neglexiſſem, quæ in mea mihi cauſa erant dicenda. Interim ego promtitudinẽ diſſerendi neq; improbandam prorſus, neq; rebus non dignis adhibendam aio: ſed inſtar medicamẽti vſurpandam cenſeo. tamen ante virilem ætatem non permitto ad ſubitò oblatũ argumentum orare. vbi facultas diſſeren-

Ex tempore dicere.

serendi radices egerit, tunc invitâte occasione liberè vti oratione licebit. Nam quemadmodũ qui diu fuerunt vincti, postmodò soluti, ob diuturnam vinculorum consuetudinem ambulare nescientes titubant: ita qui orationem multo à tempore constrictã tenuerunt, ij etiamsi aliquando oporteat subitò dicere, nihilominus eandem tamen interpretationis formam retinent. Adhuc puericiam agentibus verò permittere vt ex tempore dicant, causam prębet extremæ vaniloquentiæ. Ferunt quendam ineptum pictorem Apelli imaginem ostendisse, quam subitò à se pictam diceret. tulisseque id ab Apelle responsi: Video vel te tacente eam esse festinanter pictam: sed id miror, quòd non plures tales eo spacio temporis pinxeris. Sicvt igitur (redeo enim ad institutũ) orationis formã theatralem nimisq; tragicam iussi, ita rursum iubeo nimiam dictionis humilitatem atque exilitatem attentè vitare atque fugere. nam & nimio turgens fastu ad res ciuiles inepta est: & nimis gracilis nihil habet ad percellendum roboris. ac sicvti corpus non sanum modò, sed & firmo habitu esse: sic oratio non morbo tantùm carere, sed & vires habere debet. tuta enim laudant duntaxat, quæ etiam cum periculo sunt coniuncta, porrò & in admiratione sunt. Eadémq; est mea de animi affectione sententia, quem neq; ferocem, neq; inaudacem deiectúmq; esse convenit. quorum illud impudentię, hoc seruili cuidã submissioni mentis ansam prębet. artificiosum verò est, atq; accuratum, in omnibus Medium tenere. Ac dum adhuc institutionis huius memini, volo meam de oratione sententiam exponere. Orationem ego prorsus vniformem primùm pro signo litterarum bonarum imperitiæ non paruo reputo. deinde eam & in exercitatione statuo fastidium gignere, & planè non posse diu placere. Vbiq; enim vnius tenoris cantilena satietatẽ adfert, & offendit. varietas delectat & hic & vbiq;, vt in

Oratio nimis exilis.

Animi moderatio.

auditionibus & ſpectaculis. Oportet ergo puerum ingenuum ne eas quidē diſciplinas, quæ ob vulgarem vſum Encyclia dicunt, inauditas incognitáſq; præterire. verùm eas in tráſcurſu velvti guſtus percipiendi gratia diſcere:(nam in omnibus perfectionem conſequi nemo poteſt)philoſophiam verò ſeriò colere.poſſúmq; meam ſententiam hac ſimilitudine exponere: Quòd pulcrũ quidem eſt circa multas vrbes nauigare,vtile autem præſtantiſsimam inhabitare. Vrbanum eſt etiam Bionis philoſophi dictum, qui aiebat,ſicvt Penelopes proci cùm nõ poſſent cum Penelopa cõcumbere,rem cum eius ancillis habuiſſent:ita qui philoſophiam nequeunt apprehendere, eos in aliis nullius precij diſciplinis ſeſe conterere. Itaque reliquorum ſtudiorum quaſi caput & ſumma,conſtituenda eſt philoſophia. Etenim ad corporis curationem duæ inventæ ſunt ab homi nibus ſcientię,Medicina & Gymnaſtice:quarum altera ſanitatem, altera firmam ſani corporis cõſtitutionem conciliet. Animi autem ægritudinibus atq; motibus ſola medetur philoſophia.Hac duce & comite cognoſcere datur quid honeſtũ ſit, quid turpe,quid iuſtum,quid iniuſtum,quid ad ſummam expetendum, quid fugiendum, quomodo nos erga deos,erga parentes, ſeniores, leges, alienos, magiſtratus, amicos, vxores, liberos, ſeruos gerere debeamus.ſcilicet,vt veneremur deos,parentes honore afficiamus,ſeniores revereamur, legibus obtemperemus, amicos diligamus, vxores caſtè amemus, liberos animi interno quodam amore complectamur,ſeruos iniurioſè non tractemus. &, quod ſummum eſt,neq; rebus ſecundis efferamur gaudio, neque adverſis nimio luctu deiiciamur: ac neq; voluptatibus diffluamus,neq; ira ad ſæuiciam nos abripi ſinamus.quæ ego omniũ nobis à philoſophia obtinentium bonorum antiquiſsima iudico. Fortuna enim proſpera ingenuè vti,viri eſt officium: citra invidiam,

Philoſophiæ præſtantia, & vtilitas.

vidiam, hominis moderati: ratione vincere voluptates, sapiētis: iram compescere, non cuiusvis viri. Perfectos autem viros ego eos censeo, qui norūt facultatem ciuilem permiscere & contemperare cū philosophia: duóq; illos summa bona existimo adipisci, vt & in republica versando communis vitæ vsum augeant, & philosophiam tractando vita fruantur tranquilla ac sedata. Cùm enim tria sint viuendi genera, vnum in agendo, alterum in contemplādo, tertium in perfruendis voluptatibus occupatū: qui tertium hoc sequitur, dissolutus & voluptatū seruus, belluarum similis abiectúsq; est. contemplator, si actionibus abstineat, inutilis: rebus gerendis deditus philosophiæ ignarus, rudis est & facilè errat. Pro viribus igitur enitendum est, vt & publica tractemus, & quātum ratio temporis finit, philosophiæ nos demus. Sic in repub. versati sunt Pericles, Archytas Tarentinus, Dio Syracusanus, & Epaminondas Thebanus. de quibus posteriores duo Platonis fuerunt familiares. Neque iam puto verbosiùs immorandum disputationi de recta eruditione. Præter autem ea quæ diximus, vtile est etiā, aut necessarium potiùs, vetustorum commentariorum coëmtionem nō negligere, sed & ista colligere * secundum agriculturæ rationem * eodem modo instrumentum doctrinę est vsus librorum, & à fontibus conseruare scientiam vsu venit. Verùm ne corporum quidem exercitatio est prætermittenda, sed mittendi in ludum eius rei pueri, vt in eo genere quantum est satis elaborent, cùm propter corporis concinnam conformationem, tum roboris gratia. nam bonæ senectuti fundamentum in puericia iacitur, firma nimirum corporis ad sanitatem cōstitutio. Quemadmodum igitur tranquillo cœlo adornanda sunt quæ aduersus tempestates faciunt: ita in adolescentia moderationē & temperantiā ad viaticum senectuti parandum adhiberi par est. Sic autem labori moderandum est, ne

Homo perfectus.

Vitæ rationes.

Bibliothecæ

Corporis exercitatio.

eo exsiccati ad litterarum studia animum despondeant. nã, vt ait Plato, somni & defatigationes, discipli-
7. de rep. fine. narũ sunt hostes. Sed quorsum hæc? quin id propero dicere potiùs, quod præcipuã dictorũ iam vim
Militia. continet. Exercendi sunt adolescentes ad militaria opera, iaculorum & sagittarum missionibus, ac venationibus. Eorum enim qui in præliis succũbunt bona, præmia victoribus sunt proposita. bello verò corporis habitus in vmbra educati non convenit. gracilis autẽ miles bellicis adsuetus certaminibus, athletarum & hostiũ phalanges disiicit. Enimverò
De pauperũ liberis instituendis. obiiciat aliquis, me, qui de ingenuorum puerorum educatione præcepta daturum promiserim, pauperum & plebeiorum præterita institutione, solis profiteri diuitibus me rationem præscribere. Cui respõdere non est difficile. Nihil enim ego mallem, quàm meam doctrinã omnibus in vniuersum esse vtilem. quod si tamen quidam ob suam inopiã vti meis præceptis non poterũt, fortunam ij culpent, non me talia præcipientem. Veruntamen pro virili etiam pauperibus annitendum est, vt quàm optimè suos educent liberos. sin id nõ datur, ea vtant qua datur ratione. Atq; hæc ego orationis cursui inserui, vt deinceps reliqua etiam ad rectam adolescentum institutionẽ conducentia attexere possim. Sic itaq; dico, Ad liberalia studia adducendos esse pueros verbis adhortationibúsq;, non me Hercle verberibus,
Plagæ & contumeliæ instituentium. aut contumelioſa tractatione. hæc enim seruis magis quàm liberis conuenire videntur: torpéntq; & abhorrent sic tractati à laboribus, partim ob dolores plagarum, partim ob contumelias. Laudationes
Item laudationes & increpationes. autem & vituperationes quavis contumelioſa tractatione plus valent apud ingenuos: illæ ad pulcra incitantes, hæ à turpibus arcentes. Alternis porrò vicibus increpationes & collaudationes sunt adhibendæ, vt & cùm exultant animi, reprehensionibus ad pudorem redigantur: & cùm deiecti sunt, rursus laudi-

laudibus erigantur. imitandæq; in hoc genere nutrices, quæ infantes cum ad fletum provocarunt, rursum vt consolentur mammam præbent. Est verò ex vsu, eos nō inflare & ad superbiam extollere nimiis laudibus. nam harum excessum vanitas quædam & luxuria animorū comitari solet. Ac vidi ipse patres, quibus nimius amor causa fuit ne amarēt verè, vtq; intelligi possit quod dico, exemplo rem faciam dilucidiorem. Dum festinant eò vt filij ipsorū primas in omnibus rebus ferant, immodicos eis imponunt labores. ad quos ij animo elanguescente deficiunt, ærumnisq; alioquin oppressi, doctrinam æqua mēte non admittunt. Quo enim modo stirpes mediocribus aquis aluntur, abvndantibus suffocantur: eodem animus etiā moderatis crescit laboribus, nimiis obruitur. Danda est ergo pueris à cōtinentibus laboribus respiratio: idque in animo habendum, totam nostram vitam in remissionem esse, seriúmque studium diuisam. quam ob causam non vigilia modò, sed & somnus inventus est: neque bellum duntaxat, sed & pax: neque sine serenitate tempestas, neque seria negocia tantùm, sed & feriæ. vtque vnam in summam contrahamus, Requies laborum est contimentum. Neque in animalibus solis, sed & rebus anima carentibus, id deprehendas. nam & arcus & lyras remittimus, vt intendere possimus. atque in vniuersum seruatur corpus impletione atq; vacuatione, animus autem remissione & labore. Culpandi autem sunt parentes nonnulli, qui postquam filios suos pædagogis magistrisq; commendauerunt, ipsi quid discatur neque inspiciunt vnquam, neque inaudiunt: magno sanè cum errore. oportebat enim ipsos intervallo paucorum dierum subinde explorare puerorum profectus, neque in mercenarij voluntate omnem spem collocare. qui & ipse maiorem diligentiam pueris instituendis erat impensurus, si identidem sui sibi muneris rationem reddendā fore

Requies.

Inspectio parentum.

sentiret. Atque huic loco eleganter convenit equisonis illius dictum, qui aiebat nihil esse, quod perinde saginaret equum, atq; oculus regis. In primis
Memoria. porrò puerorum memoria est exercenda atque adsuefactione roboranda. ea enim est velvti penus eruditionis. eámque ob causam Mnemosynen, hoc est memoriam, fabulati sunt esse Musarum matrem, innuentes nihil ita & gignere & alere eruditionem, vt facit memoria. Quapropter vtroque modo exercenda ea est, siue naturæ beneficio valeant memoria pueri, siue obliuiosi sint. Sic enim & copiam naturalem confirmabimus, & quod ei deest implebimus: atque vt illi alios, ita hi seipsos vincent. Est enim præclarè ab Hesiodo dictum,

Operibus. *Nam si vel paruum pergas superaddere paruo,*
Et crebrò id facias, ingens exsistet aceruus.

Ne id quidem ignorent parentes, memoriæ vim in discendo exercitatã non ad eruditionem modò conducere, sed & ad ciuiles actiones non modicum adferre adiumentum. nam præteritarum actionũ memoria exemplar præbet bene consultaturo de futuris. Præterea abducẽdi sunt filij à turpitudine sermonis: cùm autore Democrito sermo actionis sit vmbra. Deinde opera est dãda, vt affabiles fiãt, inque colloquio comes. nihil enim ita dignum est odio, vt eorum mores, qui compellantibus se difficiles præbent. Iam in colloquiis pueri inuisi aliis non fient, si non omnino in disputationibus victoriam semper obtinere laborent. Non enim tantùm egregium est scire vincere, sed etiã posse vinci pulcrum est, vbi victoria est damnosa. cùm sit revera etiam Cadmea quædam victoria. Possũmq; huius sententiæ testem laudare Euripidem illum sapientem, cuius hæc sunt verba,

Dicentibus duobus, irato altero,
Qui non repugnat dictis, est sapientior.

Sermo.

Adda-

Addamus his ea, ad quæ non minore quàm dicta ha ctenus, immò & maiore ſtudio eſt contendendum. Sunt autem hæc. Vita degenda eſt ſine luxu, lingua coërcenda, ira ſuperanda, manus continendæ. quæ quanti ſint momenti, ſingulorũ exemplis propoſitis melius innoteſcet. Vtque à poſtremo ordiamur, nonnulli dum iniuſtis pecuniæ capturis manus adiiciunt, omnem actæ vitę gloriam fecerunt irritam. vt Gylippus Spartanus qui nummorũ publicorum ſac culos cùm aperuiſſet, actus eſt in exſulium. Ira autẽ ſuperiorem eſſe, ſapientis eſt. Socrates calce impetitus ab adoleſcentulo admodum feroce & impuro, cùm ſuos videret indignè id ferre ac fremere, adeò vt illum in ius quoque trahere cogitarent: Quid ergo, inquit? an ſi me aſinus calce feriiſſet, iuſſuri eratis vt contrà calcem ei impingerem? Neq; tamen invltum planè id adoleſcens tulit, ſed omnibus ei facinus hoc exprobrantibus, calcitronémq; appellantibus, ſuſpendio vita ſeſe exuit. Idem Socrates, quando Nebulis fabula edita Ariſtophanes in ipſum omnis generis convicia iaciebat, iiſque in ſcena recitatis amicorum quidam dicebat, Non iſta moleſtè fers Socrates? nequaquam verò, inquit. nam in theatro, velvti in magno conviuio, verbis vexor. Horum germana ſunt atque iis cõiuncta Archytæ Tarentini & Platonis facta. Ille cùm à bello, in quo exercitum duxerat, reverſus agrum offendiſſet ob incuriã vitium contraxiſſe, accerſito colono, Malè, inquit, tecum ageretur, niſi ego admodum ira exarſiſſem. Plato ſeruo guloſo & impuro iratus, vocato filio ſororis ſuæ Speuſippo, Hunc tu, inquit, verbera. ego enim animo ſum valdè commotus. Diceres, difficilia ſunt hæc, neque ad imitandum procliuia. Fateor. Sed tamen his exemplis vtendum eſt, ſummiſq; conandum viribus, vt abvndantiam intemperatæ inſanientiſq; iræ aboleamus. Nam neque aliis in rebus eorum æquamus vel peritiam vel virtutem: nihilo-

Præceptorũ congeries.

Iræ coërcitio.

minus velvti deorum quorundam ſacerdotes ac facigeri ſapientiæ, facta eorum, vbi fieri poteſt, imitari ſectarique nitimur. De frænāda lingua reſtat vt dicamus. quam rem qui exigui momenti aut vilem putat, plurimum à vero aberrat. Tempeſtiuum enim ſilentium res eſt ſapiens, ac quavis oratione potior. Eáque, opinor, de cauſa priſci myſtica ſacra inſtituerunt, vt in his taciturnitati aſſueſcentes, ad fidem humanorum arcanorum metum deorū transferremus. Et quidem tacuiſſe neminem pœnituit, dixiſſe permultos. ac quod tacitum fuit, facilè datur eloqui: quod dictum eſt, indictum fieri nullo pacto poteſt. Sexcenta auditu me percepiſſe memini exempla eorum, qui ob linguæ licentiam in grauiſsimas inciderunt calamitates. quorum reliquis omiſsis vnum duntaxat atque alterum pro ſpecimine adducam. Cùm Ptolemæus Philadelphus ſororem ſuam Arſinoën in vxorem duxiſſet, Sotades, quòd ei dixiſſet ipſum in nequaquam licitum foramen intrudere aculeum, in carcere per longum tempus contabuit: pœnámque dedit importunæ loquacitatis nō indignam, qui vt aliis riſum moueret, multum ipſe fleuit temporis. His æqualia & conſentanea, immò grauiora multò paſſus eſt Theocritus ſophiſta. Cùm enim Alexander Græcis mandaret, vt purpureas ſibi veſtes pararent, quippe domum reverſus è bello, ſacrificium de parta è barbaris victoria peracturus, eóq; nomine gentes pecuniam viritim contribuerent: aiebat Theocritus ſe aliquando dubitaſſe, nunc autem liquidò ſentire, hoc ipſum eſſe purpu-
Iliad. 4, 83. ream, quam Homerus dixiſſet, mortem. qua voce Alexandrum ſibi inimicum reddidit. Idem Antigonum Macedonię regem altero carentem oculo, cùm vitium hoc ei exprobraſſet, ad iram nō mediocrem provocauit. Iubebat is Eutropionem coquorū principem, qui munus aliquod geſſerat, ad ſe venire ac rationes ſecum conferre. quod cùm hic ei renunciaret,

ret, ac sæpiùs accederet, scio, inquit Theodorus, quòd me crudum vis Cyclopi apponere, huic quòd coquus, illi quòd vnoculus esset exprobrans. & Eutropio, Ergo, ait, tu capite mulctaberis, eásque dabis loquacitatis istius tuæ atque insaniæ pœnas: ac regi rem renunciauit, qui & misit qui Theocritum interficerent. Præter hęc omnia, adsuefaciendi sunt pueri vt vera dicant. qua in re summa est sanctimonia. mentiri enim seruile est, dignúmq; apud omnes homines odio, ac ne mediocribus quidem seruis ignoscendum. Atque hæc quidem de pueris decorè & ad modestiam instituendis hactenus nihil dubitans aut ambigens disserui. Quod restat dicendum, dubium me tenet, ancipitémque in deliberando adfert curam, ac quasi in trutina positus in vtranque partem momentis impellor, neutri insistere valeo. valdéque cunctor rei huius vel autor fieri, vel dissuasor. Audendum tamen est, & eloquenda res. Est autem hæc quæstio, An amatores puerorum sinere debeamus vti eorum consuetudine, an verò potiùs ab iis arcere. Cùm enim intueor in patres suo sensu omnia metientes, moribúsq; crudos & austeros, qui consuetudinem amatorum ob cótumeliam liberorum intolerabilem putant: vereor eius autor esse atque suasor. Rursus cùm in mentem venit Socratis, Platonis, Xenophótis, Aeschinis, Cebetis, totiúsq; chori istorum virorum, qui masculos approbauerunt amores, adolescentulósq; produxerũt ad doctrinam, popularem rationem, morúmque honestatem: sententiam muto, flectórque admiratione & æmulatione istorum virorum. Atque his quidem etiam Euripides testimonio hoc fauet,

Veritas.

Sed est & alter inter mortales amor,
Iustíque castíque animi scilicet, ac probi.

Non tamen omittenda est Platonis sentẽtia quę seriæ rei admixtam habet vrbanitatem. ait enim per- *5. de repub.*

missum debere esse iis, qui rem præclarè gesserint, vt quemcunq; velint osculentur. Etenim arcendi sunt, qui pulcritudinem corporis spectant: animæ autem amatores omnino deligẽdi, & amores quidem, quales Thebis sunt & Elidæ, & quæ in Creta vocatur raptio, fugiendi: æmulandi autem qui Athenis sunt & Spartæ. Sed hac de re quisque suam sequatur sententiam. Ego de puerorum moderatione & decoro hactenus locutus, de adolescẽtia porrò pauca omnino subiiciam. Sæpenumerò enim vituperaui malarum consuetudinum introductores, qui cùm pueris pædagogos & magistros præfecissent, adolescentũ impetus passi sunt liberè ferri. cùm contrà hi maiore quàm pueri cura atque custodia fuerint regendi. Quis enim nescit puerorũ peccata exigua, planéque emendabilia esse? profecta scilicet à pædagogorũ cõtemtu, aut quòd magistrorum institutioni aliquando nô obtemperarint. At iam exephebis egredientium peccata sæpenumerò ingentia fiunt & atrocia: ingluuies ventris, furta pecuniæ paternæ, alea, comessationes, potationes, virginum amores, adulteria. Quapropter iuueniles impetus accuratis rationibus vinciri ac compesci convenit. Est enim vigor illius ætatis incontinens voluptatum, lasciuitq;, & fræno opus habet: & qui ætatem istam non magno opere regendam suscipiunt, imprudentes animo licentiam qua ad flagitia feratur concedunt. Ergo cordatis parentibus sub id temporis maximè vigilandum est, vt custodiant adolescentes, ac intra modestiæ fines contineant, docendo, minando, rogando, consulendo, pollicendo, exempla demonstrando cùm eorum, quos voluptatum studium in miseriam coniecit, tum qui abstinentia laudem sibi gloriámque parauerunt. Hæc enim duo quasi elementa sunt virtutis, Spes honoris, & Metus pœnæ. quorũ illa incitatiores ad pulcerrima studia, hic segniores ad vitia reddit. In vniuersum verò malorũ consuetudi-

Adolescẽtes vt regendi.

Malorum

tudine hominum prohibendi sunt pueri. nam affricatur illis aliquid inde vitij. Atque hoc etiam Pythagoras suis monuit præceptorum involucris. quę ego adducam atque evoluam: momentum enim ad virtutem conferunt non minimum. Tale est, Non gusta quibus nigra est cauda. significat enim non cō suescendum cum hominibus ob maliciā nigris. Stateram ne transgrediaris: summam docet habendam esse rationem iusticiæ, neque eius fines exeundum. Chœnici non inside. fugere iubet ignauiam, ac prospicere de necessario victu. Non cuivis iniice dextram. hoc vult, non temere esse cum quoquam contrahendum. Angustum annulum non gesta. id est, vitę genus liberum sectare, nec vinculo temetipsum obstringe. Ignem gladio non scrutare. hoc dicit, iratos non esse iritandos, (est enim hoc indecorum) sed iis concedendum. Cor ne edas. vult animā curis non esse affligendam. Fabis abstine. hoc est, reip. administrationem vita. nam olim magistratus per suffragia fabis lata creabantur. Cibum in matulam non iniice. præcipit prauo animo nō esse elegantem orationem committendam. est enim oratio cibus animi, quem cibum immundum humana reddit perversitas. Ad fines vbi perveneris, nō revertito. monet, cùm moriendum est, & finem vitæ instare videmus, æquo id animo esse ferendum, ac citra mœrorem. Sed eò, vnde digressa fuit, nostra se referat oratio. Sunt itaque pueri ab omnibus, vt dixi, malis hominibus abstinēdi: maximè autem ab adulatoribus. Quod enim identidem & multis dicere parentibus consueui, nunc quoq; affirmo. Genus hominum adulatoribus pestilentius nullum est, neq; quod magis ac celeriùs iuuenes in perniciem præcipitet. Illi enim & parentes & natos radicitus perdunt, & inter consulendum esca voluptatis difficulter evitabili illicientes, parentum senectutem iuxtà & filiorū iuuentutem dolorum plenam reddunt. Diuitibus

consuetudo.

Aenigmata Pythagoræ explicat.

Adulatores

liberis parentes sobrietatem commendant, adulatores ebrietatem. illi continentiam, hi libidinem. illi parsimoniam, hi prodigalitatem. industriam illi, hi ignauiam. punctum (aiunt adsentatores) temporis est tota nostra vita, frui ea, nō abvti ad alias res convenit. quid attinet nos minas patris curare? delirus est, & alterum pedem iam in sepulcro habet: mox illum sublimem arreptum efferemus. Non desunt ex iis, qui & scorta submittant, & nuptas prostituant: & quæ parentibus erant senij viatica, intervertant atque rapiant. Impuri sunt isti homines, amiciciæ simulatores, libertatis imperiti, diuitum adulatores, pauperum contemtores, velvti lyrica quadam arte ad adolescentes decipiendos instructi, ad risum eorum qui ipsos alunt labia in risum diducētes, animi subditiciæ, ac vitæ spuriæ partes. ad nutum diuitum viuentes, fortunæ statu liberi, instituto serui, ac se contumelia affici putantes, si non tractentur contumelioſè, sed frustra alantur. Quare si quis est pater solicitus de bene educandis liberis, fœdum hoc pecus domo eiiciat. Amoliatur etiam condiscipulorū prauos mores, qui satis habent virium ad corrumpendū vel optima ingenia. Atque hæc quidem præclara sunt, & vtilia. quæ subdam, humana sunt. Nam & parentes vicissim ego nolim vsquequaque duro esse & aspero ingenio: sed sæpenumerò eos quorundam peccatorum gratiam facere adolescentibus, sibique ipsis suam adolescentiam revocare in memoriam. At quemadmodum medici amara medicamenta dulcibus succis permiscentes, oblectatione ad vtilitatem sibi acceſſum aperiunt: ita convenit parentes reprehensionum seueritatem lenitate temperare: & interdum habenas cupiditatibus filiorum laxare, interdum astringere. & maximè quidem peccata æquo animo ferre. vbi tamen fieri id nequit, dare operam, vt concepta ob delictum ira celeriter deflagret. Præstat enim patris iras subitas esse, quàm

Parentum lenitas.

gra-

graues. quia infensus & implacabilis animus patris, non leue est argumentum odij erga liberos. Conducibile est etiam nonnulla peccata liberûm simulare parentes se non animadvertere: cúmque sub senectutem visus soleat auditúsque hebescere, eò istâ sensuum imbecillitatem transferre, vt videtes quædam quæ aguntur, non videant, audientésque non audiant. Amicorum delicta toleramus: quid mirum, si etiam filiorum? quando etiam seruorum crapulam ebrietatémque sæpe non reprehendimus. Parcus aliquando fuisti, fac etiam impensas: indignatus es aliquando, ignosce vicissim: delusit te aliquando serui vsus opera, iram cohibe: par boum ex agro abduxit, venit aliquando hesternam olens crapulam, dissimula: vnguentum redolet, tace. sic lasciuiens domatur adolescentia. Danda porrò est opera, vt qui voluptatibus nimis dediti sunt, & reprehensionibus minùs obtemperantes, matrimonio devinciantur, quod est tutissimum iuuentutis vinculum. Vxores autem filiis despondebunt, quæ neque nobilitate generis, neque diuitiis multum eos superent. sapienter enim dictum est, Tibi congruentem versa. & qui multo se præstantiores ducunt vxores, non mariti earum, sed dotis serui sua imprudentia fiunt. His pauca quædam si adiecero, finem præceptis imponam. Ante omnia debent parentes nihil peccando, omniáq; pro officij rationibus agendo, evidens sese liberis exemplum præbere: vt in istorum ij vitam tanquam in speculum intuentes, à turpibus dictis, factísque avertantur. Etenim qui peccata filiorum increpantes, ipsi in eadem prolabuntur vitia, ij se non sentiunt sub illorum nomine semetipsos accusare. Quorũ verò tota vita turpis est, ij ne seruos quidem obiurgandi libertatem sibi relinquunt, nedum filios. Quò accedit, quòd tales patres scelerũ cõsultores ac doctores suis sunt filiis. vbi enim senes sunt impudentes, necesse est ibi adolescentes quoq;

Coniugiũ.

Exempla parentum.

inverecundiſsimos eſſe. Ergo ad decoram liberorũ educationem quæcunque conducere poſſunt, in iis elaborandum eſt: æmulatione Eurydices. quæ cùm Illyria eſſet & plus quàm barbara mulier, tamen vt filios docere poſſet, provecta iam ætate diſciplinis animum ſtudiúmque applicuit. Cuius quantus fuerit erga liberos ſuos amor, ſatis declarat inſcriptio ab ea Muſis conſecrata. cuius hic eſt ſenſus,

Quo deſiderio, Muſæ, nouiſtis, amârit
Doctrinæ veſtræ munera, quóque animi
Eurydice ſtudio flagrans Hierapolietis:
Quæ grato vobis dedicat hæc animo.
Nam mater natis iam pubeſcentibus auſa eſt
Theſaurum ſophiæ diſcere litterulas.

Enimverò omnia, quæ expoſuimus, vt in vnum concurrant atque ſimul coniungantur, optari fortaſsis rectiùs poteſt quàm mandari. Pleraque verò præcepta ſequi & imitari, res quidem hæc ipſa eſt felicitatem requirens magnámq; accurationem: poteſt tamen ab humana præſtari natura.

PLVTARCHI
Commentarius, Quomodo *adoleſcens Poëtas audire debeat.*

QVOD Philoxenus poëta dixit, M. Sedate, eas carnes ſuauiſsimas eſſe, quæ carnes non ſint, itémque piſces, qui piſces non ſint: de eo pronunciare ſinemus iſtos, quos palato plus ſapere, quàm corde, Cato aiebat. De hoc autem nobis conſtat, adoleſcentulos magis gaudere, libentiúſq; obſequi, ac manſuetiores ſe præbere iis philoſophiæ dictis, quæ philoſophicè & ſeriò dicta non videntur. Non enim Aeſo-

Aesopicas tantùm fabellas & poëtica argumẽta, sed & Heraclidis Abarin, & Aristonis Lyconem, inque his sententias de anima fabulis permixtas legentes, quasi cœlesti quodam mentis instinctu non sine voluptate excitantur. Quare non id modò curandum est, vt circa voluptates quæ ex cibo & potu percipiuntur, modestiam seruent: sed magis etiam ad hoc sunt adsuefaciẽdi, vt in lectionibus & auditionibus delectatione tanquam obsonio fruantur, vtiliaq; & salubria ex iis captent. Nam neque vrbi portæ cæteræ clausæ id præstabũt, vt non capiatur, si per vnam aliquam hostes recipiantur: neq; adolescentem continentia aduersus reliquas voluptates adhibita conseruabit, sicvbi imprudens per auditum se illis capiendũ dederit. quinimmò auditus, quò mentem ac rationem propiùs attingit, eo plus damni ac corruptelæ affert eà per negligentiam admissa illecebra. Quoniam itaque neque fortasis licet, neque etiam expedit à poëmatibus arceri eo natu adolescentem, quo Soclarus meus est, & tuus Cleander: peraccuratè nobis obseruandi sunt, quippe in legendo magis quàm in ambulando ductoris egentes. Proinde quem nuper de poëtis sermonem habui, eum mihi subiit in prę̨sentia, conscriptum ad te mittere. quem vbi perlegeris, siquidem tibi videbitur non minorem vim iis habere amuletis, quæ nonnulli ad conuiuia ebrietatis arcendæ causa appensa gestant, aut iis intra corpus antè sumtis accedunt: Cleandro imperti, iisque ingenium ipsius, quod ob vigorem & alacritatem acuménque facilè istis perducatur illecebris, præmuni.

Polypodis capiti perhibent bonum ineſſe, malúmque

nam suauissimum esu cùm sit, difficilem somnum facere, ac turbulenta & absurda visa excitare credit. Eodem sanè modo poësis quoq; multa iucunda & adolescentis animo pabuli instar conducentia in se

habet: non pauciora verò quæ conturbent eum, & de sanitate mentis dimoueant, vbi lectioni recta institutio defuerit. Neque enim de Aegypto tantùm, sed de poëtica etiam licet dicere,

Odyss. δ, 230. *Illam noxia multa, & multa salubria ferre*
Cultori medicamenta. —— Etenim
Iliad. ξ, 216. *Hîc amor, hîc desiderium latet, hîc quoq; blandum*
Alloquium, quam vis sapientem fallere callens.

Quippe illecebræ eius fatuos planè & stupidos non attingunt. quare Simonides quoque interrogatus, cur solos Thessalos non deciperet: rudiores esse respondit, quàm qui ab ipso decipi possent. Et Gorgias tragœdiam dixit esse impostoram: quam & qui adhiberet, non adhibente iustior, & qui passus esset, non passo esset sapientior. Vtrum igitur adolescentes instar Ithacensium, aures eorum cera solida obthurantes, cogemus lintre Epicuri poëtin prætervehi atque fugere? an verò recta potius quadam ratione iudicium circumdantes atque vincientes ita dirigemus, ne delectatione ad noxia deferantur?

Iliad. ζ, 130. *Nam neque atrox, natus genitore Dryante, Lycurgus*

sana est vsus mente, quòd multis vino captis ac per temulentiam peccantibus, vites passim exscidit: cũ debuisset potiùs fontes propiùs adducere, insanúmq; (vt ait Plato) deum alio sobrio repressum castigare. (nam id quod noxium est, de vino aufert aqua admixta, vtili relicto.) Neq; nos sanè poëticam Musarum partem exscindamus aut aboleamus. sed vbi præ nimia voluptate fabulosæ eius & theatrales partes contumaciter se iactant & efferunt, nimiáq; libidine insaniunt: ibi manus iniicientes, reprimamus eam. Vbi verò erudita venustas & suauis atque alliciens animum oratio vana fructúsve expers non est, ibi philosophiam introducamus atq; admisceamus. Quemadmodũ enim mandragora iuxta vites nascens, suámq; in vinũ vim diffundens, efficit vt

sua-

suauiùs dormiant, qui id biberunt: sic poëtis è philosophia doctrinam desumens, eámque fabulis permiscès, facilem eius & gratam adolescentibus perceptionem præbet. Non ergo fugienda sunt poëmata philosophaturis: sed adhibenda poëmatibus philosophica consideratio, adsuescendúmque vt in eo quod delectat vtilitatem quæras, & eam amplectaris: sin verò, repugnandum ei est, & succensendũ. hoc enim eruditionis principium est. Atqui secundum Sophoclem,

Quancunque rem ratione recta ceperis,
Bonum illius rectè sperabis exitum.

I. Præceptũ. *Prænosse iubet, multa esse apud poëtas ficta: idq; bifariam.*

Primùm ergo introducemus in poëmata hominẽ, cui nihil ita meditatum in promtúque sit, atque illud,

——permulta canunt mendacia vates:

id quod partim coacti, partim sponte faciunt. Spõte, quia ad delectationem auditionis, & gratiam, quam plurimi captant, ob austeritatem suam veritas mendacio minus iis esse commoda videtur. Quod enim re vera fit, id tametsi exitum habet tristem, non mutatur. Quod autem commentum est, id facillimè cedit, & de tristi in iucundum mutatur. Nam neque numeri, neque verborũ immutationes, neq; dictionis maiestas, neq; trãslationis opportunitas, neque concinnitas & compositio tantum habet blandicię atque gratiæ, quantũ fabulæ aptè cõnexa dispositio. Enimverò sicvt in picturis color plus afficit quàm lineæ, propter similitudinem corporis, & fallendi aptitudinẽ: ita in poëmatibus mendacium probabilitate temperatum magis percellit & gratius est apparatu carminis & dictionis fabula & figmento carentis. Itaque Socrates quibusdam somniis ad scribendum carmen compulsus, cùm ipse, vt qui per omnem vitam pro veritate decertasset, facultate probabilia mendacia fabricandi

destitueretur, Aesopi fabellas argumentum sibi delegit: poësin non putans eam à qua abesset mendacium. Etenim sacrificia quædam nouimus choris & tibiis carentia: poësin fabularum & figmentorum expertem non nouimus. nam Empedoclis & Parmenidis versus, Theriaca Nicandri, ac sententiæ Theognidis, orationes sunt, vt pedestris incessus humilitatem effugerent, granditatem & mensuram à poëtica pro vehiculo mutuatæ. Proinde vbi absurdum aliquid aut durum in poëmatibus dicitur ab aliquo præstanti viro de diis, dæmonibus, aut virtute: is qui eum vt verum amplectitur sermonem, in errorem incidit, falsaque opinione animum corrumpit. At qui nunquam immemor est poëticarum in mentiendo præstigiarum, idque perspicuè semper tenens, identidem poësin sic compellare nouit:

O machinatrix lynce versipellior,
Quid ludis, & supercilium quid contrahis,
Fraudemq; texens, te simulas verum loqui?

is, inquam, mali nihil feret, neque quicquam absurdi credet. Nimirum is se revocabit à metu, sicubi timebit ne Neptunus terram eruat, & inferos detegat: aut vbi subierit ei Apollini irasci ob Achiuorum principem, Iliad. v, 61.

Ipsus suaui quem celebrans in conuiuio,
Hæc fatus ipsus, ipsus & letho dedit.

Quin & exstincti iã Achillis, ac Agamemnonis lacrymas compescet, cupiditate viuendi manus viribus cassas intendentium. Quòd sicubi à perturbationibus superatus, victúsque veneficio erit, nulla interposita mora ita seipsum alloquetur:

Odyss. λ, 222.

Affecta reditum, superas repete impiger auras
Quamprimùm: tũ quæ sunt hìc tibi visa sub vmbris,

Vxori

Vxori quondam caræ narranda memento.

venustè enim hoc in suam Necyam dixit Homerus, quòd ea auditio propter fabulas est mulieribus cõgruens. Ac talia quidem sunt quæ poëtæ sua sponte fingunt. Plura sunt, quæ non fingentes, sed ita esse opinantes, falsitatem eam nobis pigmentis fucatam offerunt. vt, cum de Ioue Homerus dixerit,

Iuppiter ipse duas æquato examine lances Iliad. 22. 209.
Sustinet, & fata imponit diuersa duorum,
Pelidæ huic magni, pugnacis Hectoris illi.
Dardanidæ fatum lethali pondere lancem
Impulit ad manes vergens. tunc Hectora Phœbus
Deseruit:—

totam tragœdiam huic fabulę aptauit Aeschylus, titulo Psychostasię. assistere enim facit lancibus Iouis, alteri Thetidem, alteri Auroram, deprecantes pro filiis suis Achille & Memnone manum conserentib. Nemo nõ videt, fabulam esse hanc delectandi aut perterrendi auditoris causa confictam. Hæc autem,

Iuppiter humanæ dispensans prælia gentis. &, Iliad. 7. 34.
Nam causam Iuppiter præbet mortalibus,
Cùm familiam statuit evertere funditùs:

hæc iam ex ipsorum sunt dicta opinione, falsam de diis sententiam, & ignorationem suam nobis tradentium. Iam illæ apud inferos portentorum fictiones & dispositiones, quæ terribilibus nominibus spectra fabricantur ardentium fluminum, locorum horribilium, ac terribilium suppliciorum: ferè ab omnibus deprehenduntur esse fabulosæ admodum, & in quibus tanquam in alimentis venenũ, ita mendacium sit admixtum: nemóq; pœnè nescit, neq; Homerum, neq; Pindarum, neq; Sophoclem, pro certo habuisse id quod scribebant:

Vbi immensas ructant tenebras
Validi vmbrosæ noctis fluuij.

Odyss. ω, 11. Item: *Oceani fluctus legère, & Leucada petram.* Item,
Vbi æstus gurgitis, inferorum angustiæq;.
Tamen quotquot mortem velvti miserabilem, & sepulturæ priuationem tâquam miseram rem deplorantes, huiusmodi verba extulerunt:

Odyss. λ, 72 Iliad χ. 362. & alibi. *Non inhumatũ oro tu me, infletúmq; relinquas.* Item,
Tunc anima ad manes de membris mœsta volauit,
Interitúmque suum lugens, & robur, & annos. Itẽ,
Non me priùs quàm fert ætas interfice:
Nam dulce lucem est cernere. noli cogere
Vt abdita infra terram conspiciam miser:

hæ, inquam, voces sunt ita sentiẽtium, & errore captorum. quo magis nos attingunt, & perturbatione ista atq; imbecillitate exagitatos angũt, à qua proficiscuntur. Adversum hæc ergo rursus promtè id aures nostras personet, poëti non admodum curæ esse veritatem: quod autem verum sit de his rebus, id ne ab iis quidem, qui in aliam nullam quàm huius ipsius rei discendæ cognoscẽdæq; curam incubuerint, omnino percipi aut inuestigari potuisse: quod quidem ipsi etiam fateantur. Atque hic ad manum sint Empedoclea hæc:

Non oculis possunt homines, non auribus ista,
Non comprændere mente.——

Et illa Xenophanis:

De superis, sed & his quæ cepi dicere cunctis,
Nullus homo fuit, aut qui possit certa docere,
Exsistet.—— sed & Socratis verba apud Platonem, eiurantis istarum rerum noticiam. Minus enim poëtis tanquam istorum aliquid scientibus animum advertent, qui videbunt de iis rebus philosophis quoque pronunciaturis velvti vertiginem quandam obortã. Magis quoq; adhuc cautũ eum reddemus, si simul atque eum ad poëmata applicamus, ipsam poëticam ei describamus: artem nimirum eam esse imitatricem, pingendíque arti quasi

II. *Poëtica in imitatione consistit.*

ex

ex altera parte respondentem. Neque id modò auditum habeat omnium sermone tritũ, quo loquentis picturæ nomine poëtis, pictura tacentis poëtis afficit: sed præterea quoque eum doceamus, quòd pictam lacertã, aut simiam, aut Thersitæ faciem vidẽtes delectamur, miramúrq; nõ pulcritudinis, sed similitudinis causa. Suapte. n. natura fieri id quod turpe est pulcrũ, nõ potest: imitatio, siue pulcrę siue turpis rei similitudinẽ exprimat, laudatur: eadẽmq; rursus, si pulcram turpis corporis imaginem effingat, decorum non seruauerit. Pingunt etiam quidam actiones absurdas, vt Timomachus Medeam liberos necantem, & Orestem matri necem inferẽtem Theo, Parrhasiúsque Vlissis simulatam insaniã, & Chærephanes mulierum cum viris impudicã cõsuetudinem. In his adolescens maximè est adsuefaciendus, vt discat rem quæ imitatione est expressa, non laudari: sed artem, quæ id quod propositum erat, rectè repræsentauerit. Quando igitur poëtica etiam ars sæpenumerò turpes actiones, & prauas affectiones moréq; imitãdo exponit: adolescentis est, id quod in his præclarè elaboratũ admiratione meret, neq; probare vt verũ, neq; amplecti vt pulcrũ: sed eatenus laudare, quatenus argumento cõgruit. Quomodo enim porci grunnitũ, & trochleæ stridorem, & venti fremitum, & maris strepitũ, non sine molestia audimus: si quis verò cõmodè ea imitetur, vt suem Parmeno, & trochleas Theodorus, delectamur. & morbo captos homines, aut suspectæ valetudinis, tanquam spectaculum iniucundum fugimus: Aristophontis verò Philoctetam, & Silanionis Iocastã ad similitudinẽ cõtabescentiũ & morientium effictos, cũ gaudio videmus. sic adolescẽs, vbi leget quæ Thersites scurra, aut Sisyphus corruptor, aut Batrachus leno, agens vel loquens in poëmate introducitur, sciat arté imitatricẽ laudandã: quæ verò ista imitatione affectiones & facta ex-

primuntur, reiicienda esse, atque vituperanda. Non enim idem est, rem aliquã esse pulcram, & eam imitari pulcrè: quorùm hoc in decoro & conuenientia consistit, turpibus autem turpia conueniunt. Quippe Demonidis etiã claudi illius, quas eius qui furto eas substraxisset pedibus congruere optauit, crepidæ, erant quidem eæ malæ, sed Demonidi aptæ. Iam hæc,

Nam si violandum est ius, regnandi gratiã
Violandum est.— &,
Existimationem iusti fac pares,
Sed lucri causa quid vis interim face. &,
Quod ni precariò talentum cepero. &,
Viuam talento neglecto, & gratus sopor
Obrepet: atq; flagitij, hoc argenteum
Propter talentum quod patraui, non quidem
Apud inferos pœnas luam:

hæ quidẽ improbæ sunt, & falsæ orationes: sed quales Eteoclem, Ixionem, senem fœneratorẽ deceant. Ergo si adolescentulos moneamus, hæc eos non vt quæ laudi vertant atque probent, sed ita scribere vt absurda ac mala, ideóque moribus & personis improbis attributa: nunquã ij opinione de poëtis cõcepta decipientur. Quinimmò de loquẽtis persona suspicio insinuata, & factũ & orationem suspectam reddet, vt mala, & à malis profecta. Tale est, quòd Homerus Paridem è prœlio profugum, cum Helena concumbere facit. Nam cùm neminẽ alium interdiu cũ vxore rem habere cõmemoret, extra intemperantem hunc & adulterũ: satis euidenter docet, se hoc de eo opprobrij & reprehensionis causa referre. Quo in genere magnoperè aduertẽdus est animus, sicubi poëta ipse contra ea quæ dicent, indicium suæ improbationis edit. quod in prologo Thaidis suæ Menander fecit:

Fine Iliad. γ

III. *Ipsi poëtæ de dictis iudicium vbi ferunt.*

Ergo mihi talem velim dea tu canas,

Auda-

Audacia & forma simul & facundia
Quæ prædita, exerceat iniuriis suos
Procos, domo excludat, crebróq; postulet
Munera, simulans amare semper, nullum amet.

Optimè omniũ Homerus hoc est vsus genere, malè dictis reprehensionem, bene dictis commendationem præmittens. Hæc ita:

Mox ille hæc blanda est astutè verba locutus. Itẽ: *Odyss. ζ, 148.*
Hunc ille assistens pulcro sermone tenebat.

Illud verò agens, tantùm non protestatur ea se non dicere aut probare, quippe inepta & praua. Exempli gratia: narraturus quomodo sacerdotem Agamemnonem inhumaniter tractauerit, hæc præmisit: *Iliad. β, 189*

Non hæc Atrides Agamemnon dicta probauit, *Iliad. α, 24.*
Sed malè reiecit, — id est, sæuè & superbè,

ac præter decorum. Achilli etiam ferocem hãc tribuens orationem,

Ebrie, cui cerui est pectus, vultúsq; caninus: *Ibidem 223.*

suum de ea iudicium addit,

Rursum Pelides prauis Agamemnona regem
Impetiit verbis, neq; adhuc dimiserat iram.

consentaneum quippe est, nihil per iram & vehementiam rectè dici. Sic & de factis:

Sic fatus, facinus concepit in Hectora diuum *Iliad. ψ, 24.*
Immane: extẽdens quem pronũ ad strata Patrocli, etc.

Præclarè etiam in fine dictum quoddam, quasi calculum dictis factísve adiungit. Quale est, cùm deos facit de adulterio Martis ac Veneris dicentes:

Successu mala facta carent: celerem quoque tardus *Odyss. θ, 329.*
Assequitur sontem vindex. —

& de Hectoris superbia atque iactantia:

Talia iactanti Iuno succensuit alma. *Iliad. θ, 198.*

& de Pandari sagittatione:

Hoc animum stulti Pallas sermone fefellit. *Iliad. δ, 104.*

Huiusmodi effata & sententias quivis sanè deprehenderit, modò animum animadvertat. Alia in ipsis rebus documenta exhibêt: quemadmodum Euripides fertur Ixionem vt impium flagitiosúmq; conviciantibus dixisse: enimverò nõ antè eum è scena eduxi, quàm rotæ affigerem. Apud Homerum id mutum doctrinæ genus extat, considerationem habês vtilem iis in fabulis etiam, quæ maximè vituperantur. Quas allegoriis (ita enim nunc vocant, cùm aliud dicitur, intelligitur aliud: antiqui hyponœam, ab occulto qui subesset sensu nominabant) nonnulli aliò detorquentes ac pervertêtes, indiciũ de Venere à Marte adulterata Solem detulisse aiunt hoc sensu, quòd Veneris sideri sidus Martis congressum adulterio obnoxias natiuitates reddat: Sole autem rursus elato & deprehendente ea, non lateant. Ita
Iliad. ξ. 170 quòd se Iuno ornauit Iouem aggressura, & veneficium cesti, volunt esse aëris quandam purgationem, ad igneam accedentis naturam. Quasi verò nõ ipse interpretationem poëta addiderit. Nam in Veneris fabula, eos qui animum advertunt, docet, Musicam prauam & cantilenas malas, sermonésque de rebus vitiosis facere ad corrumpendos mores, efficeréq; vitam effeminatam, & viros luxum, molliciem, consuetudinémque mulierum amantes, ac

Odyss. ϐ. 249. *Mutatas itidem vestes, calida atq; lauacra,*
Et thalamos. — Idcirco Vlisses eti facit citharœdo præcipientem,

Ibidẽ 492. *Hinc age digressus, potiùs quæ machina cepit*
Vrbem Dardanidûm, canta. —

pulcrè docens, musicæ & poëticæ argumenta à prudentibus esse & cordatis petenda. In Iunonis fabula optimè demonstrauit consuetudinem mulierum cum viris, gratiámq; quã eæ veneficio & præstigiis ac dolo sibi conciliant, nõ modò in diem durare, ac fastidiosam esse, & instabilem; sed in odiũ præterea ini-

inimiciciámq; mutari, poſtquam voluptas evanuit. Sic enim enim ei Iupiter in hanc ſententiã minatur:

Vt videas, iuuet an Venus hæc te, concubitúſque, Iliad. e, 32.
Quo mihi clam ſuperis fraudem commixta ſtruebas.

Nimirum effictio & imitatio facinorum malorum, vbi ſimul dedecus atq; damnum inde autores conſecutum proponitur, non incommodum, ſed vtilitatem adfert auditori. Philoſophi quidem exemplis vtuntur, eáque ad cohortandum & inſtituendũ ſumunt, quæ ad manum ſunt: at poëtæ idem hoc agũt, exẽpla ipſi fingentes, ac fabulas proponentes. Sanè Melanthius, ſiue ſeriò id, ſiue ioco, Atheniẽſium ciuitatem conſeruatam fuiſſe dixit oratorum diſſidiis atque turbis: ita enim non in vnum vniuerſos parietem inclinaſſe, ſed eorũ qui rempublicam tractabant in diſſidio quippiam fuiſſe, quod recelleret à damnoſa parte vrbem. Poëtarum quoque contradictiones, quibus fidem dictorum dubiam faciant, non ſinunt ea ad nocendum ſatis momenti habere. Vbi ergo iuxta ſe poſita contraria dicta apud illos evidenter ſunt, meliori parti adſtipulandum eſt, vt in his:

IIII. *Contraria poëtarum dicta.*

Multis homines in rebus decipiunt dij,
Mea proles, atque dura conciliant mala.
FIL. *Dixti id, nihil quo facilius dictu eſt, deos*
Incuſans.— Item,
Non copia auri te gaudere hac addecet?
R. *Ditem eſſe, núlque ſcire præterea, malum eſt.*

Item:

Quid ergo? mortem te númnam oppetere expedit?
R. *Ita nam piè colere deos, non eſt labor.*

Hęc & horum ſimilia dubij ſolutionẽ habent promtam: ſiquidem, vti dictum eſt, iudicium adoleſcentulorum ad meliora dirigimus. Quòd ſi qua abſurdè dicta ſunt, neque ſtatim ſoluta: ea refutanda

sunt iis quæ in contrariam partem ab eodem alibi dicta sunt. neque succensendum poëtæ, aut molestè is ferendus, sed ea improbanda quæ vulgato more & per iocum dicta sunt. Statim adversus ea quæ apud Homerum exposita sunt, deos alium ab alio de iectum, & sauciatos ab hominibus fuisse, inter se discordias & odia exercuisse, ita ei occines:

Iliad. v, 358. *Rectius hoc aliquid poteras sermone poëta*
Sentire, & multo melioribus edere verbis.

ac sentis profectò melius, & loqueris alibi rectiùs hæc ipsa:

Odyss. δ, 805. *Dij facilem vitam ducentes.*— &,
Hîc sese oblectant superi sine fine beati. &,
Odyss. ξ, 46. *Hunc superi statuêre modum mœrore carentes,*
Iliad. ω, 525. *Viuendi miseris mortalibus.*—

Hæ enim sanæ sunt & veræ de diis opiniones: ista ad animos hominum percellendos conficta. Rursum Euripide dicente,

Multis dij formis homines sophismatum,
Quòd his potentia præstant, in fraudem agunt:

inferre expedit, quod rectius idem dixit,

Si turpe dij faciant aliquid, non sunt dij.

Et cùm Pindarus acerbè admodum, & ad iritãdum accommodatè dixerit:

Verum est, cuncta delendi hostis gratia agere:

ipsius verbis ei respondebimus, quod dicit,

Fine voluptas acerbissimo iniusta clauditur.

Ac Sophocle dicente,

Suaue est lucrum, profectum etiam à mendacio:

respõdebimus, At verò teipsum audiuimus dicere,

Mendacibus verbis fructum haud succedere.

Et ad ea quæ de opibus protulit,

Omnia diuitiis, quamvis in via, pervia. &,
Voti sui pauper neq; compos maximè

Cùm

Cùm fit, potitur.——
Nam turpe corpus, & nullius nominis
Visu pulcrum facundia reddit, & elegans:

his multa opponet lector Sophoclea: de quibus & hæc sunt:

In honore pauper etiam quin sit, nil vetat. &,
Deterior haud est pauper, quicquam si sapit. Atq;,
Nam quæ bonorum sit multorum gratia?
Autor malorum prosperas quando fouet
Diuitias cura.——

Menander quidem extulit apertè voluptatis studiũ, animósq; vanitate impleuit, amatoria ista & feruida cantans:

Quæcunque viuunt atq; nobiscum iubar
Solis vident, voluptati omnia seruiunt.

At idem nos rursus circumegit, & ad honestatem retraxit, luxuriæq; ferocitatem repressit, ita fatus:

Vtcunque sit iucunda, si turpis siet,
Opprobrium est graue vita.——

hæc prioribus adversantur, meliora sunt autem & vtiliora. Ergo alterum horum necesse est ista cõtrariorum dictorum iuxta se collocatio & cõsideratio efficiat: aut ad meliorem partẽ traducet, aut fidem quoque deteriori derogabit. Sin eveniat, vt ipsi eorum quæ absurdè dicta sunt refutationem non præbeant: nihil obstat, quin aliorum probatorum autorum contraria dicta velvt in trutina cum his comparantes, quid rectius sit experiamur. Velvti cùm Alexis aliquos mouet his verbis:

V. Dicta fide dignorũ hominum, poëticis opponenda.

Sapientis est voluptates sectarier.
Tres inter has potentia sunt præditæ,
Verè vtilis quæ sit vitæ mortalium:
Edere, bibere, Veneríq; muneribus frui.
Accessionis omnia reliqua sunt loco.

tenendum hoc est, Socratem contrà dixisse, Malos

viuere edendi & bibendi causa, bonos vitæ gratia tolerandæ edere & bibere. Adversus eum qui scripsit, Contrà malum esse maliciam nõ inutile armorum genus: cùm is iubeat nos quodãmodo adsimilari malis: Diogenis illud obiiciẽdum est, qui interrogatus, qua quis ratione vlciscì inimicum posset, respondit, Si ipse quàm optimus fiat. Eodem Diogene etiam contra Sophoclem vtendum, qui multa hominum millia animi ægritudine afflixit, de mysterlis hæc scribens:

His qui sacris visis abeunt ad inferos
Homines, beati sunt: solis quia viuere
Contingit illic istis. turba cætera
Omnium malorum generi incidit.—

At verò Diogenes cùm tale aliquid inaudiuisset, Quid ais, inquit? númnam melior conditio erit Patæcionis furis, eo quòd sacris est initiatus, quàm Epaminondæ? Timotheo sanè in theatro Dianam canenti, insanam, furiosam, diuino instinctu cõcitam, rabiosam: Cinesias statim occinit, Talis tibi contingat filia. Elegans & illud Bionis ad Theognidem. cùm enim Theognis diceret:

Paupertate etenim devicto lingua ligata est,
Vt facere aut fari iam nihil ille queat.

VI. *Adiacentia.* Bion cõtrà: Quomodo, ait, ergo tu pauper cùm sis, tã multa nugãdo & garriẽdo nos obtũdis? Neq; verò eæ quę ad corrigendum dictum præbentur ex adiectis & vnà pronunciatis verbis occasiones sunt prætermittendæ. Sed quemadmodum medicipedes ac alas cantharidis, cùm quidem ipsa sit mortifera, prodesse, & dissoluendi vim habere putant: sic in poëmatis quoque siquod est nomen aut verbum adpositum, quod efficiat quò minus ad deteriorem sententiam abducamur, arripiendum est, ádque

ádque explicationem adhibendum. Sicvt quidam in his Homericis versibus faciunt:

Scilicet hoc miseris mortalibus est tat honoris,
Vt lacrymis malásque rigent, penántque capillos. &,
Hunc superi statuêre modum mœrore carentes
Viuendi miseris mortalibus.—

Odyss. δ. 197. Iliad. ω, 525

Non enim simpliciter omnibus hominibus miseram vitam à diis fatali necessitate destinatam dicit, sed stultis ac imprudentibus: quos, prauitatis suæ causa miserabiles cùm sint, miseros solet appellare, & ærumnosos. Alius porrò modus est, quo quæ in poëmatis suspecta sunt, in meliorem partem vertuntur, qui ex vsu vocabulorum pendet: in quo magis decet exerceri adolescentem, quàm in iis quæ glossæ dicuntur. Nàm neque inelegans quidem est, & eruditum, scire verbo δηιδανὴ malam mortem adferens significari: quia Macedones δανὸν mortem nominant. Sic Aeoles victoriam κεμμονίην, permanendo nimirum & tolerando partam. Et πένπους Dryopes, quos alij dæmonas. At verò illud necessarium iuxtà atque vtile, si non damnum volumus, sed vtilitatem ex poëmatibus percipere, vt cognitum habeamus, quomodo deorum nominibus poëtæ vtantur, itémque bonorum & malorum: & quid animæ aut fati vocabulo intelligi velint: vtrùm scilicet hæc apud eos vno tantùm modo, an verò pluribus sumantur, cuius generis sunt multa alia. Nam οἶκος aliquando significat domum, vt οἶκον ἐς ὑψόροφον, — aliquando rem familiarem, ἐδαίσαί μοι οἶκον. Et βίοτος aliàs vitam,

VII. Vsus vocabulorum.

Odyss. ε, 42. Odyss. δ, 318

—ἀμυνλίωσιν δέ οἱ αἰχμὴ

Iliad. ν, 562

κυανοχαῖτα Ποσειδάων βιότοιο μεγήρας. aliàs facultates, —βίοτον δέ οἱ ἄλλοι ἔδουσιν. Et ἀλύειν est vbi pro morderi, & animo æstuare sumitur:

Odyss. ν, 419. Iliad. ε, 352.

Ὡς ἔφαθ', ἡδ' ἀλύσθ' ἀπεβήσατο, τάρπετο δ' αἰνῶς.

alio loco pro gestire, & lætitia exultare: vt hîc,

Odyss.σ,332 ὦ ἀλύεις ὅτι ἶρον ἐνίκησας τὸν ἀλήτην.

Et θοάζειν vel moueri significat, vt apud Euripidem,

Invitio Oedypi tyranni. Κἄτ' ἐθοάζον ἐξ Ατλαντικῆς ἁλός: 5

vel sedere, id est θαάσσειν: vt cùm Sophocles scribit,

Τίνας πόθ' ἕδρας τάσδε μοι θοάζετε.

Scitum est etiam, vsum vocabulorum rebus subiectis aptare, quemadmodum Grammatici docent, alibi aliud significantium. Quale est, 10

Hesiod. Operibus. Νῦν ὀλίγῳ αἰνεῖν, μεγάλῃσ' ἐνὶ φορτία θεῖναι.

αἰνεῖν enim hîc ἐπαινεῖν significat, id est, laudare: laudare autem pro recusare ponitur hoc loco. sicvt vsitatum nobis est dicere, Bene habet, & Valeat, cùm 15 aliquid nolumus, & non accipimus. Atque sic quidam aiunt Proserpinam vocari ἐπαινήν, quasi aspernandam. Hanc ergo vocum distinctionem maioribus in rebus & magis seriis obseruantes, à diis incipiemus docere adolescētulos, quòd deorum nomi- 20 nibus poëtæ vtantur aliquando cùm de ipsis iis intelligi volunt: aliquando commune vocabulum facultatibus iis tribuentes, quæ ab iis proficiscuntur. In promtu est Archilochi exemplum, à quo satis liquet ipsum Deum invocari his versibus: 25

Tu mea propicius vota ô rex Mulciber audi,
Adésq; supplici, & largire quæ soles.

Cùm autem sororis maritum qui in mari perierat, neque legitimam sepulturā consecutus erat, deplorans, æquiore ait animo se eam calamitatem latu- 30 rum fuisse,

Si caput illius pulcráque membra simul,
Vulcanus puris tunicis velata cremasset:

de igne, non de deo hæc loquitur. Rursum Euripi- 35 des his verbis in iuramento vtens,

Non, per Iouis Martísq; cruenti sidera:

ipsos

ipsos deos nominauit. Sophocle autem dicente,

Cæcus Gradiuus, vsúsque expers luminum,
Confundit omnia, aper velut, mala impetu:

intelligendum est nomine Martis bellum. Eodémq; æs in illis Homeri:

Quorum nunc atrum tua propter Xante cruorem Iliad. x, 329.
Flumina Mars diffudit acutus.——

Cùm verò talia multa dicantur, sciendum est, memoriáque tenendum, ipso etiam Iouis nomine aliquando ipsum Deum, nonnunquam fortunam, sæpe etiam fatum nuncupari. Cùm enim dicunt,

Iuppiter, à celsa genitor qui consulis Ida. &, Iliad. γ, 276
Te quis sapientiorem se Iuppiter putet?

ipsum Iouem dicunt. Cùm verò in causis eventorũ Iouem nominant, & dicunt:

Ille animas validas multas detrusit ad Orcum. &, Iliad. α, princip.
Consilij Iouis hic fuit exitus:——

fatum intelligunt. Non enim putat deum poëta hominibus mala struere: sed rerum necessitudinem rectè indicat, quòd scilicet fato prosperitas & de hostibus victoria destinata sit ciuitatibus, exercitibus & ducibus modestiam seruantibus: sin verò affectibus obsequuti peccent, (sicvt isti secum dissident & tumultuantur) indecorè agere, perturbari, & infortunium habere eodem fato eos cogi:

Fatale namque consilia est propter mala
Mortalibus tristes rependier exitus.

Hesiodus verò vbi Prometheum inducit fratri Epimetheo suadentem, ne à Ioue vlla dona accipiat, sed ea aliò dimittat: Iouis nomen de potentia fortunæ vsurpauit. Bonis enim fortunæ tribuit appellationem donorum Iouis, opibus, coniugiis, imperiis, & omnibus in vniuersum externis bonis, quorum possessio inutilis est rectè vti iis nescienti. Itaque etiá Epimetheum, hominem vitiosum & fatuum, cauere Ἔργων α.

sibi iubet, & metuere à rebus secundis, damno nimirum ei & exitio futuris. Iterum vbi ait:

Lib. 2.

Nunquam pauperiem diram, exitiúmq; animai
Exprobare ausis homini. namq; illa deorum
Est munus:—— diuinitùs datum vocat, id, quod fortuna obtigit: innuens, non esse eos culpandos, qui fortunæ iniuria pauperes sunt: cum ignauia potius, socordia, mollicie & luxu coniunctas diuitias in turpibus & vituperatione dignis habendas. Cùm enim fortunę nomen nondum vsurparetur, scirent autem illi, vim eius quæ nullo ordine nullisque finibus contenta vagatur causæ validam esse, humanóque consilio evitari non posse, deorum nominibus eam extulerunt. quomodo nos etiam res, mores, ac orationes adeò hominésq; solemus diuinos appellare. Hac ratione corrigi debent multa ista, quæ absurdè dicta de Ioue videntur, vt hoc:

Iliad. ω, 527.

Dolia namq; Iouis duo sunt sita limine in ipso:
Hoc aduersa, illud sed prospera fata replerunt. Item,

Iliad. κ, 69.

Namq; fidem Iuppiter sacramenti ipse fefellit,
Exitium parti monstrans se voluere vtriq;. Item,

Odyss. δ, 81.

Hoc tunc exitij Teucris fuit atq; Pelasgis
Principium, magno sic hæc statuente Tonante.

hæc, inquam, de fortuna & fato interpretabimur, quas causas, neque ratiocinando possumus assequi, neq; omnino in nostra sunt potestate. Vbi verò consentaneum, decorum & probabile est, ibi propriè poni nomen Dei iudicabimus. vt,

Iliad. λ, 542.

Priamides acies aliorum victor obibat,
Aiacem tantùm vitans Telamone creatum.
Succensebat enim meliori conserere auso
Iuppiter ipse manum.—— &,
Nam tales res curat Iupiter mortalium,
Aliis minuta dæmonibus tractanda dans.

Magnopere etiá alia sunt animadvertēda vocabula, multas

multas ad res accómodata, & variè vſurpata à poëtis. Quo ex genere eſt Virtutis nomen. Quia enim nõ prudentes modò, iuſtóſq; & bonos virtus præſtat in verbis & factis, ſed exiſtimationem etiam ferè & potentiam conciliat: idcircò & bonam famam ij, & potentiam virtutis nomine afficiunt. quomodo caſtaneæ fructũ caſtaneam, & nucis nucem, communicato nomine dicimus. Noſter proinde adoleſcentulus, vbi apud poëtas legerit, *Virtus.*

Numina virtuti ſudorem præpoſuerunt. &, *Heſio. Operibus.*
Ruperunt Danai iam tum virtute phalangem. Item, *Iliad. λ, 90.*
Quòd ſi fata iubent nunc vitam claudere morte,
Mors eſt pulcra quidem hæc, virtuti immergere vitam.

hæc legens, ſtatim cogitet dici hæc de præſtantiſſimo & maximè omnium noſtrorum diuino habitu, quem rationis rectitudinem, & naturæ ratione præditæ perfectionem, animíq; conſentientem ſecum affectionem intelligimus. Rurſum hæc legens,

Virtutem Iupiter mortalibus addit & aufert. &, *Iliad. υ, 242.*
—— diuitias virtus & fama ſequuntur;

non deſideat diuites cum ſtupore admirans atque ſuſpiciens, quaſi verò ij pecunia emere virtutem poſſint, aut ſuæ prudentiæ incrementũ decrementúmve in fortunæ ſit poteſtate. Verùm hoc iudicet, virtutis voce pro gloriæ, potentiæ, ſecũdarum rerum, aut ſimilis alicuius rei nota poëtã vſum fuiſſe. Nam κακότητος etiam verbo aliquando maliciam & prauitatem animæ deſignant, vt Heſiodo:

τλῆ μ' γὰρ κακότητα καὶ ἰλαδὸν ἄχθος ἐλέσθαι. *α, ἔργων.*

aliquando calamitatem & miſeriam, vt apud Homerum,

Αἶψα γὰρ ἐν κακότητι βροτοὶ καταγηράσκουσιν. *Odyſſ. τ. 360.*

Quomodo is quoque falleretur, qui felicitatem eo modo apud poëtas accipi putaret, quo philoſophis ſignificat perfectum bonorum omnium habitum, ſeu poſſeſsionem & perfectionem vitæ ſecundum

naturam prospero cursu euntis : non sentiens abvti eos sæpè nomine,& qui diues sit, eum felicem ab iis appellari,aut beatum, potentiámque & famam bonam felicitatis vocabulo insigniri. Nam Homerus quidem rectè vtitur appellationibus istis:

Odyss.δ.93. *Non equidem gaudens ego posßideo bona tanta.*

Et Menander:

Amplæ facultates mihi sunt,& ab omnibus
Diues vocor:nemo beatum me vocat.

Euripides multum confusionis & turbarum infert, hæc scribens:

Medea. *Non sit mihi vita beata,quæ molesta sit. &,*
Tyrannidem tanti quid iniustam facis
Beatitatem?— nisi, vt dixi, translationem & abvsum vocum spectes. Ac de his quidem satis.

VIII. *Vitia virtutibus admixta.* Hoc nõ semel,sed sæpenumerò monendi sunt adolescentes,poëtin,cùm argumentum ei sit ad imitandum propositum, adhibere quidem eam ornatũ & splendorem rebus moribúsq; quæ pro argumento sumsit,illustrandis: interim tamen veritatis similitudinem non dimittere,quippe quæ in imitatione id habet quo lectorem delectet atque ducat. Itaque imitatio quæ non planè veritatis rationem nullam habeat, permixta actionibus virtutum & vitiorum indicia simul profert. Talis est Homeri poësis, quæ longum vale dixit Stoicis,neque virtuti vitium,neque vitio virtutem vnquam adesse censentibus, sed omnino vsquequaque insipientem peccare, sapientem rectè agere. Hæc sanè in scholis audiuntur. At in rebus ipsis vitáq; cõmuni,sicvt Euripides sensit,

Nunquam à malo seiungitur prorsus bonum:
Quædam sed est horum inter se commixtio.

Veritate remota poësis maximè varietate multiplici vtitur. Nam animorum permotionem, vtq; à ratione aliena res & ab opinione videatur, (quod &

ad

ad animos percellendos magnam habet vim, & ad parandam gratiam) fabulis imitationes conciliant: quod simplex sit, id neque fabulis est, neque animo perturbando aptum. Itaque neque vincentes semper eosdem, neque perpetuò rebus secundis vtentes faciunt, neque rem rectè gerentes. Adde, quòd ne deos quidem, cùm ij in humana incidunt negocia, affectuum vacuos & errorum sinunt esse: necvbi poësis, periculo & adversario de rebus sublato, otiosa planè sit, neque perturbans iam neque percellens animos. His ad hunc modum habentibus, adducemus ad poëmata adolescentem, non illam secum opinionem de claris illis & magnis nominibus afferentem, quasi sapientes illi & iusti fuerint homines, præstantissimiq; reges, & omnis virtutis atque rectitudinis normæ. Damnum enim caperet, omnia magna putans, & cum stupore admirans, nihil auditum improbans: neq; admitteret reprehendentem eos, cùm talia dicunt aut faciunt, quale hoc:

Sic pater ipse deûm faciat, sic cæsia Pallas, *Achilles.*
Sic Phœbus: mortem Teucrûm ne quis vel Achiuûm *Iliad. π, 97.*
Evitet. nobis detur superesse duobus,
Vt sacrata solo sternamus Pergama soli. Item:
Maxima tum trepidam subiit miseratio mentem, *Agamemno*
Cùm vox Cassandræ nostras pervenit ad aures *Odyss. λ.*
Mœsta, Clytemnestæ nobiscum fraude necatæ. &, *420.*
Me miscere patris iussit cum pellice corpus, *Phœnix.*
In senis invidiam quo me malesuada vocaret. *Iliad. ι, 452.*
Quod suasit feci.—— Item:
Non est te, Iupiter, superûm damnosior vllus. *Menelaus.*
Iliad. γ, 365

Condocefaciamus verò adolescentem, vt nihil tale laudet, neque versutus esse velit, & probabiles sectari prætextus, aut rebus malis speciosas præscriptiones excogitare. Id potius iudicet, poësin esse imitationem morum & vitarum hominum non per-

fectorum aut sincerorũ, aut ab omni reprehensione immunium: sed in quibus locum habeat multum perturbationum, opinionum, mendaciorum, ignorationum: quæ tamen ij ob naturæ bonitatem sæpenumerò corrigant. Hoc enim modo instructus adolescentis animus, nullũ ex auditione damnũ sentiet, elatus atq; concitatus ad ea quæ rectè dicuntur aut aguntur, cótraria indignè ferens ac repudians. Qui verò omnia admiratur, omniáq; familiariter amplectitur, iudicio Heroicorum nominum existimatione mancipato: is imprudens, multis se vitiis facilè obnoxium præbebit: quemadmodum iis evenit, qui curiositatem Platonis & balbutiem Aristotelis imitantur. Oportet autem eum non timidè, neque vt in templo superstitiosè ad omnia horrere, omniáque adorare: sed adsuetum audacter acclamare suo loco non minus, Malè hoc & inconvenienter, quàm, Rectè hoc & decorè. Verbi gratia: Militibus morbo correptis Achilles concionem cogit, vacationem belli ægrè ferens, maximè quòd ea suæ in bello gloriæ & præstantiæ officeret. Atque vt erat rei medicæ peritus, post nonũ diẽ, quo iudicari talia natura fert, sentiens morbũ non esse vulgarem, aut ab vsitata aliqua causa profectũ, surgénsq; ad dicendum, non populo se accommodat, sed consiliarium regi se præbet:

Iliad. α, 54, ac deinceps.

Nunc equidem retrò miseris erroribus actum
Atrida in patriam redituros suspicor iri.

Rectè hæc, moderatè & decorè. Cùm autem vates dixisset, se potentissimi Græcorum iram metuere: iurans se viuo neminem illi manus illaturum, non rectè iam, neque moderatè hoc adiicit,

—siue ipsum Agamemnona dicas:

ostendens pro nihilo se ducere principem, ac despicere. Magis deinde iritatus gladium arripit, trucidandi regis cupiditate, neque rectè, neque vtiliter. Mox pœnitentia ductus,

Ingen-

Ingentem rursum vagina condidit ensem,
Parens consilio Tritonidis.——

rursum hoc rectè & præclarè, quòd cùm iram omnino avertere non potuisset, eâ tamen rationi obtemperare coëgit, priusquam ad flagitium erumperet. Rursum Agamemno ridiculus est, in iis quæ in concione dicit atq; gerit: gravitatis plus adhibet, & regij decori in Chryseidis negocio, quàm in simili causa Achilles. Hic enim, cùm Briseis abduceretur,

Consedit lacrymans, sociis procul inde relictis.

Agamemno ipse in nauem imponens, tradens, & amandans eam, quam antè sibi vxore sua chariorem dixerat, turpe aut amatorium nihil agit. Iam Phœnix à patre ob pellicem diris devotus, ait:

Hunc ferro iugulare ego sum meditatus acuto: *Iliad. x. desunt post versum 457.*
Verùm aliquis superûm rabidam compescuit iram,
Et famæ admonuit popularis. dura vereri
Tunc animo subiit varij convicia vulgi:
Ne patris occisor Græcos ego dicier inter
Perferrem.——

Sanè Aristarchus sustulit hos versus, metuēs * Sed tempestiuè positi sunt, Phœnice Achillem docente quid rei sit ira, ac quæ per iram homines audeant, ratione non vtentes, neque consulentibus obtemperantes. Nam & Meleagrum inducit, ciuibus iratum, & deinde placatum. rectè perturbationes animi vituperans: vtq; rem bonam & vtilem laudans iis non obsequi, sed resistere, eas superare, ac pœnitudine earum duci. Ac in his quidem manifestum est discrimen. Vbi verò obscura est sententia, attento animo sic (exempli causa) distinguendum est. Siquidem Nausicaa peregrinum virum Vlissem conspicata, eodémq; quo Calypso erga eũ modo affecta, (quippe delicatè viuens, & nuptiis matura) hæc ad ancillas stultè verba loquitur, *Ibid. 549. & inde.*

IX. *Consideratio dictorum, aut factorum.*

Odyss. ζ. 244. *O vtinam tali me iungant fata marito,*
Hícq; illi lubeat nobiscum ducere vitam:

reprehensionem audacia eius meretur, ac impudicicia. Sin ex sermone viri ingenium perspiciens, admiratáque alloquium eius ita prudens, optat talem sibi potiùs maritum, quàm nauicularium aliquem, & saltatorem ciuem: admirationem meretur. Item, Penelopa cum procis comiter colloquente, iisque vestimenta & alium mundum donantibus, Vlisses lætatur:

Odyss. σ. 281. *Dona quòd illorum captans, animos fallebat.*

Hìc si Vlisses captione munerum, & lucro gaudet, Poliagrum quoque infamem lenocinij causa in comœdiis superat. de quo est illud:

Poliagrus est felix, cœlestem qui domi
Opes ipsi parantem alit capram.——

Sin eo magis illos in sua potestate fore arbitratur, nihil tale ob spem futuri expectantes: delectatio eius & animi confirmatio rationem habet. Rursum in numerandis donariis, quæ Phæaces vnà cum ipso exposuerunt, ipsíq; avecti sunt: siquidem hoc modo in solitudine constitutus, & adeò ignarus incertúsque quid de se factum esset, de iis tamen verè solicitus est, ne

Odyss. ν. 216. *Abstulerint secum naui Phæaces euntes:*

miseranda est, immò abominanda meherclè hominis auaricia. Quòd si, vt nonnullorum fert opinio, de Ithaca ambigens, quòd salua essent dona, id pro demonstratione pietatis Phæacum accipit, (non enim sine lucro deportaturos eum fuisse in alienam terram, intactísq; bonis istis relicturos) neque inepto vtitur argumento, & prudentiam par est laudari. Sunt qui hanc ipsam expositionem, siquidem revera dormiens est è naui expositus, reprehendunt. & aiunt apud Etruscos etiamnum narrari, somniculosum fuisse Vlissem, ideóque à multis difficulter potuisse

potuisse compellari. Quod si is non fuit re ipsa somnus: sed cùm & puderet eum Phæaces sine xeniis, nullâque humanitatis officia expertos dimittere, & ipsis tamen præsentibus latêre hostes non posset, somno simulato hac se difficultate expediuit: probât. Hæc ergo adolescentibus demonstrantes, non patiemur eos ad prauos mores momento aliquo impelli, sed ad delectum imitationémque bonorum: statim vbique quid laude, quid vituperatione dignum sit, docentes. Maximè id in tragœdiis adhibendum est, vbi turpibus ac prauis factis sermones accommodantur probabiles & astuti. Non enim verum prorsus est Sophocleum illud,

Non uerba factis à malis ueniunt bona.

nam & ipse solet moribus perversis, & factis prauis, rationes quæ arrideant, atq; benignas excusationes applicare. Et in eadem scena versatus alter, vides vt faciat à Phędra porrò etiam ipsum incusari Thesei, cuius scilicet iniuriis ad amorem Hippolyti fuisset adacta. Eandémque dicendi libertatem in Troadibus Helenæ tribuit, quæ Hecubam vt adulteri genetricem, quàm se, digniorem pœna affirmet. Horum ergo nihil scitum aut callidum arbitrari adolescens adsuescat, neque huiusmodi verborum commentis arrideat: sed magis quàm ipsa impudica facta, orationes huiusmodi abominetur. Expedit etiam vbique causam eorum quæ dicuntur quærere. Ac Cato quidem puer etiamnum, facere quod iussisset pædagogus solebat: mandati tamen causam & rationem postulabat. Cæterùm poëtis non ita vt pædagogis aut legislatoribus parendum est, nisi rationem habeat quod proponunt. Habebit autem, si sit rectum: sin prauum, inane & vacuum esse apparebit. Sed plerique acerbè causas postulant, inquirúntque quomodo & cur dictum sit:

X. *Causæ dictorum inquirendæ.*

Nec cùm uina bibunt, supra cratera tenebis *Hesiod. ß. ἔργ.*

Tu cyathum.— &,

Iliad. δ. 306. *A curru quicunque suo transibit in axes*
Alterius, pugnet porrecta protinus hasta.

grauioribus verò sine vllo examine assentiuntur. cuius generis est:

Eurip. Hippolyto. *Animum uiri, quantumuis fortis, deiicit*
Culpæ patris matrisue conscientia. &,
Humili esse corde calamitosos conuenit.

Atqui talia ad mores pertinent, vitámque turbant, iudicio absurdis opinionibus deprauato, nisi adsuefacti ad singula dicamus: Cur abiecto animo esse debet qui passus est infortunium? Cur non potiùs reluctari fortunæ, séque ipsum erigere, & non deiectũ præstare? Cur si patre malo & stolido genitus, ipse bonus & prudẽs sim, non deceat me propter meam virtutem spiritus altos ducere, sed demissum esse & humilem ob patris inscitiam? Qui enim hoc modo obviam it & obsistit, neque se cuivis orationi tanquam vento obliquè impellendum exhibet, sed rectè illud dictum sentit. Stultus quovis verbo percelitur: is multa neque verè neque vtiliter dicta repudiabit. Hæc ergo sunt, quę poesis auditionem innoxiam præstabunt. Iam sicvt inter vitis folia ac palmites copiosos sæpe fructus occultatur, súbque vmbra latet: sic in dictione quoque poetica & fabulis circũfusis multa vtilia adolescentis conspectui subtrahuntur. Cæterùm id ferendum non est, neque à rebus aberrandum: sed inhærẽdum iis maximè, quæ ad virtutem ferunt, & formãdis moribus apta sunt. Itaque ex re est de his quoque breuiter tractare, ita vt delineatis modò rebus, longitudinẽ apparatúmque & multitudinem exemplorum iis relinquamus, quorum ad rem demonstrandam scriptio instituitur. Principio bonas malásque personas indolésque cognitas habens adolescens, sermonibus animum factísque aduertat, quas vtriq; generi poeta decenter

XI. *Occultus sensus inuestigandus.*

ter attribuit. Verbi gratia, Achilles ad Agamemnonem, quantumvis iratus, hæc dicit:

Non mihi quippe pares tecum tribuuntur honores, Iliad. κ, 163
Præmiaq; Argiuus quandoque exercitus urbem
Troianam capit. ——

Therſites verò eidem conviciũ faciẽs, ſic loquitur:

Aere tibi tua ſunt multo tentoria plena, Iliad. β, 326.
Captiuarum ingens numerus, quas urbe potiti
Eximias tibi nos aliqua damus. ——

Iterum Achilles,

——*Si Iuppiter olim* Iliad. α, 128
Concedet muris munitam euertere Troiam.

At Therſites,

Quem uel ego captum, uel quiſquam ducit Achæus. Iliad. β, 231.

Rurſum Diomedes, ad Agamemnonis exercitum obeuntis convicium, nihil ipſe reſpondet,

Nimirum reuerens uenerandi iurgia regis. Iliad. δ, 402.

Sthenelus autẽ, nullius homo nominis, hęc regerit:

Noli, cùm uerum poſſis, rex, dicere falſa.
Nos noſtris multo genitoribus eſſe priores
Virtute affirmo. ——

Hoc enim diſcrimen obſeruatũ docebit adoleſcentem, faſtus vacuitatem & moderationem animi rem eſſe præclaram: contrà, iactantiam & ſui laudationem, vt vitium eſſe vitanda. Atq; hîc vtile eſt etiam in Agamemnonem intueri, Sthelenum non allocutus præteriit: Vliſſem autem non neglexit, ſed reſpondit ac compellauit,

Iratum cernens, rurſuſq; ita dicere cepit. Ibid. 357.

Seruile enim eſt, omnibus ſe velle purgare: omnes autem deſpicere, ſuperbi eſt & imprudentis. Optimè verò Diomedes in pugna tacet, à rege convicio affectus: à pugna autẽ liberè adverſus eum loquitur,

Antè inter Danaos tu me uirtute carere Iliad. ι, 34.
Dixiſti: —— & cætera.

Expedit etiam, nõ prætermittere discrimen viri prudentis, & vatis in populi conventu multitudinis applausum captantis. Etenim Calchas, occasionis nulla ducta ratione, pro nihilo putauit in ipsa multitudine regem accusare, vt qui pestem populo intulisset. At Nestor de reconciliando Achillis animo sermonem illaturus, ne videretur Agamemnonem apud populum traducere, vt qui per iram peccasset, ita ei suadet:

Iliad. α, 94.

Iliad. ι, 70.

Conuiuas accerse senes: te res ea digna est.
Collectis multis, tum cuius cætera uincet
Consilium pare. —— atque à cœna legatos emittit. Nimirum hoc erat peccati correctio: illud criminatio, & contumelia. Quin & nationum discrimina sunt consideranda: quę sunt huiusmodi. Troiani ad prœlium eunt cum clamore & ferocia, Achiui autem

Iliad. γ, principio.

Ductorum taciti formidine.

Iliad. δ, 431.

Nam quod iam congressuri cum hoste duces suos metuunt, id signum est cùm fortitudinis, tum obedientiæ. Atque iccirco & Plato adsuefacere nos vult, vt repræhensiones & turpitudinem magis metuamus, quàm labores & pericula: & Cato rubentes sibi pallidioribus chariores esse dicebat. Sua est etiã promissionibus nota. Dolon enim sic pollicetur:

Iliad. κ, 325.

Vsq; adeò Græum prorsus pertranseo castra,
Donec ad Atridæ nauem peruenero magni.

Ibid. 220.

At Diomedes nihil promittit: in minore tamen metu se fore ait, altero sibi adiuncto aliquo. Græcanicum proinde est, & scitum, prudentia: barbaricum verò & vitiosum, audacia. & imitandum illud est, hoc aspernandum. Contemplationem quoque non invtilem habet affectio animi Troum, & Hectoris cũ Aiace singulari prœlio cõgressuri. Nam Aeschylus sanè, cùm Isthmico certamine pugil in faciem ictum accepisset, essẽtque exclamatum: Quid rei, inquit,

inquit, est consuetudo? spectatores vociferantur, ictus tacet. Et cùm poëta dicat, Aiace in armis cum splendore viso gauisos esse Græcos, cùm

Troum cuiq; graui quaterentur membra tremore, Iliad. ν,
Ipse etiam pulsum sentiret pectoris Hector. 215.

Quis hic non miretur discrimen? cùm eius qui adibat periculum, cor tantùm saliret, nimirum tanquã lucta aut cursu decertaturi: spectatorum autem quaterentur & tremerent corpora, ob benevolentiam & metũ quem gerebant pro rege. Hìc deprehendas etiã, quo optimus à deterrimo distet. Therſites em:

Pelidæ in primis fuit, atque inuisus Vlissi. Iliad. β,
220.

At Aiax cùm semper Achilli amicus fuit, tum ita ad Hectorem dicit:

Solus tu soli congressus nunc mihi, noſces Iliad. ν, 226
Quales: hìc Danais præstantes Marte supersint,
Præter Pelidam, qui dissipat agmina uasto
Robore, magnanimi cui pectus forte leonis.

In his Achilli s est laudatio. quæ sequuntur, commodè sunt de om nibus dicta:

Nos tales multi sumus, ut concurrere tecum
Possit pro, se quisque. ——

se neque solum, neq; præstantissimum dicit: sed qui cum multis hoc habeat, quod Hectorem subsistere queat. De discrimine hæc satis: nisi id quoq; assumimus, quòd Troianorum multi in potestatem hostium viui perve nerũt, nemo Græcorum. Et quòd illorum multi supplices facti sunt hostibus, vt Adrastus, Antimachi filij, Lycaon, ipséque Hector pro se pultura Achillem deprecans: horum nullus. quippe barbaricum esse, in pugna supplicare: Græcanicum, pugnando vincere aut mori. Cæterùm sicvt inter pascendum apis florem, capra germen, sus radicem, aliæ bestiæ semen fructúm ve captant: ita legendis poëmatis alius historiam decerpit, alius elegantiæ & apparatui verborum inhæret, (quomodo Aristo- Iliad. σ, 45: α, 125: φ, 73: χ, 338.

XII. *Moralia conseruanda præcipuè.*

phanes de Euripide ait,

Oris rotunditate eius quoniam fruor)

alius verò ea, quæ de moribus vtiliter dicta sunt, cõ sectatur. Iccirco eum, ad quem hic noster sermo pertinet, admonebimus: indignũ esse, si honestatis pulcríq; studiosus, & non ioci, sed doctrinæ capiendæ causa poëmata legens, obiter negligentérque perciat, quæ ad fortitudinem, temperãtiam aut iustitiã declamãtur in iis: cùm interim fabularũ studiosum, quæ in iis insolenter aut impendio ornatè, aut orationis studiosum, quæ eleganter & artificiosè dicta sunt, minimè lateant. Quæ ad virtutem pertinent, talia sunt:

Iliad. λ, 313. *Martia quo casu, Diomedes, pectore uirtus*
Excidit? huc assiste mihi. nam dedecus ingens
Hoc fuerit, naues capiat si splendidus Hector.

Videre enim hominem prudentissimũ in mortis periculo cum tota multitudine communi constitutũ, non mortis, sed turpitudinis metu duci, animo adolescẽtis ad virtutis studium motum afferet. Et hoc,

Odyss. γ, 52. *Gauisa est sapiente uiro, iustóq; Minerua:*

idem ratiocinari docet, cùm dea non diuite, aut formoso aliquo, aut robusto, sed prudente & iusto delectari fingitur. Rursum vbi eadem dicit se Vlissem non destituere aut negligere,

Odyss. ν, 332. *Quòd prudens, animóq; sagax, cordatus & esset:*

indicat, nihil de rebus nostris diis esse charum & diuinum, præter virtutem: siquidem similia gaudere similibus solent. Porrò cùm & videatur & sit magnum, iræ posse moderari: maius est cauere prudenter, ne ad iram delabamur, ac talia auditoribus non obiter sunt demonstranda. Verbi gratia: quod Priamũ Achilles, homo minimè lenis aut patiens, quiescere iubet, ne ab eo iritaretur:

Odyss. ω, 560. *Iritare senex cave me (namq; ab Ioue missus*
Nuncius est mihi: iámq; tuum tibi reddere natum

Decrevi)

Decreui) ne noſtra tibi tentoria cano
Non ſint tuta ſatis, uiolem præcepta Iouiſq;
Supplice te cæſo. —

lotúmq; & velatum Hectorem ipſe currui imponit, priuſquam eum pater videret turpiter tractatum:

Pectore ne mœſto ſenis exardeſceret ira, Ibid. 584.
Conſpecto nato, corq; iritaret Achillis:
Iſq; illum magni uiolans mandata Tonantis
Cæderet. —

Admirandæ eſt enim prudentiæ, hominem ad iram procliuem, naturáque aſperum & iracundum, ſeipſum non ignorare: ſed cauere ſibi, & declinare cauſas iraſcendi, eminúſque ſe ratione præmunire, ne vel inuitus in eã perturbationem delaberetur. Hoc modo & vinoſus contra ebrietatem, & adverſus amorem ad eum affectum propenſus ſe præparare debet. Quomodo & Ageſilaus non paſſus eſt oſculum ſibi dari à formoſo ad ſe accedente. & Cyrus, ne videre quidem Pantheam ſuſtinuit. Cùm contrà malè inſtituti materiam ſuis affectibus, ac tanquam fomites conquirant, ad eáq; vltrò ſe dent mala, ad quæ periculoſè ſunt propenſi. At verò Vliſſes non ſeipſum modò iratum cõpeſcit: ſed & Telemachum coligens iratum eſſe, & odio malorum occupatũ, multo antè retundit, continere ſe iubens, & tolerare.

Turpibus illi me uerbis factiſq; per ædes Odyſſ. π, 274.
Inceſſent: firmo tu noſtra opprobria perfer
Pectore. ſeu pedibus tractum me nate per ædes
Eiicient, ſeu miſſilibus manus improba adactis
Fortè petent: hæc tu cernens, tolerare memento.

Sicvt enim equos non in curſu, ſed ante curſum frænant: ſic eos qui difficulter continentur indignitate rerum obiecta, & iracundos, ratione occupare & temperare atq; ita demum ad certamina adducere conuenit. Ne nomina quidem negligenter ſunt VIII. Vocum obſeruatio.

adolescenti inaudienda. Ac Cleanthis quidem ludicra missa faciet, qui nonnũquam dum se interpretem fert, nugatur, vt in his:

Iliad. γ, 276. Ζεῦ πάτερ ἰδηθὲν μεδέων. — &,

Iliad. π. 233. * Ζεῦ ἄνα Δωδωναῖε. —

hoc ille legi vult vno vocabulo ἀναιδωδωναῖε, scilicet ita appellari aërem, qui à terra exhalando effertur. Chrysippus quoq; sępenumerò ieiunus est, non ludens, sed quod nulla probabilitate dicatur comminiscens, detorquénsq; verba hæc Εὐρύοπα Κρονίδλω

Odyss. β, 146. eò, vt sit vi dicendi præditus, eáque alios excedens. Præstat his ad Grammaticos ablegatis, iis insistere, quæ & vtilia sunt, & iuxtà vero consentanea.

Iliad. ξ, 444. *Nec mî cor suasit: didici quoniam bonus esse.* &,

Iliad. ξ, 671. *— namque sciebat cunctis esse benignus.*

Fortitudinem enim discendo parari pronuncians, comitatémque, & in consuetudine cum hominibus gratiam à scientia & ratione proficiscí statuens, hortatur ne nos ipsos negligamus: sed discamus quæ honesta sunt, & animum docentibus advertamus. quippe perversitatem & timiditatem esse insciticæ & ignorationis. Admodum his consentanea sunt quæ de Ioue & Neptuno dicuntur:

Iliad. υ, 354 *Amborum commune genus, patria una duobus.*
Sed natu Iupiter præcedit, pluraq; nouit.

Pronunciat enim, prudentiã esse diuinissimam rem, & maximè regiam: in qua Iouis summam ponit excellentiam, nimirum huic virtuti reliquas quoq; comitari sentiens. Adsuefacere quoque adolescentem debemus, vt & ista vigili animo audiat:

Odyss. γ, 20 *Est sapiens: non ergo tibi mendacia dicet.* &,

Iliad. ψ, 570. *Antiloche, antè quidem prudens, facinus modò quale*
Patrasti, nostræ virtuti dedecus addens.
Læsisti mihi equos. — &,
Cur absurda adeò es tu talis Glauce locutus,

Qui

Qui mihi uisus eras reliquis prudentior esse? Iliad.ρ, 171

nimirum docent hæc, neque mentiri homines prudentes, neque dolo in certaminibus vti, neque alios iniustè culpare. Idem dicens Pandaro stulticiam in causa fuisse vt fœdus cófunderet, iniusticiam abesse à prudentibus liquidò ostendit se sentire. Eadem de pudicicia licet ostendere, his insistentem: Iliad.β, 104.

Deperiit Prœti hunc coniunx Antea, coire Iliad.ζ, 160
Concubitu occulto cupiens, facinus tamen illud
Nunquam cordato persuasit Bellerophonti. Item,
Principio sanæ rectum rationis ob usum Odyss.γ, 264.
Diua Clytæmnestræ facinus tam turpe recusat.

In his prudentiam pudicitiæ causam facit. In exhortationibus porrò ad prœliũ identidem hęc ponens,

Non pudet, o Lycij? quorsum fugietis? an estis Iliad.π, 422.
Sic celeres? — Item,
Cordi cuique pudor sit, & indignatio iusta, Iliad.ν, 121.
Orto tam grandi certamine. —

hæc ostendunt, eum modestis adscribere fortitudinem, qui turpitudinis metu & voluptates vincere, & pericula subsistere possint. Qua occasione etiam Timotheus in Persis non malè hortatur Græcos,

Colite uerecundiam, adiutricem uirtutis bellicæ.

Aeschylus hoc quoque prudentiæ imputat, nullo fastu ad gloriam ferri, neq; insolescere aut efferri multitudinis laudationibus, sic de Amphiarao scribẽs:

Neque enim uideri, sed uult esse is optimus, Septem ad Thebas.
Sulcum profundum in pectore consitum gerens
Suo, uenerandaconsilia unde pullulant.

Cordati enim est hominis, sibi ipsi, animóque suo optimè affecto multum tribuere. Cum ergo omnia ad prudentiam revocentur, ostenditur doctrina omne virtutis genus parari.

XIIII. Vtilitas ex suspectis locis captanda.

Iam quemadmodum apis à natura hoc habet, vt ex acerrimis floribus, spinísque asperrimis, leniſsi-

mum mel optimúmq; eliciat: sic pueri in poëmatis rectè instituti, etiam ab his quæ absurditatis & prauitatis suspecta sunt, commodi aliquid & vtilitatis trahere discent. Prima fronte Agamemnon videtur auaricia ductus, à diuite isto equam Aetham accepisse, ipsiq; militiæ vacationem concessisse,

Iliad. ψ. 296.

Vnà uento sum ne miles ad Ilion iret:
Sed se diuitiis, quas illi Iupiter amplas
Præbuerat, patriis in sedibus oblectaret.

Attamen rectè (vt ait Aristoteles) fecit, bonã equam tali viro præferens. nam neq; canem, neque asinum mehercle precio æquat vir timidus & imbellis, diuitiis & mollicie diffluens. Rursum turpissimè videtur Thetis filium ad voluptates exhortari, & rei Venereæ admonere: verùm hic quoque ab altera parte continentia Achillis consideranda est, qui amata, & ad se redeunte Briseide abstinet, cũ sciret sibi finem vitæ instare: neque ad voluptates fruendas festinat, neq; (vt solent vulgò facere) amicum per ignauiam & intermissionem officij deplorat: sed præ luctu voluptatibus se abstinens, in agendo & exercitum ducendo strenuum se præbet. Item Archilochus non laudatur, quòd fororis maritum, qui in mari perierat lugens, vino & ioco mœrorem diluere cogitat. Causam tamen rationi consentaneam adducit:

Iliad. ω. 130.

Nam neq; restituam lacrymis, neq; deteriorem
Quærens delicias, uinàq; rem redigam.

Etenim si ille censebat se nihil mali facturum, si delicias & conviuia sectaretur: quomodo nobis præsens conditio fieret deterior philosophãtibus, rempub. gerentibus, & in forum progredientibus, & in Academiam descendentibus, & agriculturæ vacantibus? Itaque correctiones etiam istæ vitio carent, quibus Cleanthes vsus est, & Antisthenes. Hic enim tumultuantibus in theatro Athenienſibus ad versum hunc,

XV. *Correctiones.*

Quid

Quid turpe sit, nisi quod qui rem tractat putat?
subiecit hunc,
Quod turpe, turpe est: seu putes, seu non putes.
Ille versus de diuitiis,
Quod des amicis, atq; morbo languidum
Corpus reficias sumtu: —
sic immutauit,
Quod des meretricibus, atq; morbo languidum
Corpus conficias sumtu: —
Et Zeno Sophocleum illud,
Quisquis tyranni scilicet intrat in domum,
Fit seruus eius, liber etsi uenerit:
sic correxit,
Non seruus ille fit, si liber uenerit.
liberi nomine intelligens metu vacuum, & magnanimum, & infractum. Quid verò impedit nos quoque huiusmodi acclamationibus adolescentes in meliorem partem vocare? Sic ergo agemus.
Hoc illud expetendum hominibus maximè est,
Si quis sagitta curæ quod uult attigit.
non ita nos, sed
Curæ sagitta si tangit quod expedit.
Miserum enim est, nullóque modo expetendum, id consequi quod non expediat, quantumvis id volueris. Item,
Gaudere oportet & dolere te: pater *Eurip. initio Iphig. Aul.*
Neq; enim fruiturum rebus tantùm prosperis,
Agamemno, te creauit Atreus. —
immò dicemus:
Mediocribus gaudere te rebus decet
Vtentem, non dolere. nam neq;
Atreus fruiturum rebus tantùm prosperis
Agamemnonem creauit. — Rursum,
Eheu, malum mortalibus diuinitùs

Venit,

Venit, ut bonum uideant, non utantur tamen.
immò verò belluinum, nó diuinum est hoc malum, & brutum ac miserabile, melius videntem intemperantia & mollicie ad deterius rapi. &,

Mores mouent dicentis, haud oratio.
sanè & mores, & oratio: aut mores oratione, sicvt equus fræno regitur, & nauis clauo. non enim virtus aliud oratione humanius magísve familiare instrumentum habet. Tum hoc,

Mulieribus est mage deditus quàm masculis,
In utranque partem pulcritudo eum mouet.
rectiùs dixisset:

In utranque partem impellitur modestia.
Non enim dexteritatis est, sed siniſtri instabilísque animi, à voluptate & pulcritudine hác illâc transigi. Iam illud,

Metus deorum hominibus adest prudentibus,
nequaquam rectè: sed,

Prudentibus fiduciam afferunt dij:
metus causa cùm sint imprudentibus, ingratis, stultis, qui etiam eam vim quę omnis boni causa & principium est, damnosum suspicantur & metuunt. Tale ergo est correctionũ genus. Quomodo autem ad plures vsus vnum aliquod dictum accõmodari possit, rectè demonstrauit Chrysippus: nimirum id ad ea quæ eiusdem sunt generis transferendum. Sic quod Hesiodus dicit,

XVI. Vnius dicti ad res plures accommodatio. ἑρμοις α.

Non uel bos pereat, nisi uicinus malus adsit:
id & de asino, & de cane, & de omnibus eodẽ modo quæ perire possunt, accipitur. Rursum Euripides,

Quis seruus est? de morte pensi nihil habens.
hoc intelligendum est etiam de labore & morbo eũ loqui. Vt enim medici ad certum morbum adhibito medicamento, id facultate eius perspecta transferunt, deinde & accommodant ad quæcunque similia: sic orationem quoque communem, & quæ vsum

suum

suum publicare possit, non debemus vni affixam rei relinquere, sed ad omnia similia traducere: adolescentesque accuratè adsuefacere multis exemplis propositis, vt celeriter communitatem istam perspiciant, sentiántque expeditè quid quò familiariter transferri possit. Vt cùm Menandrum audiunt hæc proferre,

Felix, opes qui cum sapientia tenet:

iudicent hoc & de gloria itidem, & de principatu, & de facundia dictum esse. Et quibus verbis Achillem in Scyro inter virgines sedentem Vlisses increpat,

Generis illustre lumen extinguens tui,
Proles parentis Graiûm præstantissimi,
Lanificium tractas? ——

posse & prodigo dici, & turpi quæstui dedito, & socordi, & inerudito.

Potas parente natus Graiorum optimo,

aut tesseris ludis, aut coturnices cædis, aut caponaris, aut fœnebrem exerces rem, nihil magnum aut genere dignum cogitans?

Ne dixeris diuitias: non magni Deum
Facio hunc: parat facilè sibi quem uel pessimus.

ergo ne gloriam quidem, neque corporis formositatem, neque vestem imperatoriam, neq; coronam ex sacra festiuitate reportatã: quæ omnia etiam pessimis videmus contingere. Rursum,

Etenim metus turpes progenerat liberos:

& verò meherclè etiam intemperantia, & superstitio, & inuidia, & reliqua omnia vitia. Iam cùm optimè dixerit Homerus:

—— Infelix Pari, præstantissime forma. &,
—— Hector pulcerrime: (ostendit enim vituperio & opprobrio dignum, cui nullum pulcritudine præstantius adsit bonum) hæc similibus adaptanda porrò sunt, iísque reprimendi qui se efferunt ob res

Iliad. γ, 39: ζ, 142.

nullius

nullius precij: docendíq; sunt adolescentes, huiusmodi verba exprobrationes esse & convicia. Opibus præstantissime, conviuijs, pueris, iumentis, atq; adeò facundia. Oportet enim bona excellentissima sectari, inque primis rebus primum, & in magnis maximum esse. Gloria verò à paruis rebus & vilibus parta, ignobilis est, & non magni facienda. Atq; huius rei nos statim submonebunt exempla, cùm vituperationes & laudationes perpendimus: maximè in Homeri poëmatis. Magno enim argumento sunt, corporis & fortunæ bona non esse magni æstimanda. Primùm in congressibus & compellationibus, non formosos, aut diuites, aut robustos appellant, sed huiusmodi collaudationibus vtuntur:

Iliad. β. 173. & passim. O Ioue nate, uafer, Laertæ proles, Vlisses. Item,
O Priamo prognate, Ioui par consilio Hector. &,
Iliad. υ, 47. O Pelida, ingens Graiorum gloria, Achilles. &,
Iliad. π, 21. Diue Menœtiades, nostro gratissime cordi.

Tum in conviciando incessunt non ea quę corporis sunt, sed vitiis repræhensiones offerunt:

Iliad. λ, 607. Ebrie, cerui corde, & uultu instructe canino. Item,
Iliad. α, 225. Aiax stulte, alíisq; magis contendere gnare. Item,
Iliad. ψ, 483. Idomenee, quorsum blateras ita promtus? an usquam
Ibid. 474. Te blaterare decet? &,
Aiax præua loquens, iactator.

Iliad. β, 246. Deniq; Vlisses Thersitæ non claudicationem, non caluiciem, non gibbũ exprobrat, sed promiscuè garriendi vitium. Contrà Vulcanum mater blandè allo qui volens, à claudicatione titulum ei tribuit,

Capte agedum pedibus mî nate. ——

Iliad. φ, 361 Sic Homerus deridet eos quos claudicationis, cæcitatis, aut similium pudet: neq; vituperabile ducens, quod turpe non sit: neque turpe, cuius non penes nos, sed penes fortunã est causa. Hæc ergo duo præclara cõsequuntur, qui poëtis audiendis adsuescũt: ad moderationem, ne cui fortunam importunè stul-

téve

téve exprobrent: & ad magnanimitatem, vt adversis rebus non deiiciantur aut perturbentur, sed æquo animo ferant ſannas, convicia, ac riſus. Ac præſertim quidem Philemonis illud in promtu habendum:

Iucundius nihil eſt, neq; muſicum magis,
Quàm poſſe hominum maledicta æquo animo perpeti.

Vbi tamen dignus aliquis increpatione videbitur, vitia eius & animi morbi inceſſendi ſunt. Sic in tragœdia Adraſtus ab Alcmæone his verbis laceſsitus,

Tibi, quæ maritum interfecit ſuum, eſt ſoror:

reſpondit,

Matrem necaſti tu manu tua tuam.

Sicvt enim qui veſtes flagellant, ii corpora ipſa non attingunt: ſic qui fortunæ aut natalium damna exprobrant, ſtultè & incaſſum ij exteriora verberant, animam ipſam non attingentes, neque ea quæ revera correctione aut inſectatione indigent. Enimverò ſicvti ſuprà fidem derogare prauis & damnoſis poématis docuimus, opponendis præclarorum & in republica illuſtrium virorum dictis atq; ſententiis: ita quicquid in poëſi elegans inveniemus atq; vtile, demóſtrationibus id & teſtimoniis philoſophorum quaſi enutriemus atque augebimus, híſque eorum inventionem adſcribemus. Iuſtum enim hoc eſt & vtile, corroborata ita & aucta fide, cùm iis quæ in ſcena dicuntur, aut ad lyram cantantur, vel in ſchola diſcuntur, Pythagoræ Platoníſve decreta conſentiant, & Chilonis præcepta: eodémque tendãt Biantis ſententiæ, quò iſtæ pueriles prælectiones. Itaque de induſtria oſtendendum eſt, quod hæc,

Non mandata tibi, nata, eſt curatio belli: Iliad. ε, 428
Sint tibi coniugij ſuauiſſima munia curæ. Item:
Nam tibi ſuccenſet Iupiter, quando meliori
Congrederis. — planè eiuſdem ſunt ſententiæ cum hoc, Noſce teipſum. Hæc autem,

XVII. Poëtarum dicta philoſophorum ſententiis munita.

Hesiod. 1. operum.

Stulti, nec norunt multo præstantius esse
Dimidium toto. — &,
Consilióque malo præ cunctis læditur autor:

hæc germana sunt iis quę in Gorgia & de republica Plato disputat, iniuriam inferre peius esse quàm ea affici. Et ad hoc Aeschyli,

Animo bono es, tempore summus caret dolor:

dicendum, id esse ipsum quod apud Epicurum est tritum semper & in admiratione habitum, Magnos dolores celeriter præterire, diuturnos magnitudine carere. quorum illud perspicuè dixit Aeschylus, hoc est eius cõsequens. Si enim magnus & intentus dolor nõ permanet: qui permanet, magnus non est, neque intolerabilis. Iam illa Thespidis,

Viden' ut ob hoc deûm sit princeps Iuppiter,
Mendacio fastúque, & risu quia uacat
Stulto, uoluptatémque solus omnium
Ignorat. — quidnam differt ab hoc Platonis dicto, Procul à voluptate & dolore locatum est numen? Tum illud à Bacchylide prolatum,

Virtuti certam dicimus esse fidem,
Diuitiæ cùm sæpe malis mortalibus adsint:

atque huic adfine illud Euripidis,

Antiquius nihil ipse temperantia
Duco, bonísq; semper adest. Itémq;,
Honorem consecuti, diuitias probæ
Virtutis instrumenta facite: sic boni
Credemini, & uitam beatam degere
Poteritis. — nónne hæc demonstrationem habent eorum, quæ de diuitiis & externis bonis tradunt philosophi, ea sine virtute nihil possessoribus prodesse? Huiusmodi ad placita philosophorum reductio & accommodatio poëmatum, ea fabulis personáque exvit: facítque vt seria habeantur, quę sunt dicta vtiliter: præterea animum adolescentis philo-

sophiæ

sophiæ decretis aperit,& ad ea inclinat. Accedit enim ad ea neque nullo prorsus eorum gustu perceptо,neq; omni auditione vacuus,neque sine vllo iudicio,plenus tantùm eorũ quæ ex matre identidem & nutrice audiuit, immò autem etiam ex ipso patre & pædagogo: qui diuitum beatitatem prædicare solent ac venerari, mortem autem & dolorem exhorrescere,virtutem sine opibus & gloria pro re despicabili & nihilo ducere. Quibus cum reclamantia apud philosophos decreta audiunt, principiò statim terror quidam & perturbatio ac stupor invadit, nõ admittentes ea,neque perferentes: nisi tanquam ex tenebris ad solem aspiciendum prodituri,adsuescãt tanquam in adulterina luce & veritate temperatis fabulis lenem habente splendorem intueri in ista, neque reformidare. Vbi enim iam antè apud poëtas hæc audiuerint,aut legerint,

Qui nascitur,lugendus est propter mala
In quæ uenit:contraq; qui doloribus
Solutus,ærumnisq; morte tollitur,
Cum gaudio,faustis & ille uocibus
Domo efferendus est. —— &,
Nam præter hæc duo quæ tandem mortalibus
Re sit opus? almæ telluris cùm frugibus,
Tum quæ sitim salubris lympha subleuet. &,
Iò tyrannis,amica genti barbaræ. &,
Hæc est enim mortalium felicitas,
Dolere,quàm fieri queat,rarissimè:

hæc,inquam,secum afferentes, minus perturbantur aut offenduntur apud philosophos audientes,Mortem nihil ad nos attinere,Diuitias naturæ esse definitas: felicitatem & vitam beatam non in multitudine pecuniæ,aut opum mole, aut principatu potentiáque consistere: sed in vacuitate doloris,affectuũ animi moderatione,animíq; affectione naturæ fini-

bus res omnes circumscribente. Itaq; cùm propter hæc, tum prædictorum causa omnium, adolescenti in lectione poëtarum bona opus est gubernatio: ne sinistra suspicione occupatus, sed præcedente potius institutione formatus, placidus ita familiarisq; & amicus à poëti ad philosophiam deducatur.

PLVTARCHI
De Homero liber.

SVPERVACANEVM fortasse nonnullis videbitur, de Homeri patria parentibúsq; inquirere, cùm ne ipse quidem de suis rebus quicquam dicere dignatus sit: immò adeò se cõtinuerit, vt ne nominis quidem sui vllam faceret mentionem. Attamen quandoquidem multarum rerum peritia facit saltem ad institutionem eorum qui erudiri incipiunt, conabimur exponere quæ de eo antiqui memoriæ prodiderunt. Iam Ephorus Cumæus in libro quem de Cumæis rebus inscripsit, hoc agens vt eum gentilem suum fuisse ostendat: Atellem, Mæonem, & Dium fratres, Cuma oriundos perhibet fuisse. Ex his Dium æris alieni causa Ascrã, qui est Bœotiæ pagus, commigrasse: ibíque Pycimeda vxore dusta, Hesiodum procreasse. Atellem Critheidis filię suæ tutela Mæoni mandata, in patria mortem cum vita commutasse. Ab hoc auunculo vitiatam puellam: ab eodémque eam, ciuium ob perpetratum facinus damnationem metuente, Phemio Smyrnæ litteras docenti nuptum traditam. Porrò eam, cum ad lauacra, quæ propter amnem Meletem sunt, deambularet: partu Homerum edidisse, iuxta ipsum amnem: inde Melesigenem filium appellatum. Mutato autem nomine Homerũ vsurpatum fuisse, cùm lumi-

luminibus esset captus. Tales enim à Cumæis & Ionibus ἔμπροι vocãtur, quòd ἐμπροσθέντων, id est, ductorum indigeãt. Hæc Ephorus. Aristoteles tertio de Poëtica scribit, in insula Io, quo tẽpore Neleus Codri filius coloniæ in Ioniam ducendæ præfuit, puellam indigenam, à genio quodam ex eorum numero qui cum Musis choros ducunt compressam, cùm intumescente vtero facti pudore moueretur, deveniſſe in quendam locum, cui nomen est Aegina. Ibi à prædonibus, qui eò excursionem fecissent, captam, Smyrnámque adductam ab his, Lydorum (sub his enim tunc erat Smyrna) regi Mæoni socio suo dono datam: ab hócque pulcritudinis causa in matrimonium eam adscitam. Hanc, cùm ad Meletem fluuium commoraretur, partus doloribus circumventam, ad ipsum fluuium peperisse Homerum, statímque expirasse. Infantem à Mæone susceptum, filiíq; loco enutritum: paulo pòst ipsum Mæonem in fata concessisse. Secundum hæc cùm Lydi ab Aeolibus affligerentur, ac de Smyrna relinquenda cogitarẽt, & duces per præconem sequi iussissent eos qui vellent exire vrbe, Homerum, puerulum etiamnum, se quoque ἑμπεῖν (id est, sequi) velle dixisse. Inde pro Melesigene Homerum appellatum. Adultus iam, & poëtica arte nomen consecutus, de parentibus & patria Deum consuluit, isq; sic respondit:

Insula Ios matris patria est uita hæc quoq; functum
Accipiet: sed tu iuuenile ænigma caueto.

Alterum quoq; oraculum tale fertur:

Felix & miser (ad sortem es quia natus utramque)
Perquiris patriam: matris tibi, non patris extat
Patria. in undoso iacet hæc ponto insula, Cretæ
Non adeò uicina, & non longè usque remota.
Hìc te fata tua cogent decedere uita,
Cùm pueri ignotis obscœnum ambagibus olim

Sermonem inuoluent, teq; hunc euoluere poscent.
Quippe duplex uitæ fatum tibi contigit: orbum
Luminibus, superis Musa immortalibus æquat:
Post mortem te uita manet secura senectæ.

Non multo pòst tempore Thebas nauigans ad Saturnalia (certamẽ ibi hoc musicum celebratur) Ium venit. ibi saxo insidens, piscatores vidit adnauigantes, eósque Ecquid haberẽt, interrogauit. Illi, quòd nihil cepissent, sed prædæ inopia pediculos legissent, ita responderunt:

Non capta afferimus: fuerant quæ capta, relictis.

Per ambages autem innuebant, se pediculos, quotquot cepissent, interfectos dimisisse: quos verò non cepissent, eos se in vestibus suis secum ferre. Hoc cũ non posset coniicere Homerus, præ mœrore vitam finiit. Ienses eum magnificè sepeliuerunt, hac addita sepulcro inscriptione:

Terra sacrum caput hîc diuini occultat Homeri,
Heroum egregias qui dixit carmine laudes.

Non desunt qui Colophonium fuisse demonstrent, maximo vtentes argumento, elegiacis versibus, qui inscripti sunt statuæ. Eorum hæc est sententia:

Nate Meletis Homere, ornasti nomine Graios
Aeterno, & patriam qui Colophona tuam.
Semdeũm gemino complexe uolumine laudes,
Diuinæ mentis prole uiges duplici.
Vna uagum duplicis reditum decantat Vlissis,
Altera luctiferæ prœlia Dardaniæ.

Dignum etiam est Antipatri epigramma, quod adscribatur, non carens grauitate, est autem tale:

Sunt Colophona tibi patriam qui rentur Homere,
Sunt & qui Smyrnam, quique fuisse Chium.
Quidam & Ion dicunt: alij Salamina beatam,
Ast alij Lapithas quæ tulit Acmoniam:
Diuersi diuersa ferunt. Oracula Phœbi

Quod

Quod si iam pleno mî licet ore loqui:
Omnipatens cœlum est tibi patria, nec mulier te
Mortalis peperit, sed dea Calliope.

Qua ætate vixerit, ambigitur. Quidam tempore belli Troiani aiunt, eiúsque fuisse inspectorem: alij centum pòst annis, alij centum & quinquaginta. Duo scripsit poëmata, Iliadem & Vlissëam. Quidam, non tamen verè ij, exercitationis & lusus gratia addidisse & Batrachomyomachiam & Margitem asserunt.

Belli Troiani quidam fuisse de sententia Homeri principium tradunt, de dearum Iunonis, Mineruę & Veneris formæ præstantia iudicium à Paride factum. ita enim canere Poëtam:

Nam Paris iniusta damnauerat arbiter olim Iliad. ω. 27.
Voce deas, pastoralem in certamine formæ
Cùm subiere casam: reliquis tunc prætulit illam,
Munus adulterij quæ præbuit exitialis.

Enimverò isti versus haud immeritò pro non genuinis habiti sunt: quòd neque deos hominum submittere se iudicio decorum sit, neque huius rei Homerus alibi meminerit. Præstat igitur dicere, Alexandrum Priami F. cùm Græcam vitæ degendæ rationem cognoscere cuperet, Spartam nauigasse, vsúmque ibi hospitio Helenæ, absente marito Menelao, ei persuasisse vt secum abiret: vt in insulam nomine Cranaam pervenit, primùm cum ea corpus miscuisse: inde per Sidonem & Phœniciam nauigio Ilium delatum. Agamemnonem re cognita, Aulide, quæ est vrbs Bœotiæ, exercitum collegisse. Ibi eis sacrificantibus draconem in vicinam arborem adscëdisse, octóque pullos passeris, nonámque quæ iis accubabat matrem perdidisse. eo ostento indicatũ, Græcos nouem annis ad Ilium bello gesto, decimo vrbem capturos. Postquam ad Troiam Græcorum naues appulissent, Græci post primum conflictum, in quo Protesilaus occubuit, Menelaum & Vlissem le-

Iliad. γ. 445.

Iliad. β. 303.

Iliad. γ. 205.

gatos repoſcendæ Helenæ cauſa miſerũt: Troianis negantibus, rurſus commiſſa pugna ſuperiores facti Græci, partem exercitus obſidẽdæ vrbi reliquerũt: cęteri duce Achille circũiacentes vrbes vaſtauerũt, vt auxilio Troianos ſpoliarent. Inter alias captas Chryſã, Chryſeidẽ, Chryſæ, qui ſacerdos erat Apollinis, filiã Agamemnoni muneris eximij loco dederũt. Chryſes redimendæ filiæ cauſa ad ſtationem nauiũ profectus, & per cõtumeliã ab Agamemnone habitus, ab Apolline votis contendit, vti Græcos is vlciſceretur. Deus rata vota ea habuit, peſtémq; Græcis immiſit. Quo tempore cũ Achilles iuberet Chryſeidem reddi, irritatus Agamemnon, minatus eſt ſe erepturum Achilli Briſeidem, quæ ei honoris cauſa obtigerat. Hic ergo Thetidi matri perſuadet, vt à Ioue impetret, vt Græci in bello ſuccũbant. Id cùm eveniſſet, Patroclus Neſtoris monitu Achillem exorauit, vt ipſius armatura ſibi vti aliquantiſper ad repellendos à nauibus Troianos permitteret. itáq; egreſſus, re fortiter geſta mox interfectus eſt. Achilles hoc ægrè ferens, ira, qua adverſus Agamemnonem flagrabat, miſſa, armis à Vulcano factis indutus, cùm multos alios, tum ipſum tãdem Hectorem occidit. Hæc eſt ſeries rerum. Cæterùm Poëta à nono demum anno orſus eſt: quòd quæ Achillis iram anteceſſerunt, minus eſſent grandia, neque vel longas vel crebras actiones haberent. Nam Achille inter Græcos pugnante,

Iliad. α, initio.

Iliad. λ, ſub finem. & initio π.

Iliad. σ, Iliad. χ.

Iliad. ε, 788

Nunquam Dardanidis auſi ſe emittere portis
Troes erant, ſtum Pelidæ telúmque timentes.

At eo militiam deſerente, receptis animis progrediebantur: & æquo vtrinque Marte pugnatum eſt, virtúſque multorum heroum continentibus prœliis eluxit.

HOMERVM poëtam tempore quidem pleriſq;, virtute autem omnibus priorem, rectè primum omnium

nium legimus: cũ & ad sermonem, & ad intelligentiam, & ad multarum rerum peritiam plurimum nobis conferat. De poëti eius dicemus, paucis prius de genere eius commemoratis. Homerum ergo Pindarus & Chium & Smyrnæum fuisse ait: Chium Simonides, Antimachus & Nicander Colophonium: Aristoteles autem philosophus Ienſem, Ephorus historicus Cumæum. Quidam Salamine Cypri vrbe oriundum dicere non dubitarunt: Argiuum alij, Aristarchus & Dionysius Thrax Athenienſem. Filius à nonnullis dicitur Mæonis & Critheidis: ab aliis, Meletis fluuij. Nõ minor dubitatio est de tempore, quo vixerit. Aristarchus eum in id tempus reiicit, quo Ionum colonia deducta est. fuit hoc annis post Heraclidarum reditum sexaginta: & is reditus octoginta annis Troiano bello est posterior. Crates eum ante Heraclidarum reditum extitisse tradit: vt ne octoginta quidem prorsus annis Troianum bellum sit subsecutũs. Apud plerosque pro certo habetur, centum annis eum Troiano bello posteriorem fuisse, non multo ante Olympicorum ludorum institutionem, à qua Olympiades numerantur. Duæ sunt eius poëses, Ilias & Vlissea: vtraque numero litterarum in libros diuisa, non hoc ab ipso poëta, sed ab Aristarcho grammatico. De his Ilias à Græcis barbarísque res ob raptum Helenæ gestas complectitur, ac præcipuè Achillis eo in bello demonstratam fortitudinem. Vlissea, reditum Vlissis à bello Troiano in patriam habet, ac quæ in reditu errans pertulerit: vtque insidiantes familiæ suæ vltus sit. Vnde liquet, eum Iliade fortitudinem corporis, Vlissea autem animi excellentiam proposuisse contemplandam. Neque culpandus est poëta, quòd non virtutes tantùm, sed & vitia animi in poëtibus suis descripserit: dolores nimirum, gaudia, metus, atque cupiditates: quasi verò & hæc ad imitandum proposuerit. Enimverò

citra hæc res magnæ & minimè vulgares non fiunt. Licet autẽ auditori ea deligere, quæ præstant. Deos hominum cõsuetudine vtentes introduxit, non delectandi modò, aut animum percellendi causa: sed vt hoc ipso quoque ostenderet, curæ esse diis homines, neque ab eis negligi. In summa autem, narrationem rerum à communi hominum opinione diuersam, fabulosámque adornauit, vt auditoris animum suspẽderet, ac admirationis impleret, auditionémq; eam efficeret quæ animos percelleret. Inde est quòd quædã parum cõsentanea dixisse videtur: quòd non semper fidem invenit id, quod prima frõte à communi hominum opinione alienum ac subli me apparet. Ob id nõ res modò amplificat, & à cõsuetudine hominũ aversas proponit: sed etiam verba. Nemo autẽ ignorat, noua & non in promtu posita admirationem sui excitare, auditorémq; allicere. Enimverò in his ipsis fabulosis sermonibus, si quis non obiter, sed acuratè singula quæ dicuntur obser uet, videbit eum omni dicendi scientia, omníq; artificio vsum, multásque occasiones ac quasi semina omnis generis dictorum factorúmq; posteris præbuisse: neq; id poëtis tãtùm, sed & iis qui soluta oratione historias, aut de contẽplatione rerum scripserunt. Nos priore loco dictionis Homericæ multipli cem copiam perspiciemus: inde ad rerũ doctam varietatem nos cõferemus. Omnis poësis vocibus certo ordine quodam compositis, numero & mensura terminatur. Nam cum leuitate & facundia maiestas coniuncta, atque suauitas, delectando attentionem conciliat. Ita fit eadem opera, vt non modò iis quæ percellunt animum, atq; voluptate afficiunt, delectetur auditor: sed etiam iis quæ ad virtutem conducunt, facilè assentiatur. Homeri verò poësis perfectissimo constat carminis genere: nimirum senario, quod & heroicum dicitur. Senarium, (id enim hexametrum dico) quòd quivis versus sex pedibus absol-

Poesis.

Carmen heroicum senarium.

absoluitur, qui vel duabus longis syllabis constant, ac spondei dicuntur: vel vna longa, & duabus quæ se quuntur breuibus, dactylum vocant. (tantundem autem temporis vtriq; competit, quòd duæ breues vnius longæ spacium explent) atque hi pedes inter se compositi, hexametrum versum perficiunt. Heroi cum autem dicitur, quòd eo res heroum gestas percensetur. Varia autem vsus dictione Homerus, omnis Græci sermonis diuersitatis (dialecton ipsi appellant) notas Operi suo intexuit. vnde liquet, eum vniuersam Græciam, omnesq; eius nationes obiuisse. Dorienſium vsitatam vocabulorum diminutionẽ vsurpauit, δῶ pro δῶμα dicens:

—— αἶψα δέ οἱ δῶ Ἀφνειὸν πέλεται.

& pro ὅτι posuit ὅ.

—— ὅμοι αἰτὸς ἵκανεν χλῶρας.

& pro ὀπίσω dixit ἄψ, mutato ο in α, & ps in duplicem quę ex iis fit. Pro ἄλλοτε, ἄλλο posuit,

ᾤδη γάρ μι πρὶ ἄλλο τιὴ ἐπίνυσσεν ἐφετμή.

ac quæ alia huiusmodi sunt. Ita etiam media vocabula concidens, pro ὁμότριχας & ὁμοιτῆς, dixit ὅτριχας, ὁιτῆας. —— ac pro ὁμοπάτριον, ὁπάτριον: & pro ῥέμειν, ῥέᾶν, pro τιμᾶν τίν. Eorundem est etiam literarum tra iectio: vt cum κάρτιστοι pro κράτιστοι ponitur. Aeolensium concisione in compositis vtitur, καθιραθίτλω dicens, pro κατιδραθίτλω. & ὑββάλλειν, pro ὑποβάλλειν. Tertiæ personæ singularis numeri præteriti imperfecti temporis, aliis in α, Aeolibus ν finiuntur: vt ἐφίν, ἐνόν. Ita Homerus quoq; fecit:

—— δίδημόσχοισι λύγοισι, pro ἐδέα. ligabat. Et alibi,

Τὸς μὲ ἀΐ' ὄτ' αὖτε μῶν διάκ μίνθ ὑγρὸν αἴντων.

Aeolicum etiam est, quòd σ in δ mutat: vt in ὀδμὴ, ὀσμὴν: & quòd aliquando littera abundat, vt in ἐυκυκλ θ, αὐτάρ: quæ recta sunt ἐκυκλ θ, ἀτάρ. Sic & πικλήσκοντες, pro πικλήσκοντες. Tum quòd secundæ

Dialecti apud Homerum.

Odyss. α, 392.
Odyss. τ, 543.
Iliad. ξ, 249.
Iliad. β, 765.
Odyss. ε, 491.
Iliad. τ, 80, Iliad. λ, 105.
Odyss. ε in fine.

verborum personæ adiicitur θα, vt in ἵφθα, ἄπθα. Geminationem consonátum alij Doribus, alij Aeolibus adscribunt: qualis est ἵλλαβι pro ἵλαβε, ὀππότ-τορ pro ὀπότορ.

Iliad.1, 83. Ελλαβε περφύρι βαύατ.— &,
Iliad.7, 318 Οππότορ τάδε ὄργα.—

Ab Ionibus habet, quòd præteritorum verborum principio aliquid detrahit: vt in βῦ, & δῶκιν, quæ sunt pro ἔβη & ἔδωκιν. nam Iones præterita ab iisdem incipiunt literis, à quibus præsens. Item quòd ε literam detrahit ex ἐρσὺς & ἔραξ, pro quibus ponit ἐρσὺς & ἔρηξ. Item quòd tertiis subiunctiuorũ personis σι in fine adiicit: vt ἵλθησι, λάβησι. Itémque datiuis, δύρησιν, ὕλησιν. Item quòd pro ὄνομα, νόσ, ηχρὸν, μίλας, ponit ὄνυμα, νῦσ, νεὸν, μέλας. Item quòd α longum in η mutat: vt in Ηρη, Αθλίη, pro ὥρα, ἀθλιᾶ. Aliquando vice versa, λιλασμίν pro λιλησμίν. Nec non quòd contracta verba solutè effert, pro φρονῶν, νοῶν, dicens φρονέων, νοέων: quod idem in genitiuis in ους exeuntibus vsurpat, Διομύδεω dicens & Σαπφόω: & in genitiuis pluralibus contractis idem, pro πλῶν, νυμφῶν, ponens πλέων, νυμφέων: atque plurales nominatiuos neutrorum in η exeuntes, & eorundem genitiuos dissoluens dixit γύθια, μίλια, σηδίων, μιλίων, pro γύθη μίλη, σηθῶν, μιλῶν. Peculiare etiam Ionibus est τετράφαται, & similia. Attica præcipuè vsus est dialecto, quæ reliquis permiscebatur. Itaque cùm Attici pro λαὸς dicant λεὼς: ea ipse consuetudine ductus, πλεύμεων dixit, ac χρέως. Solent iidem aliquando duas syllabas in vnam conflare (quod genus Synaliphe dicitur) quale est τέρας, & δοιμάτιον, quorũ inte
Iliad.o, 306 gra sunt τοὔρες, τὸ ἱμάτιον. Talia sunt apud Homerũ,

— Τρῶες δὲ περὶ τειχέων ἀολλέες.

id est

id est, προϊτυψαν, & πίδια λωτιῶντα, pro λωτούντα. Eorundem est, optatiuis adimere ν, vt ex λειοίνς fiat λειοῖς, de τιμάνς fiat τιμᾶς. qua forma dixit Homerus,

— ἄλλοι δι διαπρυσίῳτι τάχιστα. Iliad. γ, 102

Atticum etiam est,

εἰ πλίονις κακίας, παῦροι δί τι πατρὸς ἀρείους, Odyss. β, 277

pro κακίονις, ἀρείονις. Et quòd similes accusatiui cõtractè enunciantur, τὸς βῶς, τὸς ἰχθῦς: quæ communis lingua βόας, ἰχθύας effert. Homerus aũt, Βῶς πιμπτιμνομένους. Item — ἰχθῦς ἔρνιθάς τι. Odyss. λ, 401.

Id quoque Atticè dixit

— ἐλί τί μιν θέινιῖ ῥηγνῦσι ῥέοντες. Iliad. φ, fin.

vt eorum sunt ῥαγνῦσι, ὀμνῦσι. Atticum etiam est, breues vocales elidere, ac pro λύεται, οἴομαι scribere λῦται, οἶμαι. Sic ille λύτο posuit pro ἐλύετο. Eorundẽ est supervacanea appositio elementi ι in ἰώρεω, ἰωνοσκόμεω. inde Homerus suum ἰωνοχέα effinxit. Tum quòd in vnã cũ alia syllabã ν coire facit, in ἠίονις, νηρίδες. Est & eorum, Ἕφῳ δί μάλ' ἠδίλιον. & in datiuis qui in ι purum præcedente α desinunt, κλῄῖ, γέραϊ, σίλαϊ. Iliad. λ, 781

Est & hoc Atticum, dicere ἔσω, ἐπίδωμ, pro ἔσωσαν & ἐπίδωσαν. Itẽ vti optatiuis loco præteritorum indicatiui modi: quod crebrò facit Homerus. Tum, cum femininis articulos, participia, adiectiuáve masculini generis coniungere: vt τὼ χᾶρι, τὼ γωῶντι: quomodo & apud Platonem est ἀγοντι ἠδὺ φίροντι, & ἡ σοφὸς γωὴ, & ἡ δίκαιος. Sic ergo Homerus etiam de Iunone ac Minerua dixit,

Οὐκ ἂν ἐφ' ὑμιτίρῳμ ἐχίωμ πλυγίντι κφρανῷ.

Et alibi: Iliad. θ. 459

Ἕτοι Ἀθλωάν ἀκέωμ ἦμ. — &, κλυτὸς Ἱπποδάμεια. Iliad. δ, 22. Iam cùm in vocabulorum constructione propria multa singulæ habeant dialecti, Atti-

Ilad.β,742 Ilia.δ, 100 ticam consuetudinem exhibet Poeta, cùm dicit:

Αλλ' ἄγ' ἰέτω σὺν Μενελάῳ κυδαλίμοιο.

Cum autem dicit,

Iliad.β,186 Iliad.ο, 87 Δίξατο οἱ σκῆπτρον.&,

—— Θέμιστι δὲ καλλιπαρήῳ Δίκτο δίπας

Doricè loquitur. Manifestum autem est, eum, vt varietatem orationi conciliaret, omnes Græcorum voces collegisse: ac modò peregrinis vsum vt sunt quas modò retulimus: modò vetustis, vt cum ἄορ & σάκος profert: modò communibus aut vulgatis, vt cum ξίφος & ἀσπίδα. Ac miretur aliquis maiestatem orationis apud eum vulgatis quoq; vocabulis conseruari. Enimverò quoniam artificio omni adornata oratio, aliquid à communi consuetudine requirit alienum, quod ei vel evidentiæ, vel maiestatis, vel omnino delectationis amplius adferat: porrò autem vocabulorum à sua significatione in aliam aversio Tropus, compositionis immutatio Schema appellatur, & vtriusq; generis species in artis præceptionibus annotata sunt: contemplemur agedũ, ecquid horum Homerus prætermiserit: aut num aliquid posteri invenerint, quod non primus ille extulerit. De tropis Onomatopœia (nominis noui fabricationem posis Latinè dicere) admodum ei est familiaris. Norat enim vetustam vocabulorum originem: nempe eos qui primi rebus nomina fecerũt, multas ab accidente aliquo appellationes traxisse: sonosq; articulatim nõ editos, scriptis vocibus expressisse. Cuius generis sunt φυσᾶν, quod est sufflare: & πρίσαι, id est, serra findere: & μυκᾶσθαι mugire, & βροντᾶν tonare, ac horũ similia. Proinde ipse quoque nomina quædam noua finxit, ea rebus quas designarent conformans: vt ἄσπετος est, & ἀγαθὸς & βέμβος, & ῥοχθεῖ, & ἀνέβρυχε, & σίζε, ac quæ talia porrò sunt, quibus significantiora non invenias. Rursus quædã vocabula aliis rebus imposita, in alium vsum

Ad tropos digreditur.

Onomatopœia.

tran-

transtuit: quorum est, φλέγμα κακὸν φοίρσας, significat enim efficaciam vrendi & πυρετὸν, quo nomine febris intelligitur, pro igne posuit. & χαλκεὸν πᾶσ ὠτειλὰς dixit, ab ære impressa vulnera. Omnino autem multa vsus est nouitate magna cum licentia, quædam à consueta significatione aliò traducens, quorundam significationem augens, quo oratione elegantiore & ampliorem redderet. Magna etiam ei est Epithetorũ (adiectiua hæc dicuntur quæ eorum quibus adduntur naturam aut accidens aliquod insigne exprimant) copia, quæ propriè & cohærenter subiectis adaptata, tantundem atque propria nomina valent. Ita cuivis deorum peculiarem appellationem accommodauit, Iouem μητιόεντα vocans, & ὑψιβρεμέτην, hoc est, consultorẽ & altitonantem: Solem ὑπερίονα, quòd in sublimi feratur: Apollinem, à nitore aut mundicie φοῖβον. Sed videamus etiã alios post Onomatopœiam tropos. Catachresis, quæ vocabuli vsum à propria significatione ad aliam rem proprio nomine carẽtem transfert, est apud Homerum: vt vbi σειρὴν χρυσείην dicit, hoc est, catenam auream. etenim σειρὰ propriè de fune dicitur, & cum dicit αἰγέην πίλον. nam galerus ab eo πίλος dicitur, quòd ex pelle canis fieri receptũ esset: hîc eo nomine eã vocat, quæ ex capræ exuio. Metaphora, quæ est vocis à proprio significato in aliam rem priori certa similitudinis ratione respondentem translatio, & frequens ei & multiplex est. Quale est,

Iliad. φ, 337 Φλέγμα κακὸν φοίρσας.

Iliad. τ, 25. Χαλκεὸν πᾶσ ὠτειλὰς.

Epitheta.

Catachresis.

Iliad. β, initio. Σειρὴν χρυσείην. Αἰγέην πίλον.

Metaphoræ

Tum magni nauim iaculatus uertice montis. *Odyss. ε, 481.*

Et alibi:

Insula, quam totam immensa æquoris unda coronat. *Odyss. ε, 195.*

Quo enim modo se ad hominem habet vertex, hoc montis summitas ad montem ipsum: & quæ ratio est coronæ ad id cui circumdata est, eadẽ maris ad

insulam. Cæterùm venustior fit & evidentior oratio, vbi similia nomina propriorum loco ponuntur. Sunt autem variæ apud eum translationes. Quædam ab animatis ad animata: vt,

Nauis cæruleæ tum sic auriga profatur.

aurigam dixit pro nauta. Item,

Iuit pastorem populorum Agamemnona quærens.

id est, regem. Aliæ ab animatis ad inanima: vt,

Iliad. β, 824. *—imo Idæ sub pede montis.—*

ita radicem montis appellans. &,

Iliad. ι, 141. Iliad. ω, 205. *—Vbere terræ,*

designans fertilitatem.

Odyss. ε, fine. Rursus ab animis ad animata: σιδήρεον νύτοι ἦτορ, id est, ferreum habes pectus. ferreum dixit pro duro. Et ab inanimis ad inanima:

Σπέρμα πυρὸς σόον ἦμαρ.

—Ignis conseruans semen.

id est, principiũ, ei producendo aptũ. Neq; nominũ modò, sed & verborum translationibus vtitur. vt,

Iliad. ρ, 205. *Eructante salo q; undas, dant litora uocem.*

id est, resonant. Alius tropus est Metalepsis, vbi cõmuni nomine res diuersæ notantur. vt,

Metalepsis. Odyss. ο, 298. Ἐνθ' ἂν ἀῶ νήσοισιν ἐπιπρόϊαπε δοῆσι.

Vult enim denotare insulas eas, quæ propriè dicuntur ὀξεῖαι, id est acutæ. At in Græco sermone δοὸς idẽ est quod ὀξὺς: ὀξὺς non modò id quod in motu velox est, sed id quoque significat quod in figuris acutũ est, atque in tenuem mucronem desinit. Inde est illud

Odyss. ι, 327. —ἐγὼ δέ τι δώσω παρασταθείς,

id est, adstãs exacui. Alius tropus est Synechdoche, quæ propria vocabuli significatione aliquid aliud sub eodem genere comprehensum innuit. Non minus in hoc est varietatis. nam aut totius appellatione partem accipimus: vt,

Synechdoche.

πρὸ

—— πρὸς τεῦχος ἐύδμητον βόας αὖας. Iliad.μ. 137.

de bobus tergora intelligi voluit, ex quibus scuta fierent. Aut à parte totum indicatur: vt,

Talis me capitis desiderium tenet.—— Odyss.α. 343.

per caput virum vult intelligi. sic formosam indicat vocabulo λευκώλενος, quod significat humeris albis præditam: & bene armatos voce εὐκνημίδων, qui crura bene munierint. Aut ab vno multa. ut cùm de Vlisse dicit,

—— *Troiæ sacram ex quo diruit urbem.* Initio Vlyss.

Non enim is solus, sed cum aliis Græcis Troiam excidit, Aut à multis vnum: vt,

Pectora chara,——

id est, pectus. Aut à specie genus: vt,

Marmore percutiens rigido. Iliad.μ. 380.

nimirũ lapide, cuius marmor est species. Aut cõtrà: Odyss. 159.

Noscere aues, fatúq; ratos prædicere iussus.

genus pro specie. Non enim omnes aues vult intelligi, sed diuinationi tantùm aptas. Aut actionem ab iis quæ eam comitantur: vt,

Pandarus, ipse arcum dederat cui magnus Apollo. Iliad.β. 827.

arcus enim peritiam sagittandi denotat. Item,

Inde maris lymphas fusi per transtra dealbant. &, Odyss.μ. 172.
Illi lora die, quàm longa est, concutiebant.

horum priùs impulisse eos remis nauim ostendit, posteriùs equorum cursum: vtrunq; ab accidente rei indicatum. Aut à priori consequens: vt, Odyss.γ. 938.

Virgineam soluit zonam. Odyss.κ. 244.

sequitur enim, imminuisse virginitatem. Aut cõtrà, vt cùm pro interficere ponit ἐναρίζειν, quod est spoliare. Ex posteriori enim prius intelligitur. Alius tropus est Metonymia, cùm vocabulum aliud propriè, aliud relatione quadam, sine certo respectu significat: vt, Metonymia.

Cùm uerò Cererem metit agris lecta iuuentus.

frumentũ innuens, quod à Cerere inventum est. Itẽ cùm dicit,

Ilia. β, 424 Viscera Vulcano uerubus fixa imposuerunt.

nomine em Vulcani ignis intelligitur. Tale est etiã,

Odyss. τ, 27 —— Meam quicunq; virorum,
Chœnicem attigerit. ——

chœnice contenta dicit. Est autem Chœnix, mensu ra frumenti. Alius tropus est Antonomasia, cùm proprium nomen per epitheta, aut idem significantia vocabula enunciatur:

Anatonomasia.

Iliad. α, 223 Rursum Pelides duris conuicia uerbis
Iecit in Atridem. ——

hoc Agamemnonem, illud Achillem designat.

Iliad. θ, 39. Nata bono mea sis animo Tritonia. —— &,
Iliad. υ, 39. Intonsus Phœbus. ——

quorum hoc Apollinem, illud Mineruam exprimit. Est & Antiphrasis, contrarium eius quod præ se fert significante voce: vt,

Antiphrasis.
Iliad. α, 330

Emphasis. Nec uerò hos cernens animo est gauisus Achilles.

contrarium enim voluit dicere, nimirum Achillem iis visis indoluisse. Est & Emphasis, quæ occulto sensu eius quod dicitur significationem intẽdit: vt,

Odyss. λ, 522 Verùm postquam in equum descendimus ——

nam descendendi vocabulo equi magnitudinem notat. Item,

Iliad. π, 333 Incaluit gladius tum sanguine totus. ——

Est enim in hoc maior significandi vis: scilicet cùm intelligi velit, ita immersum fuisse corpori gladiũ, vt is calefieret. Hæc de tropis Homericis sufficiant.

Schemata. Iam & constructionis immutationes videamus, quæ vocantur Schemata: ecquid ea primus omnium Homerus ostenderit. Schema est oratio, à cõmuni consuetudine varians fictione aliqua, ídque ornatus aut vtilitatis gratia. Ornatum quidem conciliat orationi varietate & mutatione sermonis, dictioníque aliquid maiestatis adiicit. vtilis verò est, ad rerũ qualitatem & vim extollendam atque amplificandam.

Pleonasmus De schematibus Pleonasmum (is est, cum superuacaneum

caneum ponitur vocabulum) vsurpat, aliquãdo versus complendi causa: vt,

Χρυσῆ δὲ φύσας ἐλυσεύς ἕλκε πανίτα τάλαντα. Iliad. τ, 246.

nam πάντα illud insertum est nulla significatione. Aliquando ornatus gratia: vt,

ἦ μάλα δὴ τέθυνκε Μενοιτίς ἄλκιμος υἱὸς. Iliad. σ, 12.

hîc μάλα abundat, Attico more. Alicvbi pluribus verbis rem exprimit, quæ vocatur Periphrasis: vt cũ filios Achiuorum pro Achiuis dicit, & vim Herculeam pro Hercule. Quin & Enallagen (immutationem ad verbum diceres) adhibet, consuetum invertens ordinem. Idque vel in medio vocabulum inserens, quod Hyperbaton dicitur: vt, Periphrasis. Hyperbatõ.

Αἱματοέις ὡς τίς τε λέων κατὰ ταῦρον ἐδηδώς, pro λέων ταῦρον κατεδηδώς. Aut totam orationem: vt, Iliad. ρ, 542.

— Ἀργεῖοι δὲ μέγ' ἴαχον, ἀμφὶ δὲ νῆες Σμερδαλέον κονάβησαν ἀϋσάντων ὑπ' Ἀχαιῶν, Μῦθον ἐπαινήσαντες Ὀδυσῆος θείοιο. Iliad. β, 333.

Ordo enim est, ἴαχον μῦθον ἐπαινήσαντες. Eiusdem generis est & quæ Parembola vocatur, quasi interiectio, cum alivnde quædam ad propositam rem nihil pertinentia inserit: quibus etiam sublatis, nihil tamen constructioni adimatur. Tale est: Παρέκβασις.

Per sceptrum hoc iuro nunquam illud germina fundet, Iliad. α, 234.
Postquam in monte semel summo florere recisum
Dedidicit, posúitq; comas & brachia ferro.

ac quæ alia ibi de sceptro sunt. quibus infert, id quod cum initio (Per sceptrum hoc iuro) cohæret:

Pelidæ Graiis desiderium insidet olim.

Est etiam iteratio (palilogiam Græcus vocat) cum repetitur aliqua pars eorum quæ dicta sunt, aut etiã compluria vocabula: duplicationem etiam appellant, seu ingeminationem: vt, Epanalepsis.

Contrà ibo, uel si manuum uis ignea ei sit, Iliad. υ, 371.

Sit manuum uis ignea, certet robore ferro.

Aliquando interiectis aliis quibusdam, priora repetuntur: vt,

Aethiopes longè sed adiuerat ille remotos,
Odyss. α, 22. *Aethiopes hominum extremi qui sedibus hærent*
Diuisi geminis. — hoc schema & motum dicentis indicat, & simul auditorem excitat. Et est eiusdem generis Epanaphora, cùm eadem particula in principio multorum membrorum ponitur, cuius exemplum habet Homerus:

Νιρεὺς δ' ἂυ σύμβλην ἄγε τρῆς νῆας ἰθύσας,
Iliad. β, 671. Νιρεὺς Αγλαΐης υἱὸς, Χαροποῖό τ' ἄνακτος.
Νιρεὺς, ὃς κάλλιστος ἀνὴρ ὑπὸ Ἴλιον ἦλθε.

schema hoc & mouendo, & elegantiæ sermonis est aptissimum. Est apud eum etiam Epanodos: quæ fit, cùm duabus rebus atq; vocabulis propositis, nõdum sententia finita retrò redimus, ac de vtroq; id quod sententiæ deerat exponimus: vt,

Iliad. ε, 692. Αρης τε βροτολοιγὸς, ἔρις τ' ἀμοτον μεμαῶτα.
Η μὲν ἔχουσα κυδοιμὸν ἀναιδέα λαὸν ἐγείρει,
Αρης δ' ἐν παλάμῃσι πιλώριον ἔγχος ἑνώμα.

Similiter desinens. schema hoc ad varietatem & perspicuitatem cõducit. Est etiam apud eum Homœoteleutõ, siue similiter desinẽs, cum mẽbra in easdem syllabas terminatis vocabulis, in eundem sonum exeunt. vt,

Odyss. ο, 74. Χρὴ ξεῖνον παρίεντα φιλεῖν, εἴβιλον τασθὲ πέμπειν.

Et in eo:

Οὐλυμπέν δ', ὅθι φασὶ θεῶν ἕδος ἀσφαλὲς αἰεὶ
Odyss. ζ, 42. Εμμεναι, οὔτ' ἀνέμοισι τινάσσεται, οὔτε ποτ' ὄμβρῳ
Δεύεται, οὔτε χιὼν ἐπιπίλναται, ἀλλὰ μάλ' αἴθρη
Πέπταται ἀννέφελος, λευκὴ δ' ἐπιδέδρομεν αἴγλη.

Similiter cadens. Cũ aũt conversiones desinũt in nomina eodẽ modo declinata, eosdẽq; casus, Homœoptotõ id peculiari nomine appellatur, quod est similiter cadens: vt,

Iliad. β, 87. Ηὔτε ἴθυια ἄσι μιλιαδέων ἀλιγενάων,

Πάτρης

Πίτνης ἰκγλαφυρῆς αἰεὶ νέον ἐρχομένων.

His & similibus maximè delectatio & suauitas orationi additur. Quantum artificio componendi studuerit, vel hoc indicio est, quòd sæpe simul duobus schematis, Epanaphora & Homœoteleuto vsus est. vt in his versibus,

Εὖ μὲν τις λόφον δυξάσθω, σὺ δ' ἀσπίδα θέσθω, Ibid. 381.
Εὖ δέ τις ἵπποισιν λάπνον λώτω ὑπὸ λευκῷ.

Parison quod vocatur schema, his adiunctum est, quod fit ex duobus aut pluribus membris æquali vocum numero contentis. Hoc primus Homerus posuit: vt, Parison.

Αἰδέεσθε μὲν ἀνέρας, δείσασθε δὲ νόσφιν ἑκάστη. &, Iliad. ν, 93.
Μνώεσθον μὲν ἀπορρίψαι, φιλότητα δ' ἐλέσθαι. Iliad. π, 282.

Manifestum est autem, hac ratione admodum exornari dictionem. Eadem venustas etiam est Paronomasiæ, cùm vox priori similis non longo pòst intervallo statim subiungitur: vt, Paronomasia.

Οὐδέ γὰρ ὁδὲ Δρύαντος παῖς πρατερὸς Λυκόεργος. Iliad. ζ, 130.

Et alibi: Iliad. β, 758.

— Τῶν ἤτοι πρόθοος θοὸς ἡγεμόνευεν.

Atq; hæc quidē quę hactenus cōmemorauimus, aut abundantia aut fictione aliqua figurata sunt. Aliud eorū est genus, quæ fiūt defectu dictionis: qualis est Ellipsis, cùm vocabulū aliquod etiāsi non efferatur, sententia tamen ex antecedentibus liquet: vt, Ellipsis.

Δώδεκα μὲν σὺν νηυσὶ πόλεις ἀλάπαξ' ἀνδρώπων, Iliad. ι, 328.
Πέμπτος δ' ἐνδέκατα φημί. deest hîc ἀλαπάξαι, sed quod ex antecedentibus facilè suppleas. Est & in hoc Ellipsis,

Εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης. Iliad. μ, 243.

deest enim verbum substantiuum. &,

Ὦ πόποι, ἦ μοι ἄχος μεγαλήτορος Αἰνείαο. Iliad. ν, 293.

deest πάρεστιν, aut συμβέβηκεν, aut aliquid tale.

Affine huic est Asyndetō, cùm coniunctiones omittuntur, quarum est dictionem coniungere: idq; non

modò celeritatis, sed etiam affectuum exprimendorum causa adhibetur. Exemplum:

Odyss.κ,251 Ἰομὴν ὡς ἐπέπιτνες ἀνὰ ῥυμὰ φάσιμο Ὀδυσῆος,
Εὕρομεν ἐν βήσῃσι τετυγμένα λίθματα Κίρκης.

nam eo qui narrabat breuitate summa cupiēte rem referre, copulam ipse omisit. In Schematū numero est etiam Asyntacton, id est, non constructū: quod & Allœosis, quasi alteratio dicitur: fitq; tum, cùm vsitata cōstructio mutatur. Fit hoc varie, idq; ornatus causa, & venustatis: cum cohærere verborū structura ob insolentiam nō videtur, & tamen suam habet peculiari ad certum aliquid respectu cohærentiam. Sæpenumerò id evenit generibus nominum mutatis, vt in κλυτὸς Ἱπποδάμεια, pro κλυτὴ & βῆλυς ἠέρσα, pro βήλεια. Solebant enim antiqui masculina etiam pro femininis ponere, vtpote prestantiora, ac maioris momenti. non hoc tamen immodicè, aut sine ratione: sed tum, cùm attribuendū esset adiectiuum substantiuo tale, quod in eius corpore non inhæreret. Nā magnus magna, pulcer pulcra, & horū similia, in ipso insunt corpore. Extrà sunt, glorioſus, fortunatus. Ac præterea hæc, ideò quia cōpositā sunt, (ἐνδοξος inquam, & τυχὴς) cōmunia sunt. Nam in vniuersum adiectiua cōpositā vtriusq; sunt generis. Item cùm nominibus masculino & feminino commune adiectiuum aut participium respondet, tunc masculinum genus prævalet: vt,

Enallage.

Iliad.σ, 567. Παρθενικαί τε καὶ ἠΐθεοι ἀπαλὰ φρονέοντες.

Quædam etiam secus extulit, quàm vel dialectorū natura ferret, vel eius temporis vsus: vt,

Odyss.α,53. —ἔχει δέ τε νήσους αὐτὸς
Μακράς

Sæpe etiam metri causa genus mutat, vt in eo,

Odyss.ο,125 Δῶρόν τοι πρὸς ἐγὼ τόδε δίδωμι.

nam

nam ad personam respiciens, masculinum φίλι neutro τέκνον apposuit. cuius simile est in verbis Dionis ad Venerem,

Τίτλαθι τέκνον ἐμὸν, κρὰ ἀναίχιο κηλομένη πόρ. Iliad.ε,382

Eandem rationem ac respectum etiã illud obtinet,

Ηλθε δ' ὑδὲ ψυχὴ θηβαίης Τειρεσίαο Odyss.λ, 90.
Χρύσεον σκῆπτρον ἔχων. — nam ἔχων refertur nõ ad ψυχὴν, sed ad ipsum Tiresiam. Sæpe enim non ad vocabula, sed ad rem significatam accõmodauit cõstructionem: vt in hoc,

Πᾶσιν ὀρίνθη θυμὸς, ἑκάστῳ δὲ φάλαγγες, Iliad.π,20.
Ελπόμενοι παρὰ ναῦφιν ἀμύμονα πολέεσσιν.

nam hîc ἑλπόμενοι non aptatur ad φάλαγγες, verùm ad ἄνδρες, scilicet ad viros, ex quibus phalanges erant compositæ. Alio quoq; modo genus mutat: vt cum dicit,

— νηφέλιν δέ μιν ἀμφιβέβηκε Odyss.μ, 75.
Κυανέη, τὸ μὲν ὄπιστ' ἐρωεῖ. — nam quia idem significant νηφέλιν & νήφων, priore posito, adiectiuum ad posterius accommodauit. Talia sunt & hæc,

Τῶν δ' ὡς ὀρνίθων πετεήνων ἔθνεα πολλὰ, Iliad.β, 459.
Χηνῶν, ἢ γεράνων, ἢ κύκνων δολιχοδείρων,
Ενθα κρὰ ἔνθα ποτῶνται ἀγαλλόμενα πτερύγεσσι.

nam cum neutro genere genera auium proposuisset, ac species masculino explicasset: rursum infert neutrum genus πλαγχθὲν προπαθιζόντων. — quod ad ὀρνίθων respicit. Præter genus numeros quoque permutat sæpe poëta: vt cum scribit,

Η πληθὺς ὑδὲ νῆας Αχαιῶν ἀπονέοντο. Iliad.ε,305

proposito enim singulari, plurale intulit, respectu nimirum significationis. Nam πληθὺς multitudinem significat: éstque numero singulare, cum in se multa complectatur. Contrà plurali proposito, singulare ei applicat: vt,

— οἱ δ' ἄλκιμον ἦτορ ἔχοντες, Iliad.π, 265.

Πρόσω πᾶς πίτνται. —

πᾶς enim, quod omnis est, numero singulare, plurali respondet, quia idem significat quod πάντες. Eandem formam hoc habet,

Initio Odyss. γ. Οἱ δὲ Πύλου Νηλῆος ἐϋκτίμενον πτολίεθρον
Ἷξον, τοί δ' ὣδί ἕῖνι θαλάσσης ἰσρὰ ῥέεθρα.

τοί enim Pylios notat, quorum vrbs modò nominata fuit. Iá casuum quoq; apud eũ est permutatio. Vocatiuus pro nominatiuo positus, θύεσα pro θύεσης:

Iliad. β, 107. Αὐτὰρ ὁ αὖτε Θύεσ' Ἀγαμέμνονι λᾶπι φορῆναι.

& πιφιλησρίτα Ζεῦς, pro πιφιλησρίτης. Item,

Odyss. ρ, 415. Δὸς φίλος· ἐγὼ γάρ μοι δοκέεις ὁ κάκιστος Ἀχαιῶν.

Datiuus pro genitiuo:

Iliad. γ, initio. Τρωσὶ μὲν προμάχιζεν Ἀλέξανδρος θεοειδὴς.

pro τρώων. & contrà σπάες pro σπεῖ,

Odyss. ι, 368. ὁ δ' αὖτε τετάνυσε θοῷ ἐπὶ σπάες γλαφυρῷιν.

Causa est, quòd cognati invicem videntur, rectus, accusatinus & vocatiuus casus: itaque & in neutris omnino, & in multis masculinis ac femininis sunt iidem. Itidem & datiuus genitiuo videtur cognatus quodammodo: vnde fit vt in duali numero in omnibus generibus iidem sint. Quare & casuum à recepto vsu varians mutatio aliquid habet consentanei. Quanquam causa nonnũquam etiam adferri potest,

Iliad. ι, 222. vt in ἱφιτάμενοι πεδίοιο, & in διίπρηνον πεδίοιο: hoc e-
Iliad. γ, 14. nim est perinde ac si dixisset ἐπὶ ῥωγὰς διὰ τὸ πεδίον. Bene habet etiam apud eum mutatio casuum initio vtriusque poematis, cum accusatiuo posito, deinde

Iliad. α, 1. nominatiuus locatur pro eo. Μῆνιν ἄειδε θεὰ — μήνιν Ἀχαιοῖς ἄλγε' ἔθηκεν. &,

Odyss. α, 1. Ἄνδρα μοι ἔννεπε μοῦσα πολύτροπον, ὃς μάλα πολλὰ πλάγχθη. —

Aliquando genitiuo rectum subiicit: vt,

Iliad. α, 272. Τῶν οἱ νῦν βροτοί εἰσι. —

Multa etiam alia forma protulit: vt,

Φημὶ

Φημί γὰρ ὧν κατανεῦσαι ὑποδρομένια Κρονίωνα Iliad.β,350
Ηματι τῷ, ὅτε νηυσὶν ἐπ' ὠκυπόροισιν ἔβαινον
Αργείοι, Τρώεσσι φόνον καὶ κῆρα φέροντες,
Ασπάσιον ὅτε λεξί, ἐναίσιμα σήματα φαίνων.

Cuius simile est illud:

—— ὅθι ἀγλαΐηφι πεποιθώς, Iliad.ζ.fine
Ρίμφα ἐγὼν ἅφαρ εἶμι. ——

Atque hæc ipsa quoque more antiquo quodam extulit, neque nulla ratione. Quippe participiis per verba explicatis, cohærentia apparebit. nam ἀσπάσιον id valebit quod ἄσπαστος, & πεποιθὼς idem quod ἐπὶ πέποιθε. Germana horum sunt:

Οἱ δὲ δύο σκόπελοι, ὁ μὲν οὐρανὸν εὐρὺν ἱκάνει. & alibi: Odyss.μ,73
Τὼ δὲ διακριδίντε, ὁ μὲν μετὰ λαὸν Αχαιῶν Iliad.ν,
Ηΐ', ὅθ' ἐς Τρώων ὅμαδον κίε. —& similia. Non enim à ratione alienũ est, dicturum de duobus, rectũ casum præmittere, in quo id quod cõmune est alteri cũ altero seruatur: quã communitatẽ nemo nõ videt multũ gratiæ orationi apponere. Alicvbi cõmuni casu præposito, verba de altero deinde facit: vt, 306.

Αμφω δ' ἐρομένω. γοραρώτερος ἦεν Οδυσσεύς. Iliad.γ,211

Species quoque nominum permutat: sæpe ponens pro positiuo comparatiuum: vt,

——σακέσπαλος ὡς ἔχε νῆας. Aliquando superlatiuum pro eodem: vt, δικαιότατος κεκαύχημαι. Talis ergo est in nominibus immutatio. In verbis porrò aliquando modos permutauit, vt cùm loco imperatiui infinitiuum ponit: vt, Iliad.ἀ, 32. Iliad.λ.fine

Θαρσῶν νῦν Διόμηδες ἐπὶ Τρώεσσι μάχεσθαι, pro μάχε. Aut pro optatiuo indicatiuum, Iliad.ε,124

Πλησθὲν δ' ἂν ἐγὼ μυθήσομαι, ὃν δ' ἐνομλίω pro μυθησάμιλω, ἐνομλίωαμι. Ac vice versa optatiuum pro indicatiuo: Iliad.β, 488.

Καὶ νύκε' ἐνδ' ἀπόλοιτο Αρης. —— pro ἀπώλετο. Aliquando tempora. præsens pro futuro: Iliad.ε,388

Iliad.α,29. Τὼ δ' ἐγώ τ' λύσω, πρίν μιν καὶ γῆρας ἐπεῖσι. erat enim dicendum, ἐπιλύσεται. Aut pro præterito imperfecto:

Odyss.ζ, 51. Ενθ' ὅτε πλωτοὶ ἦσαν ἐπικτανέειν, πολὺ δ' ὕδωρ
Καλὸν ὑπεκπροφέρει. —— pro ἐφέρει. Aut futurum loco præsentis:

Odyss.α,24 Οἱ μὲν δυσομένης Υπερίονος, οἱ δ' ἀνίοντος. Vel idem loco præteriti:

Δείδω μή μοι παῦτα διὰ νυμφοτίη ἔπῃ. pro ἔπει. Genera sæpenumerò permutat. Passiuũ ponit pro actiuo, aut mediũ: vt, Ελκετο δ' ἐκ πολιοῖο μέγα ξίφος. —— pro ἕλκει, & καθορώμενος ἄλας: pro ὁρῶν. Ac vicissim actiuum loco passiui:

Δωρήσω τρίποδα χρυσούατον, —— cum esset dicendum δορίσομαι. Numerum quoque pro numero ponit. pluralem pro singulari: quod vsitatum est, cum quis de se ipso loquitur: vt,

Iliad.a, 194.

Odyss.α,10 Τῶν ἀμόθεν γε διὰ δύγατερ Διὸς ἔσσε καὶ ἡμῖν. id est, ἐμοί. Est & vbi permutat personas: non modò sic,

Iliad. ι, 877. Αλλοι μὲν γὰρ παῦτες ὅσοι θεοί ἀσ' ἐν ὀλύμπῳ,
Σοί τ' ὀπιθέδοντα, καὶ διιδμήμεθα ἕκαστος.

Multi enim cum sint dij, quorum vnus etiam est ea quæ loquitur persona, vtrunq; rectè extulit ὀπιθέδοντα tertia, & διιδμήμεθα prima persona. Aliàs, cùm misso eo de quo sermo est, ab vna persona trãsitus fit ad aliam, quod ἀποστροφὴ seu aversio propriè dicitur: atque hæc figura imitatione verborum loquentis, auditorem mouet atque ducit. tale est,

Iliad. ο, 346. Εκτωρ δὲ τρώεσσιν ἐκέκλετο μαιμὼς ἀΰσας
Νῆυσὶν ὀπιστύεσθαι, ἐᾷν δ' ἐναρα βροτόεντα.
Ος μ' ἂν ὑγὼν ἀπαΰσειε νεῶν ἐτερωθι νοήσω.

A narratione enim & oratione obliqua ad mimesim, id est, directam, qua ipsius Hectoris verba referuntur, desciuit. Quin & in ipsa narratoria oratione sæpe apostropha vtitur: vt,

Αμφὶ

Ἀμφὶ σὲ Πυλίοις ὑὶ μάχης ἀκόρητοι ἀχαιοί. Iliad.υ. 2.

Etiam personas in eo sermone mutat, quo verba alterius referuntur: vt,

——Ἦ δὴ πᾶσιν ὑοικότις ἀγορᾶσθε Iliad.β. 337.

Νῦ πεϊάχοις, οἷς ἔ τιμίλει πολιμήια ἔργα,

Ατρέϊδη σὺ δέ δ' ὡς πρὶν ἔχων ἀστιμφέα βελὴν

Αρχὸν Αργείοισι κατὰ πρατόρας ὑσμίνας.

Aliud genus Apostrophæ hoc est:

Τυδείδην δ' ὄν κε γνοὺς ποτιφροσι μιτείη. pro ὄν κε γνοὺς τις γνοίη. & alibi, Iliad.ε. 85. Odyss. ι. 209.

——Οδμὴ δ' ἠδεῖα ἀπὸ πρητῆρος ὀδώδει

Θεσπεσίη, τόν τ' αὖ ἔ τοι ἀποσχέσθαι φίλον ἦεν.

Participiis vtitur loco verborum: vt,

——ἐνί νήπω Καρπῷ βριδομένη. —— pro βρίδεται. Iliad.θ. 306.

Ενθ' οἵ γ' ἐσίλασσαν πρὶν ἐδέντις. —— pro ἐδένται. Odyss.φ. 213.

Sæpenumerò etiam articulos permutat, loco subiunctiuorum præpositiuis vtens: vt,

Τὸς ἔτικε βιφύρῳ αὐέμῳ αἰπύτα Βοδρόμῳ. pro οὕς. Iliad.π. 150.

Et, Καὶ θώρηχ', ὁ γὰρ ἦν οἱ, ἀπώλεσε πεδὸς ἑτάρος. pro ὅς. ac vice versa. Iliad.σ. 460.

Ita præpositiones etiam solet commutare: vt,

Χθιζὸς ἐβη μετὰ δαῖτα. —— pro ἐπὶ δαῖτα. Sic & Iliad.α. 724.

Νῆσον ἀνὰ σφατὸν ὄρσε πανδῶ. ——

Ac præpositionibus præterea nomen alieno casu subdit: vt, Ibid.10.

Μή πως ἡμὶ διὰ νύπτα μεμνοινύσωσι μάχεσθαι, pro διὰ νυπτὸς. Aliquando præpositiones omittuntur: vt, τῦς ὅγε πάτ' ἀχέων. —— id erat, πρὸ ἦος. & —— ποτιδεγμένος ἐ τιμὴν ἔπῃ. pro πρόσεπῃ. & alias quoque præpositiones quà permutat, quà omittit. Adverbiis quoque localibus, ad locum, in loco, vel de loco significantibus, promiscuè vtitur: vt, Iliad.κ. 101. Iliad.β. 694. Odyss.ψ. 91

Υιωνοὶ δ' ἑτέρωσι πάδησον. —— pro ἑτέρωθι. & Αἴας δ' ἐγγυθὲν ἦλθε. pro ἐγγύς. Coniunctionum quoq; permutationem apud eum deprehendas. Ε ὐνῆ Iliad.κ. 219

Odyss. α. 433. ἡ ἥπιστ' ἐμιμήσ', χόλον δ' ἀλίεινε γυναικὸς: pro γὰρ posito δὲ. Hæ sunt dictionis figuræ, quibus & reliqui omnes non poetæ modò, sed & solutæ orationis scriptores vtuntur. At verò sententias multis figurarum modis idem variauit. Est eius generis & προαναφώνησις, quæ fit, cum aliquid narrans, interim id prædicit, quod pòst futurum, & alio loco deinde dicendum erat: vt,

Figuræ sententiarum.

Odyss. φ. 98 *Gustaturus erat primus sanè ille sagittam.* & ἐπιφώνησις, seu acclamatio:

Iliad. ρ. 32. *Nam rem, quando usu uenit, stultus quoque sentit.*

Multæ quoque sunt apud eũ & variæ prosopopœię. nam multas ac varias inducit personas loquentes, iísque omnis generis mores affectúsque attribuit: nonnunquam etiam eas confingens personas, quæ nullibi sunt. vt,

Iliad. κ. 125. *Proh quantus dolor annosum nunc Pelea tangat.*

Hypotyposis. Est & Diatyposis, descriptio eius quod vel fit, vel est, vel fore dicitur, perspicuitatis causa proposita. vt in his:

Iliad. ι. 589. *Quippe uiros cædunt, urbem flamma improba delet,*
Abducit miseris natos cum matribus hostis.

Aut fit hoc miserationis mouendæ gratia. vt,

Iliad. χ. 60. *Me miserum, in senij Iupiter quem limine sæuus*
Aduerso perimet fato, mala plurima passum:
Occidi postquam natos, natasq; uidere
Raptari, excindi thalamos, duraeq; miselos
Alliqi infantes terræ me cernere adegit.

Ironia. Est & Ironia, vbi contrarium verbis indicatur, ciuili quadam simulatione, quale illud Achillis:

Iliad. ι. 346 *Nunc tecum Laertiade & cum regibus ille*
Hostiles aliis depellere nauibus ignes
Cogitet. — & paulò pòst,
— *alium sibi quærat Achiuum,*
Ipsi qui quadret rectè, & mage regius extet.

Atque

Atque hic est modus, cum de seipso aliquis abiectè loquitur, vt contrarium innuat. Alius, cum simulamus nos aliquê laudare, quem reipsa vituperamus. Ita apud Homerum Telemachus:

Antinoe, ut genitor nato, sic tu mihi certè Cõsulis. — Odyss. ϱ. 397.

Et vicissim, cum subsannandi causa magni aliquid alteri tribuimus:

Nimirum exitium parat illætabile nobis Odyss. β. 325.
Telemachus, sociosq; Pylo Spartaue uocatos
Adducet: quorum, toto quod pectore tractat,
Auxilio expediat facinus. —

Sarcasmus. Ironiæ species est & sarcasmus, cùm contrariis verbis exprobrans quippiam alteri, subridere se fingit: vt Achilles in his,

Dona aliis sua tuta iacent. Graium mihi soli Iliad. ι, 336.
Abstulit ille meam: grata cum coniuge porrò
Oblectet sese. —

Allegoria. Affinis horũ est Allegoria, cum aliquid aliud quàm quod dicitur, intelligi volumus. Tale est,

Certè equidem hanc duces omnino Melanthie noctem Odyss. χ. 195.
In molli stratus, nam conuenit hoc tibi, lecto.

qui enim erat in vinculis, ac suspensus: illum in molli strato dormiturum ait.

Hyperbole. Hyperbola sæpe est vsus, quę rẽ extollendo excedit veritatem, magnam intendendi vim habens: vt,

Vincebant candore niues & flamina cursu. Iliad. ν, 437.

Hisce ergo vsus est figuris ac tropis Homerus, vsúmque eorum posteris ostendit: quo nomine ab omnibus gloria, quæ istis rebus debetur, meritò illi defertur. Iam cum tria sint genera orationis, quas effictiones vocant, grande, tenue, ac medium: videamus, omnium ne apud Homerum sint exempla. Nam qui eũ subsecuti sunt & poetæ & oratione soluta scribentes, vnum de his aliquod sectati sunt: vt, verbi gratia, Thucidides grande, Lysias humile, medium Demosthenes. Grande est, in quo &

Orationis genera.

dictionum & sententiarum apparatus vim in se quã dam magnam habet. exemplum est:

Odyss. ι, 291.

Ὡς ἐπὸν, σύναγεν νηΐλας, ἐταράξει δὲ πόντον,
Χερσὶ τρίαιναν ἐλών, πάσας δ' ὀρώρειν ἀέλλας
Παντοίην αὐτῇσιν, σὺν δὲ νηΐεσσι κάλυψε
Γαῖαν ὁμῦ καὶ πόντος. ὀρώρει δ' ἠέρι νύξ.

Tenue, quod & materiam dicendi sumsit exilem, & dictione gracili compræhenditur: vt,

Iliad. ι, 466.

Ὡς ἐπὼν, ὃ παιδὸς ὀρίξατο φαίδιμος ἕκτωρ,
Αψὰ ὁ παῖς πρὸς κόλπον ἰῦζόωνοις τιθήνης
Εκλίνθη ἰάχων, πατρὸς φίλης ἔψιν ἀτυχθείς,
Ταρβήσας χαλκόν τ' ἰδὲ αὐ λόφον ἱππιοχαίτην.

Medium quod vtrique interiectum, hoc grandius, illo humilius est: vt,

Initio Odyss. χ.

Αὐτὰρ ὁ γυμνώθη ῥακίων πολύμητις Ὀδυσσεύς,
Αλτο δ' ἐπὶ μέγαν ὀλὸν ἔχων βίον ὐδὲ φαρέτρω
Ιῶν σὺν λάπην, ταχέας δ' ἐκχύσατ' ὀϊστοὺς
Αὐτοῦ πρόθι ποδῶν, μετὰ δὲ μνηστῆρσιν ἔεπεν.

Frequens esse apud hunc poëtam orationis etiam id genus quod floridum dicitur, quia floris instar pulcritudinem habeat, gratiámque oblectando aptam, quid dicere attinet? Nam tali apparatu repleta est eius poësis. Forma igitur dictionis Homericæ eã habet varietatem, quam indicauimus paucis expositis exemplis, ex quibus etiam alia intelligere liceat. Cęterùm quoniam omnis sermo qui inter homines vsurpatur, aut historicus est, aut ciuilis: agedum disp iciamus, num & horum principia apud Homerũ extent. Historica oratio est, quæ rerum præteritarum continet narrationem. Omni narrationi occasionem præbent hæc: persona, causa, locus, tempus, instrumentum, actio, affectio, modus: neque extra hęc quicquam vlla in historica narratione inest. Invenias autem apud Poëtam multas non modò rerum aut gestarum, aut tanquam gestarum narrationes: sed & singularum circunstantiarum. Personæ: vt,

Oratio historica.

Inter

Inter Dardanidas præstans uirtutis opumq;
Laude Dares erat, atq; tuus Vulcane sacerdos. Iliad.ε, initio.
Huic duo erant nati quæcunq; ad prælia docti
Phageus, Idæusq;, & noti fortibus armis.

Aut cum formam alicuius describit: vt Thersitæ,
Lumina distortus, claudum crus ille trahebat: Iliad.β, 217
Conue i in pectusq; humeri, deformis acumen
Insuper in summo capitis, tum glabra capilli
Caluicies illum turpabant. — & multa alia, quibus aut formam, aut mores, aut actionem, aut fortunam alicuius personæ solet enarrare. cuius generis est & hoc,

Principio Iouis est de semine Dardanus ortus: Iliad.υ, 215
ac quæ sequuntur in genealogia Aeneæ. Loci de- Odyss.τ, 116
scriptio: vt cum insulam insulæ Cyclopum vicinam, quæ eius forma, quantitas, ac qualitates, quid in ea & circum eam sit explicat. Item cum narrat, quæ circa antrum Calypsonis fuerint:

Υλη δ' ὀπίσσω ἀμφιπεφύκει τανυφύλλων,
Κλήθρη τ' αἴγειρός τε καὶ εὐώδης κυπάρισσος Odyss.ε, 63.

Temporis: vt,
Quippe nouem toti fluxerunt cœlitùs anni. & rursus: Iliad.β, 134
Aulide cùm classis quondam conuenit Achiuûm, Ibid.303.
Troibus & Priamo tristem allatura ruinam.

Causæ, cum indicat propter quid fiat res aliqua, aut facta sit: quale est illud initio Iliadis:

Quísnam illos superûm tam dira ad iurgia adegit?
Quem Latona Ioui peperit, deus ille Pelasgûm
Iratus regi, pestem per castra malignam
Dispersit, populum sæuo exitióq; necauit:
Pontifici nullum quòd honorem habuisset Atrides
Chryseæ: — & cætera. Nam hic causa contentionis, quæ extitit inter Achillem & Agamemnonem, refertur: pestis, pestis causa, ira Apollinis: huius, in-

iuria qua ſacerdos ipſius erat affectus. Inſtrumenti, vt cùm ſcutum deſcribit, quod Achilli Vulcanus fabricatus eſt. & breuior alia haſtæ Hectoris:

Iliad. σ, 478. inde.

Huc ſuperſtm gratus regi ſeſe intulit Hector,
Iliad. ζ, 318. *Vndecimum in cubitum porrectum haſtile gerebat*
Ille manu, ærata præfixum cuſpide, & illam
Fibula committens circumdabat aurea ligno.

Actionum ſunt cùm aliæ, tum hæ:

Iliad. δ, 446. *Atq; illi, ut uacuo concurſum eſt æquore campi,*
Inuadunt Martem clypeis, & robore & haſtis,
Dántq; fragorem arma, inter ſeſe umbonibus aſper
Colliſis latè reſonátq; tumultus in auras.

Affectionis, cũ id quod accidit, aut cauſa, aut actione aliqua declarat: qualia ſunt, quæ commemorat de iis quos ira, metus, dolórve inceſsit, aut qui vulnerantur, occiduntur, vel tale aliud quippiam patiuntur. A cauſa: vt,

Iliad. α, 103. *Indoluit, ſæuo præcordia concitáq; æſtu*
Intumuere, oculis arſitq; furentibus ignis.

Ab actione,

Iliad. ρ, 51. *Sanguine fœdata eſt coma ei pulcerrima, qualem*
Formoſæ oſtentant Charites: auróq; & amœno
Intorti argento maduerunt ſanguine cirri.

Modus eſt, qui efficit actionem aut affectionem aliquam, aut reſpectum, cuius cauſa alterum certo modo agit, alterum certo modo afficitur: iſq; omnibus talibus narrationibus adhæret. exemplum eſt,

Odyſſ. χ. initio. *Huic intentata guttur iuuenile ſagitta*
Tranſadigit Laertiades: moribundus at ille
Voluitur in latus éq; manu patera excidit icti,
Fiſtuláq; extemplò per nares craſſa cruoris
Erupit. — & cætera.

Narratio apud eum plerunque dilatata verbis eſt, & pro rei quæ refertur magnitudine abſoluta. aliquando breuis, ac iuxtà efficax: vt hæc,

Patro-

Patroclus periit tibi, deq; cadauere nudo Iliad. σ, initio.
Certatur: tenet arma, illum quibus exuit Hector.

quæ forma sæpenumerò vtilis est, quòd breuitate & apud eum qui dicit, & apud eum qui audit, plus valet, ac facilè id quod vult consequitur. Aliquãdo rem nudam narrat, aliquando exemplo, aut similitudine, aut comparatione adhibita. Exemplo: vt,

Egressa est thalamo tum prudens Penelopea, Odyss. τ, 53.
Filia Latonæ uelut, aut Venus aurea qualis.

Similitudine:

Verùm tanquam aries, Graias obit ille catervas. Iliad. γ, 196.

Comparatione, cùm similibus rebus iuxta se collocatis atq; expositis, ad præsentem rem accommodationem facit. Sunt autem varia apud eum comparationum genera: quòd assiduè & multifariam humanis actionibus atq; affectionibus, aliorũ animalium naturas atque actiones confert. Aliquando à minimis similitudinẽ petit, non ad corporis magnitudinẽ, sed ad naturam eorum quæ comparat respiciens. Ita pervicaciam muscæ exemplo expressit: *Comparationes Homericæ.*

Atq; animo illius muscæ indidit improbitatem. Iliad. ρ, 570.

& multitudinem continuam, eodem:

Qualia muscarum quis crebrarum agmina cernat. Iliad. β, 469.

multitudinem verò bono ordine compositam, apũ:

Qualia apum densa uolitant examina turba. Ibid. 87.

Iram quoque & insecutionem ita expressit:

Mox sese toto effuderunt agmine, quales
Sæpe uiam propter cernis se effundere uespas, Iliad. π, 259
Iritant quas more suo pueri. —

quod additum est, vt naturalis vesparum iracundia puerorum iritatione acrior facta, intelligeretur. Itẽ de continuo sermone ita dixit:

Fundere uerba boni: quales ubi sylua cicadas.

nam cicada animal est, vt ita dicam, loquacissimum, Iliad. γ, 151.

ac vocem edere nunquam desinens. Promiscuas voces eorum qui nullo ordine incederēt, ita expresit:

Ibid. initio. *Vtq; gruum it cœlo clangor.* —

& multitudinem quæ in ordinem componitur, auibus comparat considentibus,

Iliad. β, 463. *Cum clangore sedem capiunt.* —

Celeritatem visus & actionis accipitri confert: qui,

Iliad. o, 283. *Cæde palumbibus infensus, uolucrumq; supremus*
Impete pennarum celeri. —

aliquando aquilæ:

Iliad. ϱ, 675. *Illa etiam sublime uolans, cœlóque propinquans,*
Velocem pedibus leporem uidet eminus, atque
Arripit. — visus acumen eo indicans, quòd tã procul cernit: velocitatem, quòd animal celerrimũ capit. Perterritum adspectu hostis, assimilauit ei qui serpentem conspexerit, non dedignatus etiam ab humi reptantibus exemplum sumere,

Iliad. γ, 33. *Vt cùm conspecto gressum quis rettulit angue.*

Ab aliis animalibus, à lepore & ceruo timiditatis,

Iliad. δ, 243. *Quid statis? cur hinnuleorum instárue pauetis?*

A canibus aliquando fortitudinis,

Iliad. κ, 360 *Vtq; canes ualidis duo freti dentibus.* —

aliquando amoris erga prolem,

Odyss. υ, 14. *Vt cum pro teneris catulis canis anxia latrat.*

aliquando ad studium diligentiámque custodiendi eam comparationem adhibet:

Iliad. ν, 183 *Non secus atque canes, pecoris custodia clausi*
Quis data, peruigiles sonitus cum fertur ad aures.

Raptum, qui animosè simul & nullo metu fit, lupis adsimilauit:

Iliad. π, 352 *Vtq; agnos hædósue lupi inuasere feroces.*

Fortes, & qui se de statione pelli non sinant, exēplis aprorum, pardorum, & leonum depinxit: vnicuilibet id tribuens, quod esset naturæ ipsius proprium. Apris impetum ad pugnam, qui subsisti nequit:

Qualis

Qualis apri, ad pugnam talis tunc impetus acrem Iliad. δ, 253.
Idomenea tulit. —

Pardali, audaciam compescí nescíam,
Nec transfixa graui sæuam uim desinit hasta. Iliad. φ, 577

Leonibus cũctationem, sed quæ in animosum erum pat facinus,
Tum geminum latus ille, & uerberat ilia cauda. Iliad. υ, 170

Rursum viri fortis cursum equo cibi saturo cõferẽ;
Qualis ubi satur, & stare ad præsepe recusans Iliad. ζ, fine
Fertur equus. —

Contrà tardum incessum, ac invictam in eo perseue rantiam sic indicauit,
Qualis ubi inuitis asinus cum fertur in agros, Iliad. λ, 557
Et pascit pueris. —

Formam regiam & excellentem, sic:
Qualis in armento bos præstantißimus omni. Iliad. β, 480.

Nec maritimorum quidem animalium similitudines præteriit. Polypi permansionem, & quàm vix à saxo avelli possit, in his extulit;
Vt cùm polypodem cæca extraxere cauerna. Odyss. ε, 432.

Delphini principatum & imperium in alios, ita:
Ingentem ueluti pisces delphina marini, &c. Iliad. φ, 22.

Sæpenumerò etiam quæ ab hominibus agerentur, aliis comparat actionibus: vt,
Quales messores, qui parte ab utraque locati, Iliad. λ, 67.

& cætera: quibus virorum sedulitatem ac laboris tolerantiam exponit.

Perspicua similitudine exprobrat parũ virilẽ fletũ,
Quid ploras instar teneræ Patrocle puellæ? Iliad. π, initio.

Elementis quoque comparare ausus est humanas actiones: vt,
Sic fatum populus clamore excepit Achiuus Iliad. β, 394.
Ingenti. qualis resonat uox litore in alto,
Cùm procurrenti scopulo in mare turbidus Auster
Allidit fluctus, quem nunquam non grauis unda

Verberat omnigenis agitantibus æquora uentis.

Apparet autem hic eum & auxesi vsum esse, & hyperbola. Non enim contentus fuit clamorem sonitui fluctus conferre: sed addidit talis fluctus, qualis ad altum littus appellitur, ibíq; elatus in sublime, maiorem sonitum dat. neq; fluctum simpliciter dixit, sed ab austro excitatũ, qui maximè humida mouet: ídq; in scopulo qui in mare protenditur, ab eóque alluitur: itaq; perpetuò fluctibus feritur, vndecunq; venti incidant. Hoc ille modo narrationes suas elaborauit: quod ex his paucis exéplis liceat etiam in multis deprehendere. Consideremus nunc alia quoq; orationis genera, vt & ea primum omniũ Homerus animo cõceperit, evidentérq; composuerit. Hîc quoq; similiter pauca exempla proposita, re liquorum intelligentiam patefacient. Oratiò contemplatiua (sic appellemus theoreticam) est, quæ ea quæ theoremata dicũtur, complectitur: sunt autem ea disciplinarum percepta, siue veritatis artificiosa cognitio. per hęc naturam diuinarum, humanarúmque rerum cognoscere, virtutes ac vitia morum distinguere datur: ac præterea intelligere, arténe aliqua differendi indagare veritatem conveniat. Tractauerunt ista ij, qui philosophiæ studium suum, vitámq; addixerunt: & adhuc partes philosophiæ habentur, Physica, Ethica, ac Dialectica. Quòd si ergo deprehendamus omnium horum initia ac semina Homerũ scriptis suis inseruisse, cur non is maiori, quàm quivis alius, admiratione dignus habeatur? Neq; alienum à ratione videri debet, si quędam per ambages & fabulas indicauit. Hæc enim causa est poëseos, ísq; mos veterum: vt & qui discendi studio tenentur, quadam subtilitate illecti, eò facilius inquirerent veritatem, atque invenirent: & indociles ea non cõtemnerent, quę nequirent assequi. Nescio enim quomodo id quod occultè dicitur, in admiratione habetur: cùm contrà vile videatur, quod manife-

Oratio philosophica.

Philosophiæ partes.

nifestò effertur. Initium ergo sumamus ab Vniuersi exordio & ortu, quæ Thales Milesius ad aquæ substantiam refert. Videamus, an non primus hoc senserit Homerus, cùm diceret: *Physica de rerum principiis.*

Præbuit Oceanus cunctis primordia rebus. *Iliad. ξ. 246.*

Post hunc Xenophanes Colophonius principia rerum autumans aquam esse ac terram, videtur ansam arripuisse de Homerico isto,

Vos uerò in terram cuncti redigamini, aquámq; *Iliad. π. 99.*

Significat enim dissolutionem Vniuersi in principia ea, ex quibus ortum habet. Maximè autem vera opinio quatuor elementa perhibet, ignem, aërem, aquã & terram. quæ videntur ipsa quoque Homero nota fuisse. singulorum enim non semel meminit. Quin & ordinem eorum intellexit. Nam quòd terra infimum sit omnium, consideremus. Cùm mundus sit globosus, rectè quidem superiorem locum cœlo, quod complectitur omnia, tribueris. Terra autem in mèdio prorsus cõstituta, inferior cõtinente eam cœlo est. Id Poëta præsertim ibi ostendit, vbi Iupiter ait, se demissa è cœlo catena terram ac mare sursum attracturum, ita vt omnia in sublimi pendeant. Locus est Iliadis octaui libri initio. Porrò cũ supra terram sit aër, hoc ipso sublimiorem ætherem facit: *Elementa.*

Abiete consensa procera, quæ super Idæ *Iliad. ξ. 287.*
Vertice ad ætheream sublata per aerea sedem
Creuerat. — Aethere cœlum superius,
— *Sterilemque per æthera longè* *Iliad. ξ. 424.*
It strepitus cœlo uehemens pugnantibus illis.

Item illud:

ὑψόϑι δ' αὐϑὶς μέγα ϑεσπεσίη ἐλυμπόνδε. *Iliad. α. 467.*

Partem enim aëris purissimã, quæ summo loco est, longissiméq; à terra & eius exhalationibus remota, Olympum aiunt dici, quasi ὅλον λαμπρὸν, id est, totum splendidum. Quòd autem Iuno Iouis vxor dicitur, cuius est soror, videtur eo sensu dictum, quòd

Iuno intelligatur esse aër, quæ est humida substantia. vnde etiam dicit,

Iliad. φ, initio. —— ὑγρὰ δ' ὕδωρ πίνα πρόδε βαθεῖαν. ——

Iupiter autem æther sit, quæ est substantia ignea, & calida. vnde illud,

Iliad. ο, 192 *Sorte Ioui datus est æther, cœlum, nebulæq;.*

Germani itaq; videbantur propter contiguitatem ac quandam similitudinem: vtrunq; enim elementũ leue, & quod in motu sit: coniuges dicuntur, quòd eorum coitu omnia nascãtur. Itaq; etiam in Ida congrediuntur, terráque eis herbas ac flores edit. Eôdem pertinet, quòd Iupiter dicit, se suspendisse Iunonem, appensis ad pedes eius duabus incudibus: nimirum hæ sunt terra & aqua. Maximè autem elementorum conficiũt explicationem, quæ apud eum loquitur Neptunus, tres esse filios Saturni & Rheę, Iouem scilicet, se, & Plutonem, qui inferis imperet: in tres partes vniuersum esse tributum, ita vt cuivis sua obtigerit dignitas. Ioui enim cessisse ignis substantiã, sibi Neptuno aquæ, Plutoni aëris: eum enim vocat φῶφορ ὑπερόφυλα, quia lumen proprium non habet, sed à Sole, Luna, reliquísque illustratur stellis. Quarta communis omnibus relicta esse dicitur terra. Nam cùm trium elementorum natura in perpetuo sit motu, sola terra immobilis permanet. Atque huic Olympum adiungit: qui si mons sit, pars vtiq; est terræ: sin cœli splendidissima & purissima pars, etiã hæc erat quinta cum elementis essentia: in qua sententia nobiles quidam fuerunt philosophi. Itaq; conuenienter vtrunq; commune dixit: & terrã quæ infima est ob grauitatem, & cœlum quod ob leuitatem est summum. quippe versus hæc ea quæ in medio sunt aliàs deferuntur, aliàs efferuntur. Porrò cùm elementorum natura ex contrariis constet, siccitate, humiditate, caliditate, & frigiditate: eadémque ob mutuam proportionem atq; temperamentũ

Iliad. ξ, 346.

Iliad. ο, 18.

Ibid. 185.

vniuer-

vniuersas res producant: cúmq; partes vniuersi mutationibus sint obnoxiæ, interim tamen ipsum nequaquam dissoluatur: hæc inquam cùm sint, Empedocles vniuersa constare dixit,

Vinculo amicitiæ coalescant cùm modò cuncta,
Dissidij in diuersa aliàs cum pondere uergant
Singula. — elementorum enim concordiam & vnitionem amiciciæ vocabulo afficit, discordiæ contrarium. At Homerus eo prior, per ambages amiciciam istam, discordiámq; innuit, his verbis:

Nunc terræ fines uado inspectura feracis, *Iliad. ξ.*
Principiúmque deûm Oceanum, & Thetyn genitricẽ, 200.
Dissidiis quorum longis imponere finem
Visendo instituí. —

Tale est etiam, quod Martis ac Veneris fabula innuit, quorum hæc Empedocleæ amicicię, ille discordiæ respondet. Itaque aliquando congrediuntur, aliquando disiunguntur. Indicat eos Sol, ac vinculis eos constringit Vulcanus: soluit autem Neptunus. *Odyss. θ.* 266.
Vnde apparet, calidam naturam ac siccam, tum huic contrariam quę frigida est & humida, aliquando omnia cõponere, aliquando dissoluere. Quibus convenit id quod ab aliis est poëtis traditum ex Martis & Veneris coitu Harmoniam ortam: nimirum ex contrariis, grauibus ac leuibus certa ratione temperatis, quãdam convenientiam. Quomodo autem repugnent sibi invicem ea quæ contrariæ sunt naturæ, id occultè indicauit Poeta, vbi deorum adversos ordines describit, Græcis partim, partim Troianis auxiliantium, singulorum vim sub involucro proponens. Ac Apollinem quidem Neptuno opponit, calidum & siccum frigido humidóque: Mineruam verò Marti, ratione præditum ei quod rationis est expers, hoc est bonum malo. tum Iunonem Dianæ, id est, aerem stabilem Lunæ mobilissimæ. item Mercurium Latonæ, cùm ille rationem notet, *Iliad. υ, 67. & φ, 210.*

quæ ſemper inquirit & meminit: hæc obliuionem, ei contrariam. denique Vulcanum fluuio eadem ratione, qua Solem mari. Spectatorem pugnæ, eáque gaudentem, facit deorum principem. Apparet porrò ex prædictis, id quoque Homerum innuiſſe, vnicum eſſe mundum, eúmq; finitum. Nam ſi infinitus eſſet, non diuideretur in partes finito numero comprehenſas. Et quidem ipſum Vniuerſi nomen, vnum aliquid deſignat: * ſicvt & in aliis multis pro ſingulari vtitur plurali. Idq; ipſum apertius oſtendit, dicens: —*fines terræ.* & rurſus:

Mundus vnus & finitus.

Iliad. ſ, 200.

Non ſi telluris fines adeas, pelagúe
Extremos. — Item:

Iliad. ϐ, 478.

Multiiugi ſuper extremo tum uertice Olympi.

Iliad. α, 499.

Vbi enim eſt ſummitas aut extremum, ibi etiam finis. De Sole quoque quid ſenſerit, manifeſtum eſt: nempe eum motu circulari ferri, ac modò ſupra terram extare, modò infra eam deſcendere. Hoc enim illi verſus docent:

Sol.

Odyſſ. ι, 191.

O ſocij, neq; enim noctis qua parte tenebræ
Naſcantur, uel qua roſeis aurora quadrigis
Vecta diem referat, præceps ubi lampada condat
Titan, qua curru terram ſuperetue ſupino,
Nouimus. — Senſit etiam, eum ſemper ſupra nos ferri, itaque eum Hyperionem appellat. Eúdem ex aqua terram circumdante, id eſt, Oceano oriri, inq; eandem occidere ſcribit. Ortum ita explicat:

Odyſſ. γ, initio.

Interea ſtagnum Phœbea relinquit amœnum
Lampas, & ærato ſublata accedit Olympo,
Præbeat ut diuis lucem. —

Occaſum ſic:

Iliad. ϐ, 486.

Incidit Oceano clari lux ſplendida Phœbi,
Frugiferæ noctem telluri; intulit atram.

Formam quoq; eius monſtrat:

Odyſſ. τ, 234.

— *ſplendebat ſolis & inſtar.*

Ma-

Magnitudinem:

Vt supra terram nitidus sese extulerat Sol. Iliad.λ. 734.

Item disertius,

Vt medium cursu Titan superauit Olympum. Iliad.θ. 68.

Vim,

Sol qui cuncta uidet, qui præsens omnia inaudit. Iliad.γ. 276.

Animatum esse eum, suáq; sponte & arbitrio moueri, indicat his verbis:

Sub terras lucem laturus manibus ibo. Odyss.μ. 381.

A quo eum Iupiter dehortans, inquit:

Phœbe tuam lucem tu diis ostendere perge,
Quíq; tenent terram mortalibus. —

Ex quibus liquet, solem non esse ignem, sed aliam præstátiorem naturam: quod & Aristoteles censuit. Quippe cùm ignis sursum feratur, anima careat, facilè intercipiatur, interituíq; sit obnoxius: Sol in orbem fertur, viuus est, æternus, & interitus securus. Reliqua etiam cœli sidera Homero non fuisse incognita, ex his constat, quæ scripsit:

Pleiadásq; Hyadásq;, & uim grauis Orionis. Iliad.σ. 487.

Descripsit etiam Vrsam, quæ perpetuò convertitur circa polum Septentrionalem, qui nobis semper apparet, ac quæ propter sublimitatem nunquam horizontem tangit. Ostendit etiam eodem tempore rotatione circumagi, & minimum Vrsæ, & maximum Orionis circulum. Meminit & tardè occidentis Bootis, qui rectus defertur, ac descendunt cum eo quatuor signa, qualia sex toti nocti tribuuntur. Neque mirari quispiá debet, quòd non omnia quæ de siderum contemplatione habentur percensuit, sicvt fecit Aratus: non enim hoc instituerat. Elementorũ quoq; accidentia quæ sunt, vt motus terræ, & lumi- num defectus, quibus de causis existerent, non ignorauit. Cum enim vniuersa terra in se aliquid aëris, ignis & aquæ, à quibus ambitur etiam, contineat: Odyss.ε. 273

consentaneum est, in eius profundo vapores ventosos coire. Hos, aiunt, si foras efferantur, aërem commouere, intus autem detentos intumescere, cùm vi foras erumpere nitantur. Quod autem spiritus intra terram cõcluditur, mari adscribitur eius rei causa, quod aliquando exitus obthuret: quo etiam aliquando cedente, aliquæ partes terræ corruant. Hęc Homerus cùm sciret, causam terræmotuum Neptuno tribuit, γαιήοχον eum, quasi telluritenentem, & ἐνοσίχθονα, quod est motorem terræ, passim appellans. Quia verò ventis intra terram conclusis, tranquillitas aeris existit, & caligo, & Solis obscuratio: videamus an id quoq; nouerit. Finxit ergo Neptunum terram concutere, Achille ad pugnam egresso. Qualis autem pridie fuerit aeris constitutio, prædixerat, de Sarpedone loquens:

Terræmotus.

Iliad. v, initio.

Iliad. π, 567. *Iupiter ipse atra uelauit prælia nocte.*

Et rursus de Patroclo:

Iliad. ρ, 366. *Non adeò Solem, non tunc superesse Dianam*
Dixisses, tantæ crassus caliginis aer
Obstabat. —

& paulo pòst precatur Aiax:

Ibid. 646. *Iuppiter è denso serua pater aere Graios,*
Atque oculis lucem miseratus redde serenam.

Post terræmotum verò, cùm iam spiritus erupisset, vehementes oborti sunt venti. hinc Iuno dicit:

Ipsa Noti celerem à ponto, Zephyriq; procellam
Excibo impellens. —

Postridie ventos Iris ad Patrocli rogum excitat,

Iliad. φ, 213. — *at illi*
Ingenti stridore ruunt, seq; ante frequentes
Conturbant nubes. —

Eclipsis Solis. Quin & defectum Solis apparet eum intellexisse naturaliter fieri, cùm Luna cum eo coiens, inter nos eúmque ad rectam lineam intercedit, eiúsque conspe-

ſpectum nobis aufert. Cùm enim prædixiſſet venturum Vliſſem,

Iam finito alio menſe, atque alio incipiente, Odyſſ. ξ. 163.
(hoc eſt coeunte Luna cum Sole: tum enim finis menſis prioris, & initium ſequentis eſt) poſtquam Vliſſes venit domum, vates hæc procis ait:

Vnde malum hoc miſeris uobis nox deſuper atra Odyſſ. υ. 351.
Inuoluit capita & uultus, & fertur ad imos
Vſque pedes: ſed & umbroſum uadentium ad Orcum
Veſtibulum ſimulacra replent, aulamq; tremenda:
Diſperiit cœlo Titan, ac luminis exors
(Infandum) triſti caligine inhorruit aer.

Ventorum porrò naturam accuratè cognitam habuit. Ortus iis ex humore. nam in aerem mutatur aqua, & ventus eſt fluens aer. Hoc ille cùm multis aliis locis indicat, tum his præſertim verbis: Venti.

Humida uentorum uis.—— Odyſſ. ϰ. 478.

Ordinem eorum rectè explicauit ita:

Vnà Eurusq; Notusq; ruunt, Zephyrusq; procellis Ibid. 296.
Creber, & ingentem, qui cœlo nubila pellit,
Aduoluens fluctum Boreas.——

Primus horum ab ortu flat, ſecundus à meridie, tertius ab occaſu, à ſeptentrionibus quartus. Et Subſolanus cum ſit humidus, in Auſtrum calidum mutatur: is tenuior factus in Fauonium abit: atque hic adhuc tenuior redditus expurgatúsque, fit Aquilo. Inde hoc:

Impulit hic celerem Boream, fluctusq; retudit. Ibid. 385.

Naturæ convenienter etiam eorum oppoſitionem extulit:

Nunc Auſter Boreæ dimiſit quippe ferendum, Ibid. 332.
Nunc impellendum Zephyrus rapido dedit Euro.

Nouit etiam polum Septentrionalem ſupra terram eſſe eleuatum, nobis quidem qui hoc clima habitamus: & contrà Auſtrinum infra terram depreſſum.

Ibid.279. Itaque de Borea cum dicit, eum serenitatem efficere, & magnum fluctum torquere, ad vim desuper incidentis venti respexit. Vocabulo ὤθει, nisum à cauo ad sublime innuit. Pluuias ex humida exhalatione fieri intellexit, atque his indicauit verbis:

Pluuiæ.

Iliad.λ,5.4 *Sanguinis humentes stillauit ab æthere guttas.* &,
Iliad.μ, *Sanguineum in terras rorem diffudit.*—
459. nam antè dixerat:
Iliad.π,329. *Quos uita exuerat dulci Gradiuus, eorum*
Sparserat effuso Xanthi ripasq; cruore.

Vnde liquet, quòd quę ab aquis terrestribus sursum efferuntur humida aquísq; permixta, eadem similiter décidunt. Eôdem pertinet & hoc:

Iliad.π, 385. *Luce autumnali quando largissimus imber*
Decidit.— tunc enim Sol ex profundo terræ, quæ sicca admodum est, humorem eleuat turbidum, ac terræ permixtum: ísque ob pondus confertim decidit. Vt autem exhalationes humidæ pluuias gignunt, ita siccæ ventos. At cùm in nube ventus includitur, eámque vi perrumpit, tonitrua fiunt & fulgura, & simul fulmen emittitur. Quod Poëta sciens, ita dixit:

Iliad.ρ, 594. *Intonuit grauiter cum fulgure.*— &,
Odyss.μ, 414. *Tum simul horrendum intonuit Saturnius, atq;*
Iniecit naui fulmen.—

* * *

De diis. Deos esse, omnes sana mente prædíti arbitrantur: intérq; hos Homerus primus est. Semper enim mentionē facit deorū. vt cū dicit, μάκαρες θεοὶ, ῥεῖα ζῶντες,
Odyss.ζ,46 Odyss.δ,805 beati dij: & facilè viuentes. cum enim sint immortales: facilem, & non cessaturam habent viuendi naturam, neque cibo opus habent, sicvt mortalium animalium corpora:

Iliad.τ,341. *Nam neque edunt panem, neque uíni ducere succos*
Consueuere dij: quapropter sanguine cassi,
Atque immortales perhibentur.—

Quō-

Quoniam verò poëtis deos requirebat agentes aliqua: vt sensibus quoque obiiceret quæ de iis dicebat, corpora illis affinxit. Et quia nullũ corpus, excepto humano, sermone ac scientia præditum esse potest: itaque singulos deos hominibus assimilauit. Porrò magnitudine & pulcritudine eos exornans, simul hoc quoque ostendit imagines & simulacra deorũ humana forma expressa ac dedicata esse propterea, vt etiam qui minus sapiunt, deos tamen esse admonerentur. Ac quia præstantissimi philosophorum corpore vacare iudicãt deorum principem atque imperatorem, mentéque potissimùm esse intelligendum: videtur id quoque Homerus sensisse, apud quem Iupiter dicitur

—— hominum pater atq; deorum. Item, Passim.

O pater, & diuûm princeps supreme potentum. Odyss. α, 56.

Atque ipse ait:

Quàm generi humano, diuisq; potentior ipsis Iliad. θ, 27.
Sim, cernetis.—— & Minerua Ioui:

Nam satis inuicto scimus te robore fretum. Ibid. 32.

Quòd si id quoque quæratur, an mente sola percipi posse deum sciuerit: tametsi id palam non professus sit, quippe poëtin condens fabulis permultis temperatã, tamẽ intelligi hoc potest ex iis quæ dicit:

Inuenit solum secreta in sede sedentem Ilia. α, 498
Illa Iouem.—— Item:

Solus in excelso cœli manco ipe r eccessu, Iliad. μ, 22.
Inde hæc grata meæ capiam spectacula menti.

Ipsa enim solitudo, & quòd non permiscetur reliquis diis, sed secum se esse gaudet, séque vtitur in ocio, sempérque vniuersas res temperat: hæc inquam deum ehibent, qui sola mente sentiatur. Sciebat autem hoc etiam, Deum esse mentem quæ omnia sciret, & administraret. Ita enim loquitur Neptunus:

Idem utrique pater sanè est, eadem patria ambos Iliad, υ, 354.

Protulit: in lucem sed me prior editus ille,
Nouit plura.——

Sæpe etiam hoc ponit,

His actis, aliud secum pater ipse uolutat:

Prouidētia & fatum. id nimirū significans, eum semper cogitare aliquid. Ad cogitationes Dei pertinent etiam providentia & fatum: de quibus multa apud philosophos disputantur, quibus omnibus ansam præbuit Homerus. Ac de providentia quidē quid dicamus? cùm per totā poēsin dij nō tantùm ipsi inter se de hominibus colloquantur, sed etiam in terram descendant, atq; cum illis versentur. Pauca exempli causa considerabimus. Tale est illud Iouis ad Neptunum:

Iliad. v, 20. *Quæ mea sit nosti frater sententia: curam*
Illorum, quanquam pereunt, gero.—— Et alibi,
Iliad χ. 170 *Proh mihi quàm charus sua nunc uir mœnia circum*
Cursu agitur, nostrumq; urget miseratio pectus.

Regiam quoq; dignitatem, & humanitatem, indicat his:

Odyss. α, 66. *Nos Laertiadæ capiat ne obliuio magni?*
Cuius in humana summa est sapientia gente,
Sacra deûm summaq; colit qui religione.

In quibus vides, vt Vlissem laudet primùm à prudentia, deinde à deorum cultu. Passim autem licet animadvertere, quomodo deos inducat hominibus operam nauantes: vt Mineruam aliquando Achilli, semper Vlissi: Mercurium Priamo, & rursum Vlissi. In vniuersum autem arbitratur deos semper hominibus adesse. Sic enim ait:

Odyss. ε, 486. *Namq; peregrini sub forma sæpe, uagiq;*
Hospitis occultè Superi plerunq; latentes
Perlustrant urbes, hominumq; immitia facta,
Iusticiamq; uident coràm.——

Providentiæ deorum proprium est, quod volunt homines iustè viuere. Id evidentissimè pronunciat Poēta:

Nam

Num non facta hominum superis inhonesta probantur, Odyss. ξ.
Sed scelerum pœnas infligunt fontibus acres, Item, 83.
Iusta Iouem quando in mortales asperat ira. Iliad. π. 387
Iudicia exercent qui ui, non legibus æquis.

Quemadmodum autem deos hominum curam gerere, ita homines quoque eorum quacunque fortuna memores inducit. Itaque & Imperator rebus secundis ait,

Damnabit uoti Iupiter me, spero, diiq;: Iliad. θ, 527
Hinc diros arcebo canes, abigamq;.—

& in periculo constitutus,

Iuppiter è denso serua pater aere Graios. Iliad. ε, 646.

Item interfecto hoste, ille:

Hunc hominem postquam superi iugulare dederunt. Iliad. χ. 381.

at moriens alter:

Tu caue, me propter tibi ne diuùm ingruat ira. Ibid. 359.

Vnde ergo, nisi ex his, ortum est Stoicorum illud decretum? Proinde vnum esse mundum, in quo cum diis homines versentur tanquam in republica iusticiæ communicatione coniuncti, docet. Cum enim scribit,

Concilium Themidem superis indicere mandat Iliad. υ, initio.
Iupiter.— & paulo pòst,
Cur ad concilium Saturno nate uocasti
Cælicolas? nùm res Danaum Troumq; uolutas?

quid aliud hæc ostendunt, quàm ciuitatis in morem gubernari mundum, consiliaq; capere deos principe deliberationis eo qui est deorum & hominum pater? De fato sentêtiam perspicuè his verbis indicat:

Nemo adeò, siue ille malus, siue est bonus, unquam
Natus homo, sese potuit subducere fato. Iliad. ζ. 488.

atque aliis etiam locis vim fati confirmauit. Sensit autem id, quod post eum nobilissimi philosophi, Plato, Aristoteles & Theophrastus, non omnia fato evenire, sed & in hominibus aliquid esse positum, Fatum. Voluntas.

quib. initium quidem à voluntate est: cum eo autẽ coniũgitur quodammodo necessarium, cùm quis eo quod volebat acto in id quod nolebat incidit. Hoc multis locis apertè monstrauit, atque adeò vtriusq; poeseos initio. Nam in Iliade dicens, iram Achillis causam exitij Græcis fuisse, tunc Iouis voluntati satisfactum ita scribit. In Vlissea monstrat, socios Vlissis sua stulticia in perniciem prolapsos: peccauerunt enim cùm sacros Soli boues aggressi sunt, quibus abstinere licebat. Erat enim prædictum,

Odyss. μ. 138.

Si cordi reditus uobis, neque tangere Solis
Armenta est: Ithacam, quamuis mala plurima passi,
Ibitis: exitio stabit tetigisse supremo.

Itaque ergo in ipsorum erat potestate, abstinere ab iniuria: quòd autem ob illatam iniuriam perierunt, fato consecutum est. Licet etiam id quod aliàs eventurum erat, prudentiæ auxilio effugere. quod hoc exemplo docet:

Odyss. δ. 327.

Hic etiam præter fatum periisset Vlisses,
Quantum uis patiens: in mentem cæsia Pallas
Consilium præsens illi nisi promta dedisset.
Irruit, atq; manu saxum complexus utraque,
Multa gemens retinet, dum fluctus transeat ingens.

Hic enim vice versa cum esset periturus, à providentia seruatus est. Cæterùm quemadmodum Philosophi de multis ac variis rebus diuinis loquendi ansas ex Homero plerunq; sumserunt, ita etiam de humanis. Primùm hoc in disputatione de Anima experiemur. Omnium de hac opinionum nobilissima est Pythagoræ ac Platonis, qui eam immortalem asserunt: & quidem et Plato etiam alas affingit. Quis ergo primus hoc pronunciauit? Homerus, qui præter alia hoc quoque dixit:

De Anima.

Iliad. χ. 363.

ψυχὴ δ' ἐκ ῥεθέων πταμένη, ἀϊδόσδε βεβήκει.

vocabulo ἀϊδος intelligit locũ qui videri nõ possit:

si ue

siue aërem quis accipiat, siue locum sub terra. Tum in Iliade Patrocli animam fingens dormienti adstare Achilli,

(Inde Menœtiadæ miserandi anima adstitit illi.)

sermonem ei attribuit, in quo & hæc sunt,

Nam simulacra procul me arcent, & lumine uitæ
Iam cassorum animæ. —

Iliad. ψ, 66.

In Necya autem quid aliud tota agit, quàm vt post mortem supereſſe animas ostendat & loqui, simulat que sanguinem biberint? Sciebat enim, sanguinem esse alimentum spiritus: ac spiritum esse vel ipsam animam, vel animæ vehiculum. Apertissimè autem hoc quoq; pronunciauit, se hominẽ nihil aliud existimare, quàm animam. Ita enim scribit:

Ἦλθε δ' ἐπὶ ψυχὴ δυσβάς Τειρεσίαο
Χρύσεον σκῆπτρον ἔχων. —

Odyss. λ, 91.

Dedita enim opera cùm substantiuum ψυχὴ fœmini no genere posuisset, masculino genere adiectiuum applicauit, vt ostenderet ipsam animam esse Tiresiá. Atque iterum pòst:

Τὸν δὲ μετ' ἀσπουδὸν βίλον Ἡρακλείην
Εἴδωλον, αὐτὸς δὲ μετ' ἀθανάτοισι θεοῖσι.

Ibid. 600.

nã hic quoq; ostendit quòd simulacrũ, quod à corpore avolarat, neq; quicquam secum illius materiæ traheret, imaginatus sit: purissima autẽ animæ pars quæ discessisset, ipse fuerit Hercules. Hinc philosophis id quoque videtur, corpus esse quodammodo carcerem animæ. Quod & ipsum primus ostendit Homerus. Corpus enim viuentium semper appellat δέμας: vt,

Οὐ δέμας, ὅτι φυλὼ. — Et

Iliad. κ, 115.

— δέμας δ' ἤσπετο γυναικὶ. Et iterum

Odyss. β, 796.

— ἤτοι ἐμὼ ἀφραδίῃσιν, ἐπεὶ τό τε δέμας τε.

Odyss. σ, 251.

Id autem, quod amisit animam, σῶμα, neque aliud quicquam appellat: vt in his,

Σῶμα δὲ θυμὸν ἐμὸν δόμεναι πάλιν. — Et

Iliad. χ, 343.

Odyss. ω, 185. Σῶμα τ' ἀπνευλὲς κεῖται ἐνὶ μεγάροις Ὀδυσῆος. Et
Odyss. λ, 54. Σῶμα γὰρ ἐν μεγάροις Κίρκης κατελέπομεν αὐτοῦ.

Idem enim corpus viuo homine, velvti vinculum quoddam erat animæ: & eo mortuo, quasi σῆμα, id est monimentum relinquitur. His consequens est aliud Pythagoræ decretum, mortuorum nempe animas transire in formas alias corporum. Sed ne hoc quidem ab opinione Homeri alienum est. Qui enim induxit Hectorem cum equis colloquentem, & Antilochum, ipsúmque Achillem: atque hunc quidem non loquentem modò, sed & audientem verba equi: tum canem qui hominibus prius, iísque domesticis, Vlissem cognouerit: quid aliud quàm communitatem rationis agnationémq; humanæ cum brutorum animis ostendit? Ii quoque qui Solis boues ederunt, ideóq; perière, monstrant, non boues modò, sed & alia quævis animalia, vt eandem viuendi naturam sortita, à diis magni fieri. Tum quód socij Vlissis mutantur in porcos, & alia id generis animantia, eo ænigmate innuitur, dementium hominú animas in bestiarum corpora immigrare, cùm incidant in Vniuersi circularem revolutionem: quam Circen ipse appellat, & (vt par erat) Solis filiam facit, habitantem in insula Aeæa: cui insulæ à verbo ἀιάζειν nomen dedit, qui homines propter mortem lamentantur. Atqui Vlisses, quia esset sapiens, istam mutationem perpessus non est: contra eam à Mercurio, id est ratione, munitus. Ac idem ille ad inferos descendit, quasi indicans, à corpore animam posse separari, inspectórque fit animarum cùm bonarum, tum malarum. Ipsam porrò animam Stoici definiũt spiritum cognatum, & exhalationem sensibus præditam, quæ ex humore corporis accendatur. In hoc Homerum secuti sunt, dicentem:

Iliad. π, 89. — *Dumq; halitus hos reget artus.*

Et iterum,

Ipsa

Ipsa infra terram tenuis ceu fumus abiuit. Iliad. ψ. 102.

In his animam viuificantem humidæ rei comparat: eam verò quæ iam extinguitur, fumo. Quin & ipso spiritus vocabulo vtitur, de anima loquens:

Sic ait, atq; animi magnam inspirauit ei uim. Iliad. ε. 162.

Et alibi:

Expirans animam.— Item, Iliad. δ. 524.

Hæc ubi respirauit, & in præcordia rursum Iliad. χ. 475.

Vis animi est collecta.— id est, postquam spiritum dispersum collegit. Item,

Tum respirauit rursum, Boreæ simul afflans Iliad. ι. 697.
Pænè exhalantem uitam leuis aura refecit.

Nam animo deficientis spiritum externus flatus refocillans, quippe cognatus, in vitam revocat. Huc facit, quod & externo spiritui id nominis tribuit, vnde animam Græci deducunt.

ψυχὰς μάλα ψύξασα.— volens dicere, Iliad. υ. 440.

Contrà spirans. Iam Plato atque Aristoteles incorpoream esse animam senserunt, sed quæ semper circa corpus versaretur, eoq; vehiculi loco vteretur: inde etiam à corpore digressam, spirituale quoddã quasi impressum simulacrum sepe secum trahere, seruantem eam qua in corpore fuerat prædita formã. Ita Homerum quoque nunquam in sua poësi invenies corpoream dicere animam: corporis enim vocabulum cadaueri vbique attribuit, vt & antè paucis ostendimus. Cum autem animæ, etiam philosophorum iudicio, pars ratione prædita, in capite sit collocata: altera ratione carens, cuius ea vis, qua irascimur, in corde sedem habet: quæ appetit, in ventri propinquis partibus: videamus númnã iis prior Homerus hoc nouerit discrimen. Finxit enim Achillis rationem iræ reluctantem, eúmq; eodem momẽto deliberantem, vtrùm vlciscereturne eum, à quo fuerat læsus, an verò iram compisceret:

Facultates animæ.

Iliad.α,193. *Hæc inter mentis iussus, animiq; furorem*
Voluebat dubius.— nimirum recta ratione & ira luctantibus inter se: ab illa autem superatam fuisse iram, Minerua superueniens indicat. Atque alibi etiam rationem ostendit, quæ irascenti parti præcipiat, atq; tãquã subdito magistratus imperet:

Odyss.υ, 18. *Passe animę his grauiora, feras.*

Ac sæpe quidem irascens pars rationi obtemperat: vt hic. sequitur enim,

Sic animi motum fatus repræhendit: & illi
Paruit, exemplo rationis, consilio cor.

Sic & ea pars qua dolemus, rationis dicto audiens inducitur.

Iliad.τ, 65. *Nunc quanquam tristes, quæ præcessere sinamus:*
Cogamusq; animo iustum parere dolorem.

Aliquando iram rationi prævalentem ostendit: non obscurè ostendens, se id non laudare, sed vituperare. vt cùm Nestor Agamemnoni exprobrat iniuriã, qua Achillem affecerat:

Iliad.ι, 108. *Non equidem arbitrio nostro: nam plurima contrà*
Dicebam, cordis motus tu uerò secutus
Indomiti, charum superis iniustus Achillem
Læsisti — Similia horum sunt Achillis ad Aiacem verba:

Ibid.641. *Rectè cuncta quidem mihi tu dixisse uideris,*
Sed mihi cor penitus turgescit tristibus iris,
Cùm decore atque omni me orbatum laude recordor.

Sic & à metu nonnunquam ratio vincitur. vt cùm Hector cogitasset pugna Achillem subsistere,

Iliad.χ, 130. *Præstat quamprimùm sæuis concurrere telis.*
Et superûm quæ sit ferro tentare uoluntas.

mox appropinquante Achille, retrocedit:

Hunc simul aspexitq;, timorecq; inhorruit Hector,
Nec iam stare loco ualuit, sed territus intra
Portam abiit.—

Id

Id quoque manifestum est, affectus ab eo in corde collocari. Iram: vt,

——*Intus latrabat ei cor.* Dolorem: vt,

Quo tandem usque tuum cor edes mi nate dolendo:

Metum: vt,

Cor mihi quippe fuga linquit præcordia, & extra
Procurrit, mihi membra metus quassatq; tremore.

Affectus, Odyss. v, initio. Iliad. ω, 126. Iliad. κ, 94.

Eodem modo etiam audaciam, siue animi confidentiam in corde reponit:

Perpetuiq; iubet cor prælia Martis obire.

Iliad. λ, 182

Ex prædictis visum est, Stoicis principatum animi in corde esse, concupiscentiam circa ventrem habitare. Id Homerus multis indicat: atque hoc etiam,

Ad pugnam sed me uenter damnosus adegit, Et,

Non occultari uentris damnosa cupido

Sustinet.—— Causas quoque & naturam affectuum, qui irascenti animæ accidunt, monstrauit: Iram ab iniuria excitari, esse sanguinis efferuescentiam, & eius qui huic inest spiritus, ostendens ait:

Odyss. σ, 54. Odyss. ξ, 287.

Iudoluit, sæuo præcordia concitaq; æstu
Intumuere, oculis arsitq; furentibus ignis.

Iliad. κ, 103

Pro æstu habet μένος, quo spiritum notat vocabulo, qui insit, & iratis incendatur. Idem rursus spiritus in metu perculsis, consũditur atque refrigeratur: & ob id horrores & tremores, ac pallores in corporibus eveniunt. Hæc enim omnia refrigeratio efficit: pallorem, quòd calore in medio concurrente rubor superficiem relinquit: tremorem, quòd intus collectus agitatûsque spiritus, corpus pulsat: horrorem, quòd humore densato pili presi eriguntur. Hæc omnia Homerus disertè indicat, ita:

Pallentesq; metu.—— &,

Pallidus inuasit metus hos.—— &,

——*mihi membra metus, quassatq; tremore.* Item:

Sic fatur: sed mens longæuo protinus ingenti

Iliad. o, Sæpe. Iliad. β, 93. Iliad. ω, 347.

Est confusa metu, recti per membra pilique;

Tunc steterunt.—— Eadem de causa, pro extimuit, ῥίγησε ponit, quod est, diriguit: & metum κρυόεντα vocat, id est gelidum: & cùm audaciam, tum bonam spem, θερμασίην appellat, quasi calorem diceret. Atq; hoc modo ille prauos affectus diuisit. Cùm verò Aristoteles indignationem (id enim Nemesin intelligi volumus) & miserationem bonos affectus censeat: (nam Nemesis est, cùm boni ægrè ferunt rebus secundis indignos vti: miseratio, cùm ægrè ferunt bonis malè esse) etiam hæc Homerus bonis convenire censet, cùm ipsi adeò Ioui tribuat. Nam inter alia sic quoque scribit:

Iliad. χ, 168

Maiori tamen Aiaci concurrere cauit,
Succensebat ei quoniam Saturnius ipse,
Obuius aduerso si se ferret meliori.

Virtus & vitium.

Atque idem Iupiter alibi eundem Hectorem misera tur, cùm circa mœnia fugaretur. De virtute porrò & vitio animi quid senserit, passim significat. Cùm enim animi pars aliqua intelligentia sit & ratione prædita: altera bruta, & affectibus obnoxia: ideóque medium inter Deum & bestiam homo locũ teneat: Poeta summam virtutem, diuinam censet: & extremum vitium, belluinum: quod ipsum postea Aristoteles indicauit. Atque hoc in comparationibus declarat. Semper enim bonos θειοειδὲς, id est, deorum similes appellat:

Iliad. β, 167

—— *Consilioq; pares diuûm genitori.*

Iliad. ν, 103

De vitiosis, timidos fugacibus ceruis adsimilat, & pastore carentibus ouibus, & leporibus agitatis. De iis autem qui temerè & inconsideratè ira efferuntur, scribit:

Iliad. π, 474.

Non furor est tantus pantheræ, siue leonis,
Siue immanis apri, quo uix uehementius ulla

Iliad. ρ, 20.

Perfurit, aut rabie desæuit bestia tanta.
Panthoidæ claris est quanta ferocia in armis.

Dolore

Dolore grauiori affectorum eiulatus vocibus luscinię contulit, quæ

Amissos queritur fœtus: quos durus arator Odyss. π, 217.
Obseruans, nido implumes detraxit.——

Virtutem porrò Stoici in vacuitate affectuum ponunt, ea secuti, quæ Homerus dicendo omnem affectum sustulit. vt de dolore ait,

Quo magis est æquum tumulis mandare peremtos, Iliad. τ, 228.
Immanicq; animo fletum donare diurnum? &, Iliad. π, initio.
Quid teneræ ploras instar Patrocle puellæ?

De ira autem,

O utinam ex hominum & diuum contentio cœtu, Iliad. σ, 108.
Iraq; tollatur.—— De metu:
Vt metuam nobis, frustra ne perge monere. &, Iliad. ε, 252
Eminus ac si quis nostrum, uel cominus ictus Iliad. ο, 494.
Occumbat, pereat sanè.—— Iliad. κ, 161

Ita etiam ad singulare certamen provocati, absque metu parêt, pluresq; vnius loco prodeũt. Et qui vnus acceperat, nihilominus forti est animo, atq; ait, Iliad. λ, 388

Te strinxisse pedis calcem mihi uulnere iactas.

Et fortis quisq; confertur leoni, apro, torrenti, aut procellæ. Contrà Peripatetici vacuitatem affectuũ humana conditione superiorem iudicantes, moderationem eorum statuunt, excessúque eorum sublato virtutem mediocritate describunt. Ita Homerus etiam præstantissimum quenque neque abiecto animo, neque tamen omni timore vacuum atq; dolore, sed hoc præstãtem deterioribus inducit, quòd non omnino ab affectibus regatur. Hæc enim eius sunt: In Iliade passim, 782. &c.

Semper degeneris mutatur enim color, atque Iliad. υ, 281.
Stare loco haud patitur mens irrequieta pauentem,
Vsque metu mortis quatiens præcordia, & ipsos
Collidens trepido dentes stridore sonantes.
Semper at est forti color idem, nec grauis illum
Pertentat nimium metus.——

Quibus perſpicuè nimium metum generoſo animo adimens, moderatum aliquem eidem relinquit. Quod idem de ſimilibus affectionibus, dolore nimirũ, & ira, intelligendum eſt. Tale eſt & hoc,

Ilia. κ, 215.

Troibus Aiacem membra intremuere uidendo:
Ipſe etiam pulſum perſenſit pectoris Hector.

Iliad. κ, 358. Iliad φ, 34. Iliad. λ, 546. Iliad. ρ, 109 Odyſſ. ι, 412.

nam cùm alij etiam aſpectu tremerent, is qui in periculo eſſet conſtitutus, fortis quia erat, tantùm animi motu afficiebatur. Sic aliter Dolonem vel Lycaonem fugere facit, aliter Aiacem & Menelaum: retrocedentes hos, & pedetentim ſe recipientes, velvti leones à ſtabulo profligatos. Eodem modo dolentium & lætantium diſcrimina conſtituit. Verbi gratia: Vliſſes, narrans quomodo Cyclopibus impoſuiſſet: ait,

—— Eſt mihi tunc in pectore riſus obortus.

Odyſſ. σ, 99.

At proci cùm proſtratum uiderunt Irum,
Sublatis manibus riſu tum diſſiluerunt.

Diſcrimen autem vtriſque in inferioribus apparet. Et Vliſſes quidem vxorem ſuam caram ſibi videns ipſius cauſa flere, perfert. nam ei

Odyſſ. τ, 211.

Intra palpebras, uel uti ſi cornea haberet,
Ferrea ſiue, immota manebant lumina.——

Odyſſ. σ, 211

At procis amore eius correptis, cùm eam cernerẽt,
Genua labant, uis alta animum permutat amoris,
Concubitumq; eius uoto ſibi quilibet optat.

De felicitate.

Talia Homerus habet de animi facultatibus atque perturbationibus. Cùm verò de bonis & felicitate multa ſint à philoſophis dicta, id apud omnes conſtat, maximum bonorum eſſe virtutem animi. Sed Stoici virtutem ſufficere putant ad beatitatem: occaſione ex Homericis petita, qui ſapientiſsimum ac prudẽtiſsimum virum Vliſſem fingit, gloriæ cauſa labores ſummos perferre, ac voluptates contemnere. Prius ita:

Quale fuit facinus, cui fortiter illi ſubiuit?

Verbe-

Verberibus proprium corpus turpauit acerbis, Odyss. ϕ,
Inuoluenśq; humeros pannis, seruíq; miselli 245.
Assumpta hostilem forma penetrauit in urbem.

Posterius hoc modo:

Sanè detinuit secum me diua Calypso,
Atque Acæa domi teuuit me callida Circe, Odyss. λ, 30
Vtraque me gaudere suo conata marito:
Sed nunquam nostram suadendo impellere mentem
Eualuere.——

Maximè autem virtutis gloriam commendat, cùm Achillem quidem facit non fortem modò, sed & formosissimum, & pedibus velocissimum, & natalibus summis ortum, illustríque patria, & summi deorum auxilio adiutum: Vlissem autem sapientẽ sanè, & animo infracto præditum: sed neque statura, neque forma eadem, parentibus non admodum claris, patria ignobili, inviśumq; Deo alteri: quorum tamen nihil obstitit, quin gloriam egregiam consequeretur, eo quod animi virtute præditus erat. Peripatetici verò primas partes bonis animi deferunt, prudẽtiæ scilicet, fortitudini, temperantiæ, iustitiæ. secundas, bonis corporis: vt sunt bona valetudo, robur, pulcritudo, celeritas. externa bona, tertiæ sunt iis classis: vt gloria, vt natalium nobilitas, vt diuitiæ. Ac laudabile quidé esse statuunt, & admiratione dignũ, in doloribus, morbo, paupertate, aliísq; non sponte nostra accitis calamitatibus vti animi virtute malis resistente: nõ tamen expetendum hoc, neque beatum. At in prosperitate sapere, id revera esse felicis. Neque enim possessionem tantùm virtutis, sed vsum etiam efficaciámq; esse honestam. Atque hæc ipsa pa Odyss. λ, 324
làm demonstrat Poëta noster. Deos enim vocat δοτῆρας ἐάων, id est, datores bonorum, quæ etiam homines votis à diis poscunt: nimirum, non vt nulli sibi vsui futura, aut neq; vtilia, neque invtilia, sed vt ad felicitaté conductura. Quæ ergo sint bona, o[illegible]

hominibus expetuntur, & ob quæ beati habentur, passim declarat. Simul omnia de Mercurio,

Iliad. ω, 330. *Qualis corpore tu pulcer, formáq; stupenda,*
Atque animo prudens, & natus patre beato.

Tribuit ei pulcritudinem corporis, prudentiam & nobilitatem. Aliquando singula:

Iliad. ζ, 156. *Huic formam superi dederant, & amabile robur.*

& rursus de alio quodam:

Iliad. β, 670. *Diuitias diuûm genitor superaddidit amplas.*

Nam diuitiæ quoq; donum sunt Dei.

Iliad. ζ, 188. *Distribuit generi humano quas Iuppiter ipse.*

Aliquando & honorem bonum esse censet:

Iliad. θ, 541 *Ac mihi Palladis & Phœbi tribuantur honores.*

Aliquando prolem:

Odyss. γ, 195. *Quàm prodest natum extincto supersesse parenti.*

Et fruitionem domesticarum suarum rerum:

Odyss. ν, 40. *Nunc pateris libate Deo porróq; ualete,*
Meq; domum incolumem patria dimittite uestra.
Omnia enim confecta, mea quæ mente uolebam,
Aspicio: comites, & splendida munera cerno,
Quæ mihi fausta precor diuorum & læta uoluntas
Esse uelit, socios cara ut cum coniuge saluos
Inueniam, patriam reduci cùm corpore tangam.
Vos hic in dulci patria præbete manentes
Gaudia coniugibusq; & natis plurima uestris.
Prospera cuncta dij mittant: sit publica uestro
Lætitia, & secura malorum tempora regno.

In comparatione autem bonorum ostendit virtutẽ præstantius esse bonum, quàm diuitias:

Fine Bœotiæ. *Qui tunc bellum auratus adibat more puellæ,*
Stultus: non auro potuit depellere pestem. Item:
Odyss. δ, 93. *Quàm non lætus opes ego diues possideam istas.*

Item prudentiam pulcritudine esse potiorem:

Iliad. λ. θ, 169. *Inuenias formæ cui non sit tanta uenustas:*
Prudenti eloquio sed quem Deus exornarit.

Mani-

Manifestum ergo est, etiam corporis dotes eum, & quæ sunt externæ istius felicitatis, in bonis numerare. Quòd autem sine his ad vitam beatam virtus non sufficiat, ita ostendit: Duos viros perfecta virtute præditos inducit, Nestoré & Vlissem, aliis præstantiores, & inter se prudentia, fortitudine atque facundia pares: cæterùm diuersa vsos fortuna. Nam Nestori quidem,

Cùm charæ primùm matris prodiret ab aluo, Odyss. δ,
Et cum quærendæ faceret connubia proli, 208.
Fausta dedere diꝰ, & uitam tribuere beatam.
Ipse domi longum felix pertexuit æuum,
Consilioq; bonos natos, & fortibus armis
Spectauit. — Contrà Vlissem quantùvis consultum, & astutum, & cordatum, sæpe interim infelicem nominat. quippe cùm Nestor reditum in patriam suam citò & tutò cõfecerit: Vlisses diu admodum vagatus, labores & pericula innumera subierit. Adeò optabile & beatum est, virtuti fortunam non repugnare, sed adminiculari. Virtutis porrò, ni si agat, possessionem nihil prodesse, ex verbis appareret, quibus Patroclus Achillem obiurgat:

O uirtute quidem, at nullius prædite frugis, Iliad. π, 31.
Ni turpe exitium miseris defendis Achiuis,
Quis uirtute tua fretus lætabitur olim?

ἀναφέρω, id est infelici virtute præditum eum appellans, qui eam inutilem nihil agendo redderet. Atq; hoc ipsum suum ocium Achilles deplorans, ait:

Nauibus aßideo telluris inutile pondus, Iliad. σ,
Inter magnanimos uirtute ego primus Achiuos. 104.

Indignatur se virtute sua nõ vti. nam iratus Græcis,

Non ad concilium, non ille ad prælia adibat: Iliad. α,
Sed domi residens miserè cruciabat, & acri 489.
Pugnandi desiderio proprium cor edebat.

erat verò à Phœnice edoctus,

Iliad. 1, 442. *Vt sermone simul, rebúsque ualeret agendis.*

Itaq; etiam mortuus molestè fert istud ocium:

Odyss. λ, 487. *Mallem equidem in terris serui tolerare labores*
Paupere sub domino, quàm manibus imperitare.

& paulo pòst causam explicat:

Nam non talis ei nunc sum defensor, ad altam
Qualis eram Troiam, supera cùm uescerer aura.

Porrò quod Stoici dicunt, bonos viros diis caros esse, ab Homero acceperunt. De Amphiarao enim dicit:

Odyss. o, 245. *Iuppiter hunc magno, Phœbúsque amplexus amore.*

Et de Vlisse:

Odyss. γ, 52. *Gaudsa est sapiente uiro, iustóq; Minerua.*

Eorundem decretum est, disci posse virtutem, principiúmq; eius esse bonam indolem, (quod & Homerus docet:

Odyss. δ. 206. *Nam tali genitore satus rectè omnia dicis.*)

perfici autem institutione. Virtutis enim scientia, est rectè viuere: id est, scire quæ agenda sint rectè victuris. Hæc quoque apud Homerum sunt:

Iliad. 1, 440. *Infantem, nondum belliue foriue peritum.* Et alibi:

Iliad. ζ, 444. *Nec mî animus tamen hoc suasit: nam uiuere rectè*
Doctus eram. ——

Et Phœnix de Achille ait:

Iliad. 1, 442. *Idcirco hæc opera uoluit te discere nostra,*
Vt sermone simul ualeas, & rebus agendis.

Quia enim vita in actione & sermone consistit, propterea horum se doctorem adolescenti datum ait. Ex quibus liquet, quod omnem virtutem discendo percipi senserit. Ad hunc ergo modum primus omniũ Homerus de natura & moribus philosophatus est. Eiusdem considerationis sunt, Arithmetica etiam, quæ est numerorum scientia, & Musica, quas plurimi fecit Pythagoras. Videamus an de his quoque aliquid Homerus dixerit. Ac dixit sanè plurima: sed pauca adduxisse, satis erit. Pythagoras, cùm

Arithmetica.

maxi-

maximam vim numeris tribueret, omniáq; iis accepta ferret, tam conversiones siderum, quàm ortus animalium: duo suprema principia cóstituit eorum: finitum alterũ, quod est vnitas, alterum infinitum, qui est binarius: alterum bonorum, alterum malorũ principiũ. Vnitatis enim natura si aëri insit, bonam temperiem: si animo, virtutem: si corpori, sanitatẽ: si ciuitatibus & familiis, pacem & concordiam præstat. Omne enim bonum concordiæ cognatum est: contrà, binarij natura aëri tempestatem, animo vitium, corpori morbos, ciuitatibus & familiis seditiones ac odia infert. Omne enim malum ex dissidio oritur. Itaque & de reliquis ordine numeris, parem, imperfectum & indigentem: contrà imparem, plenum ac perfectum appellauit: quòd scilicet hic cum pari mixtus, semper suam retinet naturam, abundante semper impare: idémque impar secum ipse compositus parem generat. Fœcundus enim est, & habet principij vim, neque diuisionem admittit, semper in eo vnitate superante. at par, neque imparem producit secum compositus, neque diuisionis est expers. Proinde etiam Homerus vnitatis naturam in bono, & binarij in malo posuit non rarò. Apparet hoc & ex his, quòd bonus ei ἑνὸς, ac talis affectio ἑνικὴ aliquoties dicitur: ac contrarium ἄνη. Huc & id facit,

——*Dominos plures non expedit esse:* Iliad. β, 212.
Esto unus dominus. —— Et:
Non in consilio, non nos dissensio in ipsa Odyss. γ, 126.
Turbauit pugna: semper fuit una uoluntas.

Semper autem impari numero, vt præstantiori, vtitur. Nam totum quoque mundum in quinque partes diuidens: tres, quæ in medio sunt, distribuit:

Nam tribus est mundus diuisus partibus omnis, Iliad. ο, 188
Quisque suum sortitus honorem. ——

Itaque etiam Aristoteles quinq; elemẽta esse sensit: quasi

quasi impari & perfecto numero in omnibus plurimam vim obtinēte. Quin & diis superis imparia dedicat. Nam & Nestor Neptuno nouies nouem bobus litat, & Vlissem iubet Tirēsias immolare suo vetaurilia. Et Achilles parentat Patroclo paribus omnibus: quatuor equos, duodecim Troianos adolescentes, & de nouem (quos habebat) canibus duos rogo iniicit, vt sibi septem seruaret. Sæpe autem aliâs ternario, quinario & septenario vtitur numero: præcipuè autem nouenario: vt,

Odyss. γ, initio.
Odyss. λ, 130.
Iliad. ψ, 171, &c.

Surrexere nouem ad pugnam, sic Nestore fato. Item:
Annos quippe nouem nati, iam pectore lato
Ter tres æquabant cubitos, proceráq; in ulnas
Corpora tollebant totidem. —— &,
Tela nouem Phœbi uolitabant dira diebus. Et:
Ter tribus hospitium cui præbuit ille diebus,
Mactauítque boues totidem. ——

Iliad. π, 160
Odyss. λ, 310.
Iliad. α, 53.
Iliad. ζ, 174

Cur autem nouenarius numerus est perfectissimus? quia quadratus est, primùm imparem numerum radicem habens: éstque impariter impar, in tres diuisibilis terniones, quorum quilibet in tres vnitates diuiditur. Neque vim modò numerorum, sed & logisticam methodū docuit. Nam in Bœotia scripsit,

Initio.

Quinquaginta ibant naues, & quæque ferebat
Centum & uiginti iuuenes. —— & rursum,
Quinquaginta fuere uiri. —— Vnde supputare licet, cùm naues vniuersæ fuerint ferè mille ducētæ, quarum singulæ haberent centum vectores, totum numerum hominum fuisse centum viginti millium. Iterum de Troibus dicens:

Fine Iliad. θ

Mille rogi in campo flagrabant: cuilibet horum
Quinquaginta uiri adstabant: —— colligendum nobis præbet, fuisse Troum numerum quinquaginta millia, præter sociorum copias. Musicam porrò, quæ animo maximè convenit, quatenus est concinnitas

Musica.

nitas ex diuersis temperata principiis, ac cantilena & numeris cùm relaxatum animum intendit, tum nimis intentum remittit: Pythagorici magni fecerunt, atq; his prior Homerus. Laudes eius Sirenum verbis celebrat, ita ea claudens:

Pòst uariis auido satiatus pectore Musis Odyss.μ, 188.
Doctior ad patrias lapsus peruenerit oras.

Alibi in conviuiis citharam adhibet: vt,

Et lyra, quam sociam dapibus superi iunxerunt. Odyss.φ, 270.

Et apud Alcinoum citharœdus:

—— Incœpit amabile carmen. Et in nuptiis: Odyss.θ, 267.
Fistula cum cithara uocem dabat. —— Iliad.σ, 495.

Et in faciendo opere, cùm in vindemia

—— puer cithara persuaue sonante Ibid.569.
Iucundum cecinit: argutam chordâq; uocem
Tacta dedit. ——

Et in bello tibiarum ac fistularum sonitum audiri facit. Nec non luctui adhibet Musicam, cantorem lamentationi sua voce præire inducens: vt qui carminis lenitate, animi asperitatem demulceat. Non est autem ignotum, duplex esse genus canendi: vnum vocis, instrumentorum alterum, quæ vel inflantur, vel tenduntur: tum sonorum alium esse grauem, alium acutum. Horum quoque discrimina Homero nota fuerunt. Nam pueris, mulieribus & senibus acutam vocem attribuit, ob tenuitatem spiritus: viris autem grauem, cùm alibi, tum hîc: Iliad.κ, 13. Iliad.ω, 720. & Odyss.ω, 60.

Astitit alta graui suspiria uoce trahenti, Iliad.σ, 71.
Atque amplexa caput nati Nereis, acuto
Lamentata sono est. —— Et alibi:
Ille graues ducens gemitus, sic fatur Achæis. Iliad.ι, 16.

Senes autem cicadis similes, animalibus acuta voce præditis, facit. Instrumentorũ porrò fides, quæ sunt tenues, & identidem mouentur, facilè aërem secãt, eóque acutum edunt sonum: crassæ contrà, ob tardum motum, grauem. Ea ratione flagellũ Homerus Iliad.γ, 151. Iliad.λ, 391.

acutè

acutè ſonans (id eſto enim λιγυρὴ μάστιξ) dixit, quòd cùm ſit tenue, ſonitum exhibeat acutũ. Hæc de Homeri Muſica. Ac quoniam facta à nobis eſt Pythagoræ mentio, cui maximè probatum fuit ſilentium, & eorum quæ dicere nihil attineret taciturnitas: conſideremus, an eiuſdem Homerus quoque fuerit ſententiæ. Equidem de ebrio dicit:

Silentium.

Odyſſ. ξ. 465.

Quòdq; fuit melius tacuiſſe, improuidus effert.

At Therſitem obiurgans Vliſſes, inquit.

Iliad. β. 244.

Suauiter ut dicas, tamen heus ignare loquendi
Quis modus, aut quæ ſit ratio, Therſita, taceto.

Et Aiax Idomeneum reprehendens, ait:

Iliad. ψ. 478.

Mos garrire tibi multa eſt: neq; fundere uerba
Te tamen, atque adeò ſemper decet eſſe loquacem.

Copiis quoq; ad prœlium euntibus:

Initio Iliad. γ.

Ibant cum clangore auium inſtar uociferantes
Dardanidæ. —— & mox:
Spirantes robur taciti ſed Iaones ibant.

Vociferatio enim barbarorum eſt, ſilentium Græcorum. Itaque vt quiſque prudentiſsimus ab eo, ita & linguæ continentiſsimus eſſe idem dicitur. Et Vliſſem facit ita filio præcipientem:

Odyſſ. π. 300.

Si meus es ucrè, noſtro ſi ſanguine cretus,
Sentiat hùc rediiſſe domum caue ne quis Vliſſem,
Non hoc Laertes intelligat aut Eumæus,
Non uel ſeruorum quiſquam, uel Penelopea

Odyſſ. τ. 42.

Ipſa ſciat. —— & alibi eidem:
Parce loqui, ſed mente tene, neque quærere cura.

Hæ ſunt nobilium philoſophorum ſentẽtiæ, ab Homericis principiis profectæ.

Sectæ philoſophorum.

Quòd ſi mentio eſt facienda eorum quoque qui ſibi ſectas peculiares inſtituerunt, inueniemus ſanè & eos ab Homero occaſionem accepiſſe. Democritum quidem, cùm viſa ſeu ſimulacra ſua comminiſceretur:

Arcite-

Arcitenens uerò simulacrum fecit Apollo. *Iliad.e,*
Quosdam deceptos, cùm quæ non ita sentiens, sed 448.
occasioni inseruiens aliquis dixerat, arriperent. Nã
cùm Vlisses apud Alcinoum detentus, luxuriæ & vo
luptatibus deditum, in gratiam eius hæc diceret,

Nam nihil in uita iucundius arbitror esse, *Odyss.i.*
Quàm cùm lætitia populus perfunditur omnis, *initio.*
Conuiuæq; domi, digno ordine quisque locati,
Percipiunt suaues cantus: mensæq; grauitæ
Muneribus Cereris q, & gratis carnibus adstant: *Odyss.τ,*
Vináq; depromens largo cratere minister 225.
Infundit pateris: summè hæc mihi uita probatur. *Odyss.ξ,*
194.

his seductus Epicurus, voluptatem summum esse *Odyss.ι,*
bonum statuit. Et quoniam ipse Vlisses quandoque 197.
veste amictus fuit villosa & delicata, aliquando pan *Odyss.σ,*
nis & centonibus peram gestans: ac modò cum Ca- *principio.*
lypsone dormiit, modò ab Iro & Melanthio est per *Odyss.ξ,*
contumeliam habitus: hanc vitæ imaginem arripiés 232.
Aristippus, cùm paupertatem & labores fortiter tu- *Apophthe*
lit, tum voluptatibus affatim vsus est. Homeri sa- *mata.*
pientiæ hoc quoque est documentum, quòd præ-
clara & multa sapientum dicteria prior ipse extulit.
Quale illud, Deum sequere. ille ita,

Qui superis paret, rata uota is nuncupat illis. *Iliad.æ,*
Et, Ne quid nimis, hoc modo: 217.

Ipse modum si quisquam excedit amicus amando, *Odyss.o,* 69
Aut odio nimis indulget, succenseo: præstat
Cuncta modo fieri. —— &,
Sponde, præstò noxa est: sic ille,
Pro prauis spondere equidem est res plena pericli. *Odyss.ω,* 352

Et Pythagoras, quod quidam quærenti Quid est a-
micus, respondit, Alter ipse, sic:

—— *Non secus atque meum caput.* *Iliad. σ,* 82.
Eiusdem cum apophthegmatis forma est & Gno- *Gnome.*
me, siue sententia: quæ est, vniuersalis paucis verbis

com-

comprehensa de rebus ad vitam humanam pertinentibus enunciatio. Qua cùm vsi sint omnes poëtæ, philosophi, aliíque librorum conditores, operámque dederint, vt sententiosè quædam dicerent: princeps Homerus multas atque præclaras sententias protulit, per totam sparsas poësin: eásq; partim exponentes quale sit id de quo agitur: quo sensu hæc dixit,

Iliad.α,79. *Quippe potens ubi rex succenseat inferiori,* &c.

partim aliquid præcipientes,

Iliad.β,24. *Non decet hunc nocti somnos æquare, regendus*
Cuius consilio est populus.——

Cum autem multas Homerus sententias, ac de officiis præceptiones præclaras extulerit, multi posteriorum eas transtulerunt: cuius rei aliquot apponere exempla, intempestiuum non est. Homerus ergo ita:

Iliad.o, 103. *Quæ nos uana Iouem stolidos uæcordia contra*
Incitat? ânne adeò uerbis uel uiribus illum
Propositò aggressos spes est deducere posse?
Ille sedens solio solus, nos, ceptáque temnit
Nostra, nec illorum curam dignatur habere:
Vt qui robore se multum præstare potenti
Cœlitibus ferat, & sceptro rebúsque potiri.
Ergo quæ uestrûm cuiuis incommoda mittet,
Ferte dij, uestram tacitiq; agnoscite sortem.

Hinc illud Pythagoræ:

Aur. car. *Iam cùm fatali mortalibus infligantur*
Fortuna, & diuûm uexent mala plurima nutu:
Quæ tibi contigerint, animo æquo ferre labora.

Tum Euripidea hæc:

Rebus etenim aduersis frustra succenseas:
Nihil hæ tua mouentur ira: sed sua
Quicunque sorte, ceu decet, utitur, sapit.

Rursum Homerus ait:

Quã

Quò nate immensum produces usq; dolorem, Iliad. ω,
Ipse tuum cor edens? 126.

Pythagoras verò:

Parce tuæ uitæ, neq; eam perdas cor edendo.

Iterum Homerus cùm dixisset:

Humanæ talis nam stat sententia menti, Odyss. σ, 75.
Qualem quottidie lucem ipse Diespiter affert.

Archilochus cùm alia imitatus, tum hoc quoque transcripsit:

Mortalium mens, Glaucie Leptina
Create, talem præbet identidem
Se se, Tonantis summa qualem
Quottidie exhibuit uoluntas.

Item cùm alibi Homerus dixerit,

Nanq; alicui dono diuorum bellica uirtus Iliad. υ,
Obtigit: ast alium prudenti pectore iussit 730.
Pollere, ac mentis præclaris dotibus uti,
Iuppiter: atq; huius prodest sapientia multis,
Adfert integris sed & urbibus illa salutem.
Conscius ipse sibi propriæ uirtutis honorem
Vindicat, & uanæ ridet conuicia turbæ.

Huius loci imitatione Euripides ita scripsit:

Nam ciuitas prudentis consilio uiri
Bene temperatur, & domus: inq; bellica
Vel plurimum conducit hoc re, scilicet
Multas manus consilium uincit unicum
Bonum: damno est insciti a multitudinis.

Iam quibus verbis socium Idomeneus adhortatur,

Si mortis uitam exsortem, duræq; senectæ, Iliad. μ,
Fata darent bellum subterfugientibus istud 322.
Tecum, chare mihi, spe sq; hæc nos certa maneret:
Non equidem aut acies primos ipse inter obirem,
Aut tibi famosi mandarem prælia Martis.
Nunc cùm circunstent nos mille pericula mortis,

Extra etiam pugnas, & ineuitabile fatum
Omnigena rapiat mortales cæde cateruas:
Ibimus aucturi famam nobis, aliísue.

Ea Aeschylus ita expressit,

Neq; multa uir qui pectore uulnera percipit,
Moritur: nisi uitæ concurrat terminus.
Neq; ad focum quis desidens domi suum,
Fatale uitat eo magis infortunium.

De corona. Demosthenes autem ita soluta oratione: Omnibus hominibus vitę terminus est mors: etiamsi quis eam in domuncula conclusam asseruaret. Itaq; præclari viri est, omnia honesta quovis tempore aggredi: ac quod Deus iniunxerit, ferre forti animo.

Rursum Homerus:

Iliad. γ, 630. *Nam præclara dolum non sunt dona abiicienda.*

Sophocles ita hoc transtulit:

Est munus hoc Dei. proinde quæ dij
Dederint, nihil fugiendum eorum sentias.

Dixerat Homerus,

Illius à lingua uox ipso melle fluebat
Iliad. α, 248. *Dulcior.* — Hinc Theocritus,
Dulce eius nectar quia Musa effuderat ore.

Aratus quoque Homerica transcripsit: vt,

Arctos, Oceani est expers quæ sola lauacri. &,
Odyss. ι, 275 *Nam uitam morti eripiunt.* Pro his Aratus:
Iliad. ε, 628. *Vrsas Oceani metuentes æquore tingi.* &,
Et paruum gelido lignum defendit ab Orco.

Rhetorica. At de his quidem satis. Ciuilis oratio est in Rhetorica: cuius peritia primùm fuisse præditum Homerum apparet. Si enim est Rhetorica, ad persuadendum appositè dicendi facultas: quisnam hac Homerum superauerit? quippe qui & grandiloquentia reliquos omnes excellat, & in sententiis non minorem ea vim ostẽdat. *Dispositio.* Primum in arte locum obtinet dispositio. Hanc ille per totam poësin ostentat: maximè

ximè autem initio operum. Non enim longè repetiit Iliadis principium, sed ab eo tempore, quo vehementiores actiones ac frequẽtiores extiterũt. Quæ verò languidiora erant, ac antè gesta, ea alibi compendio recensuit. Idem in Vlissea fecit, à postremis errorum Vlissis temporibus sumto initio, cùm tempestiuum esset etiam Telemachũ iam introduci, ac procorum libidinem declarari. Quę verò his priora Vlissi erranti euenissent, ipsum ea narrantem introducit: vt ab eo qui ipse perpessus ista erat enumerata, plus fidei, & ad mouendos animos virium haberent. Porrò cùm Oratores principium in quavis adhibeãt oratione, vt auditorem vel benevolum sibi, vel attentum reddant: ipse Poëta vsus est exordiis, quæ ad mouendum, adque auditionem alliciẽdum maximè conducant. Nimirum in Iliade primo loco profitẽtur se explicaturum, quæ mala Græcis propter Achillis cõtumeliosè ab Agamemnone tractati iram evenerint: & in Vlissea, quantos labores, ac quæ in pericula Vlisses inciderit, quæ tamen omnia sapientiæ & tolerantiæ ope superauerit. In vtroque poëmate Musam invocat, vt dictis diuinitatis atque probabilitatis eo plus conciliaret. Cùm verò multas introducat personas, quæ ad suos aut amicos, aut hostes, aut populum verba faciant: singulis decorum sermonem attribuit. Ita initiò statim Chryses in sua ad Græcos oratione principio vtitur commodissimo. Comprecatur enim primo loco iis, vt victis hostibus domum redeant, benevolentiæ eorum sibi parandæ gratia: atque ita tandem filiam petit. Achilles autem minis Agamemnonis iritatus, iis quæ de seipso diceret, sermonem pro omnibus Grę cis admiscet, vt eos sibi auditores benevolentiores redderet. Vniuersos ait ad bellum id profectos esse non priuatarum causa inimiciciarũ, sed in gratiam Agamemnonis, & fratris eius. Se, cùm præclare meritus esset, non ab his, sed à cõmunitate Græcorum

Exordium.

Iliad. x. 149. &c.

munus cepisse. His contradicenti Agamemnoni, ipsi quoq; non deest quo populum demulceat. Cùm enim Achilles dixisset, se in patriam abiturum propter iniuriam acceptam: non ait illi Agamemnon, Abi: sed, Fuge: id quod simpliciter fuerat dictum, ignominiose pervertens. Et, Non, ait, te vt maneas oro: adsunt enim & alij qui me honore dignabũtur. quod ipsum erat auditoribus gratum. Post hos inducitur orator Nestor, quem suauiloquum & iucundum sermocinatorem appellat,

Ibidẽ 172.

Ibid, 248.

Cuius & à lingua fluceret uox dulcior ipso
Melle. —

qua maior laus oratori tribui nequit. Quid autem ille dicendo conficit? Exordiũ nempe adhibet, quo efficere conatur, vt pœnitendum sibi rixarum putent principes: significans eis, quòd rixando ipsi lætitiam hostibus essent præbituri. Tum pergit vtrunq; dictis castigare, sibiq; vt seniori vt obtemperent adhortari: ac dum alterum castigat, alteri simul grata loquitur. Agamemnonem quidem hortatur, ne prẽmium magnorum laborum alteri eripiat: Achillem, ne cum rege ipsi præfecto contendat: ac vtrunque decenter laudans, illum vt pluribus imperantem, hunc vt virtute priorem, ita eos mitigare intendit. Quid? quę sequitur narratio, cùm in somnio Agamemnon, quod à Ioue missum bona ipsum spe impleuerat, excitatus, Græcos arma capere iubet: an non in ea re oratorio vsus est artificio? quippe contrarium eius quod ipse volebat, populo suadet, vt de eorum voluntate periculum faceret: neque molestus esset, si sui eos causa pugnare cogeret. Itaq; ipse quidem verbis populo blanditur. alius autem aliquis, qui persuadendi facultate esset præditus, manere iubet: scilicet hoc re ipsa velle regem, & in sua oratione id innuere affirmans. Vlisses est, cui hę partes dantur. Is libertate decenti vtitur, præstantissimis comi oratione suadens, & minores minaciter cogens: tumultũ multitudinis & motum incom-

Initio Iliad. β.

incompositum sedans, omnibus prudenti sermone persuadens: & qua leuiter exprobrans eis, quòd nō starent promissis: qua venia eos dignans, quòd tanto tempore nulla re gesta, iis quæ charissima habentur, carerent: tum cōsolationem quoq; ex oraculis adhibens, ad fiduciā erigit, & manere persuadet. Similiter & Nestor orationem habet diuersam quidē, sed eōdem tamen tendentem: maioriq; libertate ad iam mollitos vtens, populo suadet: causamq; cōtemtus regis in paucos quosdā nullius precij homines conferens, pudorem incutit plebi. minatur quoque inobedientibus statímq; cōsulit regi, quomodo ordines militares sint cōstituendi. Rursum in bellicis actionibus, cùm Græci modò prosperis vterentur rebus, modò adversis, atq; in metum veniissent: Dio medes, vt qui nuper præclarè gesta re libertatem dicendi sibi parasset, cùm antè nōdum sua virtute declarata convicium à rege sibi factum silentio dissimulasset, tunc eum increpat, vt qui timiditate adductus fugam suaderet. Ita enim loquitur: *Iliad. 8, 169.*

Contra te primùm, quia stultè dicis, Atrida,
(Quam libertatem sibi poscit concio) dicam:
Sed caue tu stomachere. — *Iliad. 1. 32.*

Quibus verbis cùm eum castigare vult, tum iram quoque amolitur. inde res à se gestas citra importunitatem ita commemorat:

Nam mea facta senes Graij norunt, iuuenesq;.

Deiceps Græcos exhortatur, laudās eos artificiosè:

Insane, usq; adeon' imbelles dicere Achiuos,
Vsque adeon' audes molles? —

Atque ipsum Agamemnonem pudore afficit, concedens ei vt abeat si velit: satis virium in reliquis fore. Quinetiā si omnes fugiant, tamen se cum socio manurum & pugnaturum:

Ipse equidem, & Sthenelus mecum, pugnabimus. —

At Nestor cùm huius & in cōsulendo & in agendo *Ibid. 53.*

virtuti testimoniũ tulisset, quia in fine deliberationis dissentiebat, se vt seniorem audiri par esse ostendit, orationéq; progressus, de mittẽda ad Achillem legatione consulit. Qua ipsa in legatione Homerus varium oratorib. tribuit artificiũ. Nam Vlisses, qui primus orat, non hoc statim dicit, Agamemnonem pœnitentia raptæ Briseidis ductum, hanc reddere, & dona cùm iam mittere, tum alia pòst daturũ polliceri. neq; enim in rem erat futurum, turgente adhuc animo horum memoriam renouare. Itaque primùm miserationem Græcarum calamitatum conatur in animũ Achillis inducere: deinde ostendit, fore vt posthac vbi voluerit cladibus eorum succurrere, non possit. pòst, Pelei præceptorum eum admonet, amolitus à se quod molestum erat: & patris Peleipersonæ, vt quæ maius momẽtum afferre posset, orationem tribuens. inde cùm iam placatus aliquantum videretur, donorum Agamemnonis meminit: rursúmq; orationem ad deprecationem pro Græcis convertit, quos Achilles, tametsi iustè iratus Agamemnon, seruare tamen deberet, nulla ab iis læsus iniuria. Nam & per orationem oportebat omnibus quæ offendere auditorem possent, vacare: quia maximè ea pars orationis animo inhæret. Et quidem extrema adhortatio facit aliquid ad excitandum in hostes, à quibus eum contemni ait. Nunc, inquit, Hectorem interficere poteris, si te subsistat: nam nullum is Græcorũ sibi parem ait. At Phœnix metuens ne deprecatio iusto languidior esset, lacrymas addit. Ac primùm assentitur instituto in patriam abeũdi, dicens se nolle relinqui, eo nauigante: id quod erat Achilli gratum, causámq; refert, quomodo sibi eum Peleus crediderit, educandum puerum etiamnum, docendúmq; & dicere & agere. inserit etiam narrationi peccata per ætatem à seipso, innuens cõsilij expertem esse iuuentutem. In progressu orationis nihil omnino quod faceret ad exhortandũ prætermittit,

Iliad. 1, 225.

Ibid. 432.

termittit, artificiosè omnia capita tractans: Honestum esse reconciliari deprecanti, ac dona mittenti, & præterea legatos, viros præstantissimos, & maximè apud omnes honoratos. Se quoque meritò impetrare quod petat, quippe alumnum & præceptorem. Pœnitentia correptum iri, si præsentem dimiserit occasionem. exempli causa narrationem de Meleagro inferens, qui ipse quoque à suis rogatus vt patriæ opitularetur, non antè assensus sit, quàm necessitas patriæ iam calamitatibus circumventæ eò adegit. At verò Aiax miseratione & precibus nequaquam sibi vtendum ratus, Achillis nimis altos spiritus ad humilitatem aliquam detrahere instituit: partim tempestiuè increpando, partim ingenuè adhortando, ne prorsus iritaret. Hæc enim oratio decebat hominem virtute præditum. Cæterùm Achilles singulis respondendo, ingenium suum generosum iuxtà atque simplex demonstrat. Nam reliquis ita se opponens, vt præter magnitudinis animi indicia, etiam redargueret atque refelleret eorum dicta, iustas iræ causas afferens, Aiaci sese excusat. Ac Vlissi quidem dixerat se postridie naui discessurum. Inflexus autem quodammodo Phœnicis deprecatione, de abitu deliberaturum ait. Tandem victus libertate Aiacis, fatetur quicquid instituerat facere: scilicet non antè se ad pugnam exiturum, quàm Hector ad tentoria eius & naues veniat, multis Græcis necatis. Tum, inquit, censeo à me Hectorem, quamvis summa vehementia pugnantem, repressum iri. Addit autem hoc vt responderet ei quod Vlisses de impetu Hectoris reprimendo dixerat. Porrò id quoq; Homerus in oratione Phœnicis ostendit, rhetoricam esse artem. Ita enim is ad Achillem: *Ibid.* 619.

Te puerum pater, ignarum belliq; cruenti
Misit, & orandi, quo virtus maxima claret.
Iccirco tibi me præfecit, qui docearn te. *Ibid.* 440.

Dicendo rectè præstare, & rebus agendis.

Quibus verbis hoc quoque ineſt, facũdia viris ſum mam parari gloriam. In multis quoque aliis poëtæos locis orationes invenias artificio rhetorico factas. Accuſationis etiam & defenſionis modum indicauit, cùm aliàs tum vbi Hector fratrem obiurgat, timiditatem ei exprobrans, & luxuriam: ac quòd, talis cùm eſſet, iniuriam remotas regiones habitantibus intuliſſet, maláque eo facto ſuis paraſſet. & Alexander iram fratris mitigat, fatens ſe iuſtè increpatum, ac promittens ſe cum Menelao ſingulari pugna congreſſurum, timiditatis crimen ita diluit. Enimvero nemo ſanus non facilè & ex his, & omnino legendis eius ſcriptis deprehendat, artificem orationis fuiſſe Homerum. Notas quoque ſuas oratoribus addere non neglexit. Neſtorem introducit ſuauẽ, & auditoribus gratum: Menelaum breuem, gratioſum, ac propoſiti tenentem: Vliſſem multa ac varia dicendi vi vtentem. Hoc enim his duobus heroibus teſtimonium Antenor perhibet, qui ipſos audiuerat, cùm legati Ilium adveniſſent. Atque has orationis formas per vniuerſam poëſin ipſe Homerus exhibuit. Nouit etiam, in quavis re opponi contrarias orationes, fieríque peritiæ dicendi abvndantia quadam, vt quod ab altero affirmatur, id ab altero refutetur. Sic enim ait:

Iliad. γ, initio.

Iliad. γ, 211.

Iliad. υ, 247.

Lingua hominum quippe eſt uerſatilis: atq; in utranque
Hinc atq; hinc magna eſt ſermonis copia partem.
Qualia dixiſti, tibi talia uerba uiciſſim
Reddentur. ——

Nouit etiam eadem multis verbis perſequi, & paucis in ſumma repetere, quod Anacephalæoſis dicitur: éſtq; apud oratores in vſu, cum multas res narratas in memoriam compendio revocari oportet. Sic quæ Vliſſes apud Phæaces quatuor totis rhapſodiis enarrat, eadem paucis verbis recenſet, ibi:

Odyſſ. ι, κ, λ, μ.

Cæpit,

Cœpit, qua primum Ciconas ratione domarit, &c. Odyss.ι. 308.

Ciuili orationi adhæret legum scientia. Ne huius quidem expertem Homerũ inueniemus. Ipsum legis nomẽ, quod est *νόμος*, an eius tempore in vsu fuerit, certò dici non potest. Sunt qui notum id ei fuisse dicant, argumento versus: Leges.

Ἀνθρώπων ὕβριν τινὰ σὺν νομίῳ ἐφορῶντες. Odyss.ζ. 487.

Aristarchus *σὺν νομίῳ* dictam putat, à recta distributione. Et quidem inde apparet etiam *νόμον* appellatum, quòd æqualiter omnibus, aut cuivis pro eo atque dignus est distribuatur. Sanè multis locis Homerus demonstrat, se vim legum intellexisse, si non scriptarum, at saltem in hominum animis conseruatarum. Sic enim facit Achillem de sceptro loqui:

— *Quod nunc manibus gestatur Achiuũm,* Iliad.α. 237
Qui dant iura Iouis iussu. —

Iura autẽ legibus compræhenduntur, quarum autorem Iouem facit: cuius etiam cõsuetudine Minoem Cretæ regem vsum scribit. Ea autem consuetudo fuit discendarum legum, quod & Plato testatur. Apertè etiam ostendit legibus parendum, neque iniustè agendum esse, his verbis: Odyss.τ. 179.

Non ergo illicitis se quisquam efferat ausis:
Sed tacitè his, superi quæ donauere, fruatur. Odyss.σ. 140.

Enimuerò respublicas primus Homerus distinxit. Nam in scuto, quod totius mundi exemplum Vulcanus parauit, (is intelligitur spiritus vis) duas fecit vrbes, vnam in pace & læticia degẽtem, alteram deditam bello: ac vtriusque consectaria enarrãs, ostendit aliam esse ciuilem vitam, aliam bellicam. Sed ne rusticam quidem præteriit: sed hanc quoque demonstrauit, oratione cùm perspicua, tum ornata. Iam quòd in omnibus ciuitatibus leges iubent sẽnatus esse quoddam concilium, quod de rebus consultet, antequam populus coëat: id liquet ex his Homericis esse petitum: Reipublicæ formæ. Iliad.σ.

Iliad.β, 53. *Cogere magnanimum ſed regi cura ſenatum*
Prima fuit.——

Senes enim ibi Agamemnon convocat, cûmq; his deliberat de armanda ad pugnam multitudine. Et quod præ aliis principem oporteat de omnium ſalute eſſe ſolicitum, in eadem perſona docet, cùm ita monetur,

Ibid.22. *Non decet hunc ſomno totas impendere noctes,*
Cuius conſilio populus committitur.——

Item quòd magiſtratui parére ſubditi debeant, ac quomodo is ſingulos tractare debeat, Vliſſes docet: Ibid.186. præſtantiores ſermone manſueto compellans, iis qui de plebe erant acerbiùs obiurgatis. Iam quod receptum eſt apud omnes, vt aſſurgatur præſtantioribus, id dij quoque faciunt. Ioue enim intrante,

Iliad.α, 533. *Aſſurgunt omnes ſuperi, neque ſede ſedere*
Suſtinuit quiſquam.

Lex eſt, vt in concione maximi natu verba faciant. Ergo Diomedes belli neceſsitate coactus, vt primus dicendi partes ſibi ſumeret, veniam precatur:

Iliad.ξ, 110. *Ne mihi quis ueſtrûm ſuccenſeat, oro, loquenti,*
Quòd minimus natu uobiſcum uerſor.——

Id quoque leges vbique iubent, ſpontanea peccata puniri, inuitis factis veniam dari. Id ipſum Poëta docet, apud quem ſic cantor Phemius Vliſsi,

Odyſſ.χ. 349. *Hoc tibi Telemachus uerum ipſe fatebitur heros.*
Me neque ſponte mea, neque ſpe mercedis in ædes
Huc intraſſe tuas, conuiuiáq; arte procorum
Delectaſſe mea, ſed ui rapuere potentes
Ac plures numero, & menſæ appoſuere coactum.

Cùm autem tres ſint formæ reipublicæ ad iuſtitiam & leges aptæ: regnum, optimatum adminiſtratio, ac popularis poteſtas: hiſq; tres opponantur iniuſtæ, & legibus contrariæ, tyrannis, paucorum potentia, plebis imperium: ne has quidem videtur

Home-

Homerus ignorasse. Regnũ quidem per totam poësin celebrat, ac commendat: vt & in his,

Nanque animus regi Iouis altitonantis alumno Iliad. β, 194
Magnus ineſt, Iupiterq; illum dignatur honore,
Atq; amat.——

Aperte etiam ostendit, qualis debeat esse rex:

Imperio populos mansuetus ut ille paterno Odyss. β, 234.
Rexerat.—— Et: Odyss. δ, 690,
Nec quenquam è populo factis uerbisue superbis
Læsit: sed regis munus præstantis obiuit.

Optimatum gubernationem descripsit, cùm Bœotorum quinque reges numerat: & apud Phæaces Alcinous hæc, Initio Bœotiæ.

Bis seni populum reges hunc iure gubernant: Odyss. θ, 410.
Tertius his supra decimum superadditus ipse
Sceptra gero.

Popularis status reipublicæ picturam in scuto exhibuit. duabus enim ei vrbibus insertis, alteram popu Iliad. σ, 490.
lari administratione facit contentam, nemine imperante, sed omnibus sua sponte secundum leges viuentibus: vbi & tribunal collocat. Quin & his verbis eam reipublicæ formam indicat,

Iratum fugiens populum: quia fœdere iunctos Odyss. π, 725.
Nobis Thesprotos socio uiolaucrat ipse,
Prædones Taphios, atque arma iniusta secutus.

At eum qui per vim & contra leges dominaretur, tyrannum quidẽ non nominat, quòd ea vox recentior est: qualia autem is agat, ita demonstrat:

Ad regem te mittam Echetum: notissima cuius Odyss. σ, 84.
Sæuitia in quosuis homines, qui uidere nares
Immani, & ferro truncabit protinus aures.

Aegisthum quoque tyrannum inducit, qui interfecto Agamemnone, potitus sit Mycenis: neque post mortem sepultura fuerat afficiendus, siquidem Menelaus adfuisset. Ea em̃ pœna tyrãnis cõstituta est.

Odyss. γ, 257. *Non huic puluereo tumulassent membra sepulcro,*
Verùm grata canum iacuisset, & esca uolucrum
In campo: facinus quoniam crudele patrarat.

Paucorum potentiam videtur innuere, cùm de procorum scribit auaricia, inter alia hæc dicens,

Odyss. α. 247. *Atque Ithacæ quotquot duræ dominantur.*——

Plebis autem dominationem in Troianorum republica monstrat, in qua & vniuersi Alexandro opitulantes infortunium habuerunt, & ipse Priamus liberos vt malorum causam increpat,

Iliad. ω, 261. *Nati infelices hæc mi properate.*——

Et alius quidam Antimachus:

Iliad. λ, 123. *Aurea cum Paridis cepisset dona, negabat*
Reddendam esse Helenam Menelao.——

Quandoquidem autem hoc apud homines iustum censetur, vnicuique pro eo atq; meretur tribuere: in quo præcipuè inest pietas erga deos, & cultus qui parentibus ac necessariis debetur: religionem quidem sæpenumerò docet, introducens heroes sacrificantes, vota facientes, & dona diis consecrantes, eósque hymnis honorantes, ab iisque auxilium præmium pietatis recipientes. Pietatem erga parentes præcipuè Telemachi persona ostendit, & in quibus laudat Orestem:

Pietas.

Odyss. α, 298. *Non audis quantam laudem præclarus Orestes*
Retulerit, quem nunc uno cuncti ore celebrant,
Quòd patris interfectorem læto dedit.——

Et quòd in senectute à liberis ali parentes naturæ lex iubeat, ídque compensandi causa ij debeant, vna dictione aperuit:

Iliad. δ, 476. *Nec alimenta suis genitoribus ille rependit.*

Fratrum benevolentiam & fidem mutuam in Agamemnone & Menelao, amicorum in Achille & Patroclo proposuit, vxoris pudicitiam & amorem mariti in Penelopa, maritì desiderium vxoris in Vlisse.

Quo

Quo autem modo pro patria sit agendum, in hoc maximè versu declarauit:

Vnicum id augurium est, patriam defendere, uerum. Iliad.μ,243

Rursum, quomodo reipublicę participes amiciciam oporteat colere:

Ille tribu mihi iure, domoq; carere uidetur, Iliad.ι,63.
Quem populare iuuat crudele & lugubre bellum.

Item quàm præclarum sit, esse veracem, quámque fugiendum mendacium: Ibid.321.

Pœne mihi est Orci portis inuisior ipsis,
Cuius uerba sonant aliud, quàm mente recondit,

Et alibi: Odyss.σ, 167.

Qui mala moliri sueuerunt, grata loquentes.

Cùm familiæ saluti plurimùm hoc conducat, vt neque in arcana viri mulier curiosè inquirat, neque in iussu illius agere quicquam intendat: vtrunq; exemplo Iunonis significauit. Prius, hunc Ioui sermonem tribuens: Oeconomica. Iliad.α,544

Iuno, ne mea te speres cognoscere posse
Omnia consilia. ——

Alterum, ita loquentem fingens Iunonem: Iliad.ξ,309

Ne mihi ad Oceanum pòst te ignorante profectæ,
Irascare. ——

Neque præteriit poëtam id quod vsu apud omnes est receptum, vt qui in bellum exeunt, aut alioqui sunt in periculo constituti, aliquid necessariis mandent. Nam Hectorem deplorans Andromacha, sic loquitur: Iliad.ω, 768.

Nam neque mî moriens de lecto perdite dextram
Porrexti, neque te suprema uoce monentem
Audiui, semper quæ condita mente tenerem
Assiduos inter fletus noctesq; diesq;.

At Penelope Vlissis præceptorum memor est: qui discedens ita mandauerat. Odyss.ρ, 264.

Illic an peream, an uerò me fata reducant

Incolumem, dubium est: hæc tu seruare memento
Interea, ut curæ tibi sint, socrusq́, socerq́,
Quantæ iampridem, uel (postquam filius absum)
Maiori natus postquam lanugine malas
Tectus erit: tunc arbitrio secura maritum
Quære tuo, atque illi patrios concede penates.

Norat & curatores.

Odyss. β, 226.
Quippe domum, soluens Ithaca, commiserat omnem
Huic Laertiades, cunctos parere senioq́;
Iusserat, & fidei mandauerat omnia amici.

Luctus propter familiarium mortem neque nimios voluit esse (est enim nequaquam ingenuum) neque planè nullos: quòd vacuitas affectionum supra humanam esset conditionem. Itaque hæc cecinit,

Iliad. ω, 48.
Sanè aliquis se plorato solatur amico:
Namque homini mentem patientem fata dederunt.

Alibi autem dicit:

Quo magis est æquum tumulis mandare peremtos,
Iliad. τ, 228
Immaniq́; animo fletum donare diurnum.

Nouerat & ista, quæ nunc in sepulturis consueuerunt adhiberi. Inde hoc,

Iliad. π, 455
Hic illum socij tumulabunt, atque propinqui,
Et (qui defunctos uita comitantur honores)
Aggere donabunt, tumulo figentq́; columnam.

Tum quæ de Hectoris nudo iacente cadauere loquitur Andromacha:

Iliad. χ, extremo.
Te uermes comedent, raptabunt membra canesq́;
Post modò: cùm uestes iaceant tibi in ædibus amplis,
Tegmina (heu frustra) muliebri texta labore
Solerter: quæ nunc igni crepitante cremabo,
Non tectura tuum miserande marite cadauer,
Sed mihi apud ciues laudem præbentia uanam.

Odyss. β, 98. Sic & Penelope Laërte heroi vestem sepulcralem texit. Atque hæc quidem mediocria. At præterea refert

refert ſupervacanea, Achillem cum rogo Parrocli cremaſſe cùm alia animalia, tum etiam homines: nō quidem hoc laudans, vt qui accinat,

Facta agitans animo mala.——

Quin & ſepulcreta primus excitauit, vbi multi ſimul humarentur: *Iliad.ψ, 176.*

In campo tumulum nos exaltabimus unum. *Iliad.336.*

Primus quoq; ſepulcralia certamina memoriæ prodidit. Atque hæc communia belli pacíſque ſunt. Peritiam verò bellicam, quam ſcientiam ordinum inſtruendorum nonnulli appellant, ei non defuiſſe, docet tota poëſis, pedeſtribus ac nauium etiam, tū oppidorum oppugnationibus, acierum conflictibus, & ſingularibus certaminibus variè exornata: ac multa quoque conſilij imperatorij artificia compræhendens, quorum quædam referre conuenit. Cùm in acie inſtruenda ſemper priori loco equitatum poni, ſequi peditatum oporteat, id ſic indicat: *Iliad.ψ, 157. &c.*

Prima equites & equos acie, currusq; locauit: *Iliad.ϑ, 296.*
Illis à tergo pedites multosq; bonosq;.

Item in ſingulis ordinibus militum eſſe ductores: *Iliad. ι, 84.*

Namque duces ſeptem præſunt cuſtodibus, horum
Haſtati centum comitantur quenque.——

Ducum alios in prima acie pugnare, alios in extremo agmine verſari, ac reliquos ad prœliū adigere:

Idomeneus acie in prima fulgentibus armis
Cinctus, qualis aper, ualido ſe robore agebat: *Iliad.δ, 283*
Merione extremas pellente in prœlia turmas.

Et quòd fortiſsimi in extremitatibus caſtrorum deberent tendere, muri inſtar reliquis obiecti: rex autē in tutiſsimo, id eſt, in medio. oſtēdit, cùm extremas nauium partes tentoriis fortiſsimorum Achillis & Aiacis adſignat, medium Agamemnoni & reliquis præſtantiſsimis. Iam vallum iácere cùm caſtra figuntur, foſſas in longum latúmque ducere, eáſq; palis *Iliad.δ, 231. & initio Iliad.λ.*

in orbem munire, vt & latitudo transilire, & altitudo transire prohibeat, Homerus ita docuit:

Iliad. μ, 52. —— *nam fossa absterruit illos*
Ampla, nec hanc ulli saltu superare dabatur,
Nec gressu transire. etenim præceps ab utraque
Margo parte uiros arcebat: & undique acutis,
Grandibus & uallis confertim Graia iuuentus
Munierat, defendendis opus hostibus aptum.

Moriuntur quoque fortiter pugnantes, qui hæc eius verba sequuntur:

Iliad. χ, 304. *Non sanè ignauam mortem sine laude subibo,*
Sed seri accipient mea fortia facta nepotes. &,

Iliad. ο, 493 *Eminus ac si quis uostrûm, uel comminus ictus*
Occumbat, pereat sanè, neque dedecus illi
Pro patria cecidisse sua est. ——

Iis quorum virtus claruit, honores dantur:

Iliad. ι. 344 *Regibus, & meritis præclarè munera præbet.*

Desertoribus autem supplicium denunciatur.

Iliad. ο, 348 *Si quem se rigidæ subducere sensero pugnæ,*
Hic illum ad naues occidam. ——

Quid verò commemorem, quomodo & quàm variè heroas in pugna inducat vulnerantes ac vulneratos? Id admonendum duxi ab Homero esse petitum, quòd qui aduerso corpore vulnerati sunt, eos gloria dignos iudicamus, vt qui hostẽ subsistẽdo, locúmque suum tenendo fortitudinem suam declarauerint: contraque ignominia notamus, qui in tergo vulnus acceperunt, quippe quibus id in fuga acciderit. Sic ille,

Iliad. ν, 288 *Nanque inter Martis si fors feriare laborem*
Non in posticam colli tu uulnera partem
Excipies, tergumue hostiles sentiet ictus.
Verùm inter primos obeunti prælia, pectus
Aut uenter telis occurret. —— Item:
Non tua mî tergo fugientis lancea stabit:

Ve-

Verùm traiicies contrà mihi pectus eunti. Iliad. χ. 283

Vtiliter etiam monet, fusis hostibus nõ debere præ dæ statim intentos esse, neque fugiendi tempus iis concedere victores: sed instandum, & persequendum victos:

Ne studio quisquam spoliorum prœlia linquat, Iliad. ζ. 70.
Idq; agat ut præda naues accedat onustus.
Cædere nunc hostes præstat: pòst inde quietis
Per campos spoliare cadauera fusa licebit.

Omnibus ætatibus egregia facta attribuit, quæ ad quemvis hominẽ excitandum faciant. Iuuenis, exẽplo Achillis excitari potest, & Aiacis, & Diomedis: adolescens, Antilochi & Merionẽ: matura ætate vir, Idomenei & Vlissis: senex, Nestoris: rex autem horum omnium, & Agamẽnonis. Huiusmodi apud Homerum sunt ciuilium orationum & actionum documenta. Medicæ quoque rei videamus quàm non fuerit ignarus. Magni eum fecisse artem eam, vel hic versus docet: *Medicina.*

Namque uir est multis medicus præstantior unus. Iliad. λ. 514.

Porrò medicina scientia videtur esse salubrium, & saluti adversorum. Quod hinc discas. Esse scientiam,

Ast medicum reliquis diuina scientia maior Odyss. δ. 230
Instruit.——

Esse salubrium & insalubrium:

Atque bonis medicamentis permixta uenena. Ibid. 229.

Medicinæ altera est pars in contemplatione posita, quæ vniuersalibus rationibus certaque via doctrinæ ad singulorum cognitionem perducit: cuius alia pars signa, alia causas tractat. Altera est effectrix, quæ opus facit: cuius partes sunt, victus rationem præscribens, manuum opera vtens, & medicamenta adhibens. Videamus, vt Homerus singula attigerit. Contemplatricem medicinã sibi notam fuisse, hoc versu obscurè indicat:

Τῶν Διὸς θυγάτηρ ἔχε φάρμακα μητιόωσα. Ibid. 227.

μητάντα dicit medicamenta, nempe contemplatricè
Iliad.λ,831. peritia apparata. Signa tractantem diserte in Achille proponit. Is enim vt Chironis discipulus, primus
Iliad.α,54. causam luis, quæ Græcos invaserat, deprehendit: nimirum sentiens morbos qui populum simul inficiũt (Epidemios vocant) ab Apolline esse, qui idem est sol. Is anni tempestates adducit: quæ vbi inæquali temperie constant, morbos gignunt. Et in vniuersum adeò salutem ac exitium virorum Apollini, mulierum Dianæ, hoc est, lunæ harum, soli illorum adscribit: sagittarios eos fingens, ob coniectum radiorum: diuidens autem masculum à femineo: quòd illud natura est calidius. Propterea ait Telemachi tam esse staturam voluntate Apollinis: Tyndarei autem filias ope Dianæ adoleuisse. Mortem iisdem im
Odyss.τ, 86. putat cùm sæpe alibi, tum de filiis Niobes filiabúsq;
Odyss.υ,71. vbi loquitur, ita distinguens:

Hos Titan, illas pernix Diana necauit.

Iliad.ω.617 Caniculæ quoque ortum refert, signum ac causam æstus morborúmque:

Ex superat splendore suo qui sidera cuncta:
Iliad.χ, 27. *Sed mala designat, magnum mortalibus æstum*
Ille ferens.——

Causas etiam persequitur, de iis hæc scribens:

Nam neque edunt Cereris, neque Bacchi munera potant:
Iliad.ε,341. *Hinc immortales, & cassi sanguine uiuunt.*

Alimentum quippe tam siccũ, quàm humidum, sanguinem gignit. sanguis corpus alit, idémque abundans aut corruptus morbos generat. Effectricẽ medicinam ita tractat, cuius pars est etiam ea quæ victus ratione vtitur. Primum discrimen morborum acutorum & diuturnorum aperuit in his:

Nam quæ te mortis species dulcissima mater
Odyss.λ, 150. *Abstulit? an longi uis morbi? Cynthia uel te*
Ipsa suis telis subitò iaculata peremit?

Manifestum quoque est, eum tenuem victus rationẽ existi-

existimasse salubrē. Facit em̄ heroas assatis carnibus vesci, ciborum curiosum apparatum omnem amputans. Et quoniam venter semper indiget iterata alimentorum suggestione, postquam priores cibi con
5 cocti, corpori suum succū, ac quod idoneum est in cor & venas transmiserūt, & superflua excreta sunt: itaque sic scribit,

Me sinite interea quamuis cœnare dolentem.
Nam nihil inuiso uentre importunius usquam est,
10 *Qui meminisse sui nolentem cogit, & urget.* Et statim:
Me iubet ille cibum capere, & potare, malorum Odyss. π. 215.
Oblitumq; iubet se tantùm explere.—— Vinum.
Vini quoque diuersos vsus nouerat: inimiū, damnosum: mediocrē verò, vtilem. Itaq; prius ita describit,
15 *Temetum tibi dulce nocet: quod pluribus antè* Odyss. φ. 292.
Obsuit immodicè uinosis faucibus hausti. Posterius sic:
Auget enim membris quæ languent fracta labore,
Egregias uinum uires.—— Iliad. ζ. 260
20 Et quòd robur gignat:
Astur, Lenæi quem dona cibusq; refecit,
Per totam durent quantum uis prælia lucem, Iliad. τ. 167
Sufficit, & robur membris, audacia cordi
25 *Acris adest: neque cum uires & strenua uirtus*
Desituunt, campo priùs atque eiecerit hostes.
Ac suaue quidem conviuiis adhibet:
Sic agit, & grata præstans dulcedine uinum
Fudit Pantonous.—— Odyss. κ. 182.
30 Vehemens, & grauem soporem gignens, Cyclopi Odyss. ι. 204. 343.
Vlisses præbet. Adstringēs aūt, ad medicinam facit. Iliad. λ. 638
Tale enim est πρόμνειος οἶνος, quod Machaoni saucio datur. Exercitationibus vtendum esse hortatur. Ody ss. θ. 120.
35 Semper enim agentes aliquid fingit, vel opus facientes conuenies, vel animi causa. quando etiā deditissimos voluptatibus Phæaces, & luxuriosos pro eos exercere corpora facit. Ac sufficientes quidem Odyss. ϑ. 625.

Odyss.δ, 625 Odyss.ι, fine. labores facere ad sanitatem existimat: eorum verò quibus corpus aggrauetur, remedium ponit somnũ. Ait enim, Vlissi à maritima iactatione defatigato somnum immissum, qui eum quàm celerrimè libera ret molesta illa defatigatione. Natura enim requirit, vt defessum corpus requiescat: & in quo calor est exiguus, cùm is non possit in omnes partes egredi, vult eum in profundo manere. Quòd autem quiescat corpus animo remisso, & solutis membris corporis, id evidenter dixit:

Odyss.δ, 794. *Illa reclinata obdormiuit, & omnia membra*
Dissoluit sopor.——

Quòd aũt in omnibus rebus ea quę modũ excedũt, invtilia sunt, id de somno quoque pronunciauit, cùm ita,

Odyss.ο, 392. *Est etiam nimio coniuncta molestia somno:*
tum sic, —— *totam quippe molestum est*
Odyss.υ, 52. *Noctem peruigilare.*——

Bonam quoque aëris temperiem ad sanitatem conducere cognitum habuit: vt apparet ex his,

Odyss.δ, 563. *Sed te, quà terræ postremus terminus exstat,*
Elysium ad campum cœlestia numina mittent,
Quem Rhadamanthus habet: quà uita facillima longè
Ducitur. haud campos Iupiter niue conspuit illos,
Miscetur uarijs neque tempestatibus aer.
Nulli imbres: tantùm spirat leuis aura Fauoni,
Missáq; ab Oceano nimios refrigerat æstus,

In quibus duo hæc rectissimè vidit, cùm ventorum principium ab humore existere, tum animalis innatum calorem refrigeratione indigere. Affectuum quoque corporis remedia sciuit: animi deliquium refrigeratione curari, ita de Sarpedone scribens,

Iliad.ε, 697. *Tum respirauit rursum, Boreæ simul afflans*
Penè exhalantem uitam leuis aura refecit.

Frigoris, calefactionem esse remedium. Sic Vlissem iacta-

iactatum salo & tempestate, facit sub arbusto occultari, vbi & à ventis & à pluuiis esset tutus, & se præsenti materia tegeret. Lauacris quoque & vnctionibus suum vsum tribuit: vt cum iis Vlisses & Diomedem se refeciſſe scribit, qui insomnem exegissent noctem. Maximè etiam his verbis vsum lauacri docet: *Odyss. ε, ad fin.* *Iliad. κ, fine.*

Tunc animo gratam supra caput, atque humeros mî
Diua effudit aquam.—— *Odyss. κ, 360.*

manifestum est enim, quod cùm nerui inde exorian tur, rectè etiã defatigationis remediũ inde auspicetur, quod consistit in calefaciendo & humectando: labor em̃ siccat. Restat vt videamus, quomodo chirurgiam intellexerit. Menelaum ergo Machaon curat, primùm sagittam extrahens, deinde vulnus contemplans, atque sanguinem exprimens, ac siccantia medicamenta inspergens. Id secundum artem fieri, totum evidens est. Eurypylo porrò, qui in femore vulnus acceperat, Patroclus primum cultello oblato sagittam execat: deinde aqua tepida vulnus abluens, vt dolor minueretur, radicem iniicit. Multæ autem passim nascuntur vulnerariæ. Nouit autem hoc quoque, quòd amara medicamenta ad siccandũ sunt apta: vulnera autem siccari debent. Neque statim Patroclus adhibita medicina abit: sed *Iliad. δ, 210* *Fine Iliad. λ*

Assidet, oblectatq; suis sermonibus.—— *Ibid. 638.*

Alloquio enim indigebat, qui vehemẽti dolore vexabatur. At Machaonem, qui neque magnum, neq; periculosum vulnus in humero acceperat, minus accurato victu vti non absurdè facit: fortassis artem quoque eius eo ipso indicans. nam quacunque vteretur victus ratione, seipsum nimirum curare poterat. Id quoque apud eum est obseruare, quòd non ignorarit medicamentorum alia esse quæ mollita imponantur, vel inspergantur: vt cùm ait, *In cura Eurypyli. Odyss. δ, 220.*

Leniaq; insperſit medicamenta.——

Alia quæ bibantur: vt cùm Helena in cratere temperat medicamentum, quod omnem dolorem & acer-

bitatẽ animi aboleat, & obliuionẽ omnium malorũ adducat. Eodẽ modo sciebat venena alia illini, dicẽs

Odyss. æ. 261. *Quærebat, posset quo tela linire, uenenũ.* alia potari: vt,

Crateri iniiciat, nos illoq; enecet omnes

Odyss. β. 330 Atque hæc de re medica, quantum eius sit Homerum est. Vtilitatem porrò homines percipiunt, vt ex medicina, ita aliquando etiam ex diuinatione. Huius quandam partem Stoici dicunt artificio constare, vt extispicium, augurium, omina, signa: quæ vno verbo artificiosa nuncupant. aliam artis & disciplinæ expertem: vt insomnia, vt afflatus diuinos. Ne hæc quidem Homerus ignorauit. Nouit enim vates, sacrificulos, somniorum coniectores, augures; & quendam in Ithaca, qui aues nosset, & futura inde vaticinaretur. Quin & Vlisses precatur:

Diuinatio.

Odyss. β. 359.

Omen nunc aliquis hominum intus mi uigilantum

Odyss. ν. 200.

Exhibeat, Iupiterq; foris signo omina firmet.

Odyss. ε. 540. Sternutatio quoque apud eum inter felicia signa ponitur. Et procis adstat diuino furore correptus vates, futura quibusdã indiciis præsagiens. Ac cùm Helenus dicat, se vocem deorum immortalium auribus suis percepisse, fidem facit Socrati, qui genij voce monitus diuinasse perhibetur. Anne aliqua præterea dicendi ars aut scientia supereſt? Nimirũ ipsa etiam Tragœdia sui principium ab Homero arcessit, rerũ verborúmq; elata magnitudine. Extant omnes apud Homerum formæ tregœdiæ: actiones grãdes, & à communi opinione alienæ, deorũ apparitiones, orationes ab elato animo profectæ, & quibus quæuis ingenia, quivis mores exprimantur. In summa, nihil aliud sunt Homeri poëmata, quàm fabulæ quæ in scena agantur. Graues proponuntur res: eæq; amplificatæ verbis, sententiis, actionibúsq;. Neq; tamẽ adsunt nefariorum facinorum commemorationes, qualia sunt incestæ nuptiæ, parẽtum aut liberorum cædes, aut quæ alia portenta nouæ tragœdiæ sunt in-

Odyss. μ. 351.

Iliad. ϰ. 52.

Tragœdia.

inventa quinetiam cùm aliquid tale commemorat, lenire potius peccatũ, quàm exprobrare conatur: vt de Clytæmnestra. Ait enim, eam probam fuisse, quãdiu cantorem habuit secum: id est, magistrum quẽdam vxori ab Agamemnone adiunctum, qui ei optima præciperet. Hoc demum amoto, mulieri adulterium Aegisthus persuasit. Etiam Orestem laudans, qui cæde Aegysthi vltus patrem sit, necem matris reticuit. Multa etiam alia huiusmodi apud hunc poëtam invenias, vt qui tragœdiam, magnificam quidẽ illam, sed non inhumanam quoq; scripserit. Nihilominus comœdia quoq; hinc ansam cepit. Invenias enim apud eum, qui res maximè sublimes atq; grandes referat, quædam esse etiam, quæ interim risus materiam præbeant. Itaq; & in Iliade Vulcanus claudicãs inducit, qui fundat vinum diis: qua occasione,

Odyss. γ, 266.

Odyss. α, 298

Immensus cepit cœlestia numina risus

Fine Ilia. α.

& Therstites turpissimus animo ac corpore, tumultuando, maledicendo, ac sese iactando Vlissem concitans, ab eóq; verberatus, omnibus risum mouet:

Quantumuis mœstis, suauem tamen omnibus ille
Elicuit risum.——

Iliad. β, 270.

Et in Vlissea, apud diffluẽtes voluptate Phæaces Demodocus Martis cum Venere adulterium cantat: vtq; in vincula Vulcani incidẽtes risum cæteris diis mouerit, híq; festiuè inter se iocati sint. Et apud intẽperantes procos, Irus mendicus fingitur cum Vlisse præstantissimo viro palæstra congredi, ipsáq; in actione fit ridiculus. Omnino enim humanæ naturæ consentaneum est, non intendi modò animum, sed remitti etiam, vt sufficere possit ad vitæ labores. Itaq; talis animi oblectatio à poëta invẽta est. Quod autem ij qui postea comœdias ediderunt, risus captandi gratia turpibus, & nimis apertè obscenis verbis vsi sunt: certe non possint dicere, se melius aliquid inveniss̃e. Sobriè em̃ Homerus amatorias affectiones ac sermones memorauit, vt cũ Iupiter dicit

Odyss. θ, 267. Iliad. σ, initio.

Iliad.ξ.333. *Nam nunquam cepit mentem mihi tanta cupido.*

Et de Helena:

Non equidem indignum est, quòd talis femina tantis
Iliad.γ. *Aerumnis, tanto petitur iam tempore utrinque.*
156.

Et quæ alia id genus sunt. At reliqui poëtæ inconti nenter, ac vltra modum isto affectu captos homines proponunt. Et hæc quidem hactenus. Elegans etiã est genus orationis epigrãma, siue inscriptio: quod inventum est imaginum & monumentorum gratia, compendio indicans, qualis sit cui honoris causa aliquid tale obtigit. Hoc ipsum quoque Homeri est. Sic enim alicvbi:

Epigramma.

Iliad.κ.89. *Hîc situs est uitæ iampridem luminalinquens,*
Qui quondam Hectorco perculsus concidit ense. & iterũ:
Iliad.ξ.460 *Hectoris hæc uxor, quo circum Pergama nemo*
Fortior hostiles Graiorum inuasit aceruos.

Pictura. Neque aberrauerit à vero, si quis pingendi quoque magistrum fuisse Homerum dicat. Dixit sane quidã sapientum, poësin esse picturam loquentem, & picturam esse poësin tacentem. Quis ergo vel priùs, vel posteriùs Homero, sentẽtiarum imaginibus, aut verborum aptitudine exornauit deos, homines, loca, actiones varias? Idem materia verborum effinxit etiã omnis generis belluas, maximè fortissimas: vt leones, apros, pantheras: quorum impetus & affectiones depingens, iisque humanas actiones comparans, vtriusque proprietates demonstrauit. Ausus est etiã diis hominũ formas affingere. Vulcanus verò scutũ Achilli fabricãs, auroq; insculpẽs terrã, cœlum, mare, magnitudinem Solis, Lunæ pulcritudinem, multitudinem stellarum vniuersum hoc coronantium, vrbes diuersis moribus ac diuersa fortuna vtentes, animalia motu & sermone prædita: quo tandem non pictore præstantior in hoc genere artifex videbitur? Ex vno saltem de multis exemplo cõsideremus, visu potius quàm auditu percipi poëmata

mata videri. Qualia sunt, quæ Eurycleæ tribuit verba, cùm ea Vlissis cicatricem esset conspicata:

Quam pronis nutrix manibus complexa, per ipsum Odyss. 7, 467.
Agnoscens tactum, subito perterrita casu est.
Dimisitq; pedem: simul impulit iste lebetem
Delapsus, sonitumque dedit fuditq; liquorem.
Verùm lætitia simul & correpta dolore
Est anus: atq; oculos lacrymæ impleuere, repressa
Est uox, & mentum tangens ita fatur: Vlisses
Omnino meus es: neque te tamen antea fili
Agnoui, quàm te contrectans omnia sensi.
Sic ait, atque ad Penelopem sua lumina uertit,
Effari cupiens. ——

Hîc sanè plura iis quæ in picta tabula oculis subiici possunt cernas, non visu, sed sola intelligentia percipienda. qualia sunt, pes propter subitam consternationem è manibus dimissus, aheni tinnitus, effusa aqua, vetulæ dolor lætitiæ mixtus, eius ad Vlissem verba, & quæ dictura erat ad Penelopen, in quã coniecerat oculos. Multa & alia quasi pictoria arte poëmata ob oculos ponit: quæ inter legendũ licet spectare. Cæterùm hîc finem orationi imponere, tempestiuum est: quam tanquam ex prato multis floribus variegato coronam cum texuerimus, Musis consecramus. Neque mouebimur, si quis reprehendat nos, quòd cùm Homeri poësis malum argumentum tractet, nos ei physicas, politicas, ethicásq; orationes, tum etiam varias adscribimus scientias. Necesse enim habuit poëta, pro materia sibi actiones admirabiles, itémq; affectus & mores varios sumere. Cuius rei causa est, quod bona ipsa per sese simplicia sunt vnius generis, & ornatus nõ capacia. Quando verò cum rebus malis permiscentur, tum varios modos, & omnis generis formas admittunt: vnde rerũ materia existit. In qua ipsa tractanda cùm iuxta se bona & mala collocentur, facilius meliorum &

agnitio demonstratur, & electio. In summa autem, huiusmodi argumentum occasionem poëtæ tribuit omnis generis orationes referendi, alias à se, alias à personis quæ introducuntur: ex quibus magna ad lectores redeat vtilitas. Deniq; cur non omnis virtutis laudem Homero tribuamus? cùm posteri etiã ea in ipsius poësi animadverterint, quæ ipsi fortuitò, etiam nihil tale cogitanti, exciderunt. Nam & quidam versibus eius ita vtuntur, vt oraculis deorum: & alij, cùm aliam sibi materiam sumserint, versus eius transcribentes atque componentes eò accommodant.

PLVTARCHI
De auditione libellus.

QVAM de audiendi ratione habui disputationem, eam litteris mandatam ad te, mi Nicander, mitto, vt quando virili sumta toga è præceptorum potestate exiuisti, rectè monentibus obtemperandi modum habeas cognitum. Nam licentia, quam nonnulli iuuenum non probè instituti libertatem putant, iis qui pueros rexerant magistris ac pædagogis impor tuniores imponit dominos, cupiditates, inquam, quasi vinculis iam solutas. Et quomodo Herodotus ait simul cum tunica mulierem etiam verecundiam exuere: ita adolescentum quidam simul cum puerili veste pudorem ac metum deponentes, soluto qui eos condecorabat amictu, statim contumacia obruuntur. Tu verò, qui sæpenumero audiuisti idem esse DEVM sequi, & parére rationi, existimare debes eos qui sana sunt mente ita iudicare, se quando à puericia ad virilem evadunt ætatem, non abiicere imperium, sed mutare imperatorem, dum loco

Licentia.

Lib. 1. in Gygis historia.

mer-

mercede conducti aut ære emti magistri diuinum vitæ ductorem accipiunt Rationem cui qui parent, soli digni sunt qui pro liberis habeantur. Soli enim hi viuunt vt volunt, qui quid velle debeant dicerunt. ineruditæ autem & rationis expertes animi incitationes atque actiones exilem quandam ignobilémque voluntaris libertatem multa cum pœnitentia coniunctam habent. Iam sicvt qui in ciuium numerum adscribuntur alienigenæ & omnino peregrini, multa eorum quę fiunt reprehendunt ac iniquè ferunt: qui verò inquilini educatione ac consuetudine sibi leges familiares reddiderunt, absque molestia quæ suarum sunt partium obeunt, iisque sunt contenti. ita oportuit à multo tempore in philosophia enutritum, ac iam inde ab initio ætatis adsuefactum ad percipiendum disciplinas auditionésque pueriles philosophica oratione permixtas, mansuetum proinde atque quasi domesticum conferre se ad philosophiam. quæ sola virilem & re vera perfectum iuuenibus apponit ornatum. *Libertas vera.*

Neque iniucundum, puto, tibi erit audire de sensu auditus, quem Theophrastus omnium sensuum maximè ad motus animi ciendos facere ait. neque enim quicquam eorum quæ visu, quæ gustatu, quæ tactu percipiuntur, tantas mentis alienationes, tumultus, consternationésque adfert, quantæ animum occupant, strepitibus quibusdam & fragoribus & sonitibus ad aures accidentibus. Est tamen hic sensus magis rationi quàm affectibus idoneus. Vitiis enim multæ partes corporis multáque loca aditum spaciúmque ad animam penetrandi præbent. vnica virtuti qua adolescentes arripiat ansa aures sunt, siquidem puræ sint, & iam inde ab initio adulatoriarum corruptelarum vacuæ, intactæque à prauis sermonibus seruentur. Itaq; Xenocrates aurium munimenta pueris potiùs quàm athletis applicari iubebat: quòd horum aures verberibus, illo- *Auditus.*

illorum mores verbis perverterentur. neque ille au
ditionis vacuitatem aut ſurditatem commendabat:
ſed hortabatur vt tantiſper ab audiendis prauis ſer
monibus abſtinerentur, dum bonæ orationes tan-
quam cuſtodes ingenio philoſophiæ educatione ap
poſiti eam regionem occuparent, quæ maximè ora-
tione mouetur atque ducitur. Ac Bias quidem ab
Amaſide iuſſus ſimul & optimam & peſsimam victi-
mæ carnem mittere, linguam ei exſectam miſit. nimi
rum quia ſermo & vtilitatis & damni plurimum af-
fert. Et vulgo paruulos qui deoſculantur, cùm ipſi
aures eorum tangunt, tum eos idem iubent facere:
per iocum innuentes, maximè amandos eſſe eos qui
per aures proſunt. Nam hoc quidem in promtu eſt,
adoleſcentem ab omni excluſum auditione, vbi gu-
ſtare doctrinam ceperit, non modò ſterilem planè
fore, neque vlla virtutum editurum germina: ſed &
ad vitia facilè deſciturum, cùm ex animo rudi velv-
ti ſolo inculto pleraq; pullulent ſylueſtria. Impetus
enim animi ad voluptatem ferentes, ac ſiniſtras de
labore ſuſpiciones (qui non extrinſecus in animum
allabuntur aut oratione introducuntur, ſed velvti
indigenę ſunt infinitorum affectuum ac morborum
fontes) ſi quis patiatur laxatis habenis eò quo natu-
ra ducit deferri, neque bonis ea præceptis minuen-
do aut alio deflectēdo naturam componat: nullum
profectò animal eſt quod non manſuetius ſit homi-
ne iſto futurum. Quapropter cùm magnopere vti-
le, non minus tamen periculoſum ſit adoleſcētibus
audire, operæprecium eſſe exiſtimo vt quiſque & ſe
cum ſemper, & cum aliis de ratione audiendi collo-
quatur. Nam in eo quoq; videmus errare pleroſq;,
quod in dicendo ſe exercēt ante quàm ſe ad audien
dum adſuefecerint: putántq; dicendi eſſe diſcipli-
nam atq; meditationem, vtiliter autem quovis mo-
do audiri. At verò qui pilæ ludum tractant, ſimul &
iacere & accipere pilam diſcunt: in vſu verò ſermo-

Error audiendi rationem negligentium.

nis

nis prius est rectè accipere quàm emittere. sicvt cõceptio & retentio fœtus, partũ antecedit. Iam quod aues interdum irrita & quæ Zephyria vocantur oua pariunt, in causa aiunt esse imperfectos & inanimatos conceptus. qui autem audire nesciunt adolescentes, neque vtilitatem ex auditione capere cõdocefacti sunt, eorum sermo verè inanis ac subventaneus excidens,

Irritus, ignotus, sub nubibus euanescit.

Et vasa quidem inclinare solent atq; obvertunt, vt quæ infundere volunt, recipi possint, fiátq; verè infusio, non effusio: seipsos verò dicenti accommodare, attentionémq; auditioni adhibere, ne quid vtiliter dictorum effugiat, non discunt. sed (quod omnium maximè deridiculum est) si incidant in aliqué, qui crenam, pompam, insomniũ aut altercationem sibi cum alio habitam narret, taciti audiunt, & vt pergat dicere flagitant. sin verò eosdem alius ad se trahat, ac de re vtili docere, vel admonere, aut peccantem verbis corrigere, aut demitigare animo cõmotum cupiat, non patiuntur: sed vel contentiosè impugnant eius orationem si victoriam sperant, vel eo omisso proripiunt se aliò vbi nugas audiant, aures suas, tanquam invtilia & vitiosa vasa, quavis potiùs quàm necessaria aliqua re implentes. Cæterùm sicvt equos qui rectè instituunt, eos docent fræno facilè parere: ita qui pueros, ad audiendum promptos faciunt, docéntq; audire multa, loqui pauca. Nã Epaminondam laudans Spintharus aiebat, Non facilè se cum alio rem habuisse, qui & plura nosset, & pauciora diceret. Ac naturam aiunt propterea vnicuique nostrùm duas dedisse aures, vnam linguam, quod pauciorá loqui debeamus quàm audire. Pròinde cum vbiq; silentium adolescenti tutum sit ornamentum, maximè tum prodest, cùm audiens dicentem non perturbat, neque ad singula elatrat: sed etiamsi oratio non probetur, sustinet tamen expectátq;

Audire multa, loqui pauca, præclarum.

ctátque dum dicendi ille finem faciat: ac vbi is perorauit, non illico contrà dicere orditur, sed (vt Aeschines præcipit) spacium ei relinquit siue addendi aliquid dictis si ita videatur, siue mutâdi quidpiam vel detrahendi. Qui verò statim interrumpunt, & neque audiunt neq; audiuntur, sed aduersus dicentes dicunt: ij contra decorum agunt. At qui continenter verecundéq; audire adsueuit, is & quod vtile est sermonis eius percipit atque retinet, & invtile seu falsum faciliùs perspicit ac depræhendit, veritatísque studiosus habetur, non contentionis, neque temerarius aut rixator. Quare non ineptè quidam dixerunt, non minùs studiosè fastum ac spiritus elatos adolescétum ex animis, quàm aërem ex vtribus excutiendum esse, si quid vtile velis infundere, alio qui arrogantiæ pleni inflatíq; non admittunt. Porrò invidia cum liuore quodam & malevolentia nullâ ad rem vtiliter adhibetur, sed omnibus bonis impedimento est: pessimus autem assessor est auditori atque consiliarius. quia enim invidi quavis potiùs re delectantur quàm rectè dictis, ita fit quæ vtiliter dicuntur, molesta eis reddantur, & iniucunda, neq; approbentur. Et verò quem diuitiæ, gloria, aut pulcritudo aliorum vrit, is tantùm invidus est: molestè enim fert res aliorum secundas. Qui orationi bonæ invidet, hunc sua ipsius bona excruciát animi. Sicvt enim lumen videntium, ita sermo audientium bonũ est, si velint amplecti. Sed invidiam aliarum rerum, incompositæ aliæ quædam & prauæ animi affectiones efficiunt. quæ aduersus dicentes inanem ob gloriæ cupiditatem, ambitionémque iniustam concipitur, hoc modo affectum ne attendere quidem animum orationi finit: sed tumultuatur, mentémque circumagit simul & suos habitus considerantem, & exquirentem an dicentis facundiæ cedant, simúlq; in alios intuenté an delectentur & mirentur dicentem: iuxtà cósternatam laudibus, & frementem aduersus

Inuidia auditori cauenda.

versus auditores, si probãt dicentem. Eadémq; quæ dicta sunt dimittit, quia molesta est eorum recordatio: & turbata ac tremens reliqua audit, solicita ne prioribus sint meliora. ac tum maximè finem oratio nis fieri optat, cùm optima dicuntur. & finita auditione nihil dictorum considerat, voces tantùm & affectiones præsentium supputat, ac laudantes quasi furore concita fugiens vitánsq;, reprehendentibus ac pervertentibus dicta accurrens & se adsocians: aut si nihil perverterit, iuniores aliquos comparãs, qui videantur eadem de re meliùs ac maiore cum vi dixisse, donec tandem corruptam vitiatámque auditionem prorsus invtilem sibi effecerit. Oportet ergo factis studio audiendi cum ambitione induciis, placido animo audire, tanquam ad sacrum conviuium aut sacrificij primitias inuitatum, vímque oratoris, sicvbi scopum suum assecutus est, collaudare: in reliquis boni consulere studium eius, qui quæ norat in medium protulerit, iisque mouere auditores voluerit rationibus, quibus ipse fuerat motus. Quæ dicta sunt præclarè, non debet auditor fortunæ aut casui imputare, sed studio, diligentiæ, laboríq; accepta ferre: eáq; cum admiratione & æmulatione imitari. vbi peccatum est, causas & originem erroris circumspectè perquirere. Sicvt enim Xenophon ait bonis rei familiaris tractatorib. & ab amicis commoda ri & ab inimicis: ita vigili & attento auditori nõ modò rectè, sed etiam vitiosè differentes prosunt. Vilitas enim sententiæ, vanitas vocabuli, figura importuna, eruptio cum inepto gaudio ad laudem, & alia id genus, magis audiendo alios deprehenduntur, quàm dicendo. Itaque culpa à dicente nobis est in nos transferenda, videndúmque an nostrum nos aliquod tale fallat vitiũ. Nihil enim facilius est quàm reprehendere alium. quod invtiliter fit, & vanum est, nisi ad emendandos aut vitandos similes lapsus referatur. Itaque aliorum peccata consideranti in

Vitia dicentium auditori vtilia.

promtu sit sibi Platonicũ illud occinere. Núm nam & ego fortasse talis sum? Quemadmodum enim in oculis aliorum nostros refulgere cernimus: ita in orationibus aliorum contemplari formam nostræ debemus, vt neq; nimis audacter alios contemnamus, & ipsi in dicendo nos maiori cum diligentia obseruemus. Vtilis est hac in re etiam cõparatio, vt cùm soli sumus post auditionem, eorum aliquid, quæ nõ rectè aut non sufficienter dicta putamus resumentes, conemur idem tractare argumentum, aggrediamúrq; vel implere, vel corrigere, vel aliter dicere, vel prorsus noua oratione persequi, quod Plato fecit Lysiæ oratione proposita. Non enim difficile est orationem alterius improbare, sed oppidò procliue factu: meliorem autem eius loco reponere, id verò perquam magni est laboris. Qua ratione Spartanus ille cùm Philippus diceretur Olynthum evertisse, Atqui (aiebat) ille profectò talem vrbem condere non posset. Quando igitur in differendo de eadem materia sentiemus nos nõ multum præstare iis qui antè dixerant, à contẽnendo valdè retrahemur: & superbia qua nobis placemus ipsi, in huiusmodi contentionibus redarguta, facilè reprimetur. Contemtui admiratio est aduersa, quæ cadit in æquiora & mansuetiora ingenia. verùm hìc quoq; non exigua, ac fortasse etiam maior adhibenda est cautio. quatenus nimirum contemtores & feroces minus vtilitatis audiendo sibi cõparant: ad admirationem autem propensi atq; simplices faciliùs damno afficiuntur. Et Heracleti dictum non improbatur, Stupidum hominem quavis oratione percelli. Oportet verò laudem candidè tribuere dicenti: orationi fidem cautè adhibere, ac dictionẽ quidem & actionem æquo animo & simpliciter spectare: vtilitatem autem & veritatem eorum quæ dicuntur, accurato acríq; iudicio perpendere. vt & qui audiunt, odio vacent, & qui dicũt, nihil damni afferant. nã multas

Admirationis cautio.

falsas

falsas & malas opiniones benevolentia erga dicentes, eorúmve apud nos autoritate inducti in errorẽ amplectimur. Spartanorum principes cùm sententiam hominis parum laudatæ vitæ approbarent, alteri spectatæ vitæ morúmque eam pronunciandam mandauerunt. rectè admodum & ciuiliter populum adsuefacientes, vt moribus potiùs quàm verbis consulentium duci studerent. Sed quæ in philosophia dicũtur, ea oportet existimatione eius qui dixit detracta, seorsim per se examinari. Vt enim in bello, ita etiam in auditione multa sunt inania. Etenim canicies dicentis, gestus, supercilium, sui iactatio, maximè autem vociferationes ac tumultus & saltationes eorum qui intersunt, faciunt ad percellendum imperitum auditorem atq; adolescentem, velvti fluxu quodam abreptum. ipsa etiam dictio habet quippiã ad decipiendum conducens, si rebus applicetur suauis ac copiosa & cum fastu aliquo atque apparatu. sicvt enim eorum qui ad tibiam canunt errores plerique latent auditores: ita abvndans atque ornatu superbiens dictio animum auditoris præstringit, ne rem de qua agitur intelligat. Et Melãthius quidem interrogatus (vt aiunt) de Diogenis tragœdia, negabat se eam videre, quòd vocabula eius conspectum intercluderent. Sed plerorunque sophistarum orationes atque declamationes, non vocabulis modò tanquam cortinis velant sententias, sed vocem quoq; accuratis quibusdam sonis ac mollicie & cantillationibus illi edulcantes, bacchicum quendam furorem in auditorum animis cõcitant, eósq; transuersos abripiunt: pro vana quam adferunt voluptate vaniorem etiam gloriolam reportantes. itáque illis vsu venit id, quod Dionysium ferunt dixisse: qui cùm citharœdo cuidam præclara cum approbatione cantanti inter audiendum magna quædam dona promisisset, deinde nihil dedit, persoluisse se iam ei gratiam dicens: qui quanto tempore canens dele-

Ornamẽta orationis inutilia.

ctaſſet, tanto etiam ſpe fuiſſet oblectatus. Atq; hoc ſtipendium tales auditiones dicenti rependunt. Is enim in admiratione eſt quandiu delectat, deinceps ſimul cum auditione deſinit & voluptas, & dicentis exiſtimatio. & alter tempus, alter vitam fruſtra perdidit. Proinde oportet copia & vanitate dictionis remota, ipſum perſequi fructum, imitariq; non eas quæ ſerta plectunt mulierculas, ſed apes. Illæ enim florida & odorata ſectantes folia, conſerunt atque pertexunt opus iucúdum quidem illud, ſed in diem dúntaxat durans atq; infrugiferum. Hæ ſæpenumero prata pervolitantes violarum, roſarum, hyacinthorúmque copia conſita, in thymum aſperrimum atque guſtus acerrimi deferuntur, eíque adſident mel meditantes flauum: perceptóque vtili ſucco ad ſuum revolant opus. Eo itaq; modo debet ſincerus artíſque ſtudioſus auditor omittere florida & luxurioſa verba, réſq; ad actiones ſcenicas aut ſpectacula pertinentes, eáq; putare pro pabulo fucorum ſophiſticen ambiẽtium: animo autem in ipſos oratio-

Fructus ex auditione captandus.

nis ſenſus penetrare, intentionémque dicentis, & quod vtile eſt atque commodum ad ſe trahere: memoria tenens, non in theatrum ſe aut odeum, ſed in ſcholam ludúmque litterarium veniſſe, vt oratione vitam corrigat. Ideóq; auditionem conſiderare ſecum debet atq; examinare quomodo ea ſit affectus, ac ratiocinari an aliquis ea motus animi factus ſit ſedatior, an aliquid de moleſto leuius redactum, an fiducia & animi altitudo cõfirmata, an ad virtutem & honeſtatem inſtinctus aliquis animi excitatus. Cum enim è tonſtrina abituri ſpeculo adſiſtamus, capútque contrectemus, vt tonſuram & præciſionem crinium examinemus: quanto magis è ſchola atque ab auditione diſcedentes, ſtatim debemus animum noſtrum intueri, an ille moleſtis ocioſiſque depoſitis aliquibus cogitationibus factus ſit tranquillior. Nam vt aiebat Ariſto, neque balnei neque

ora-

orationis non purgantis vllus est vsus. Delectetur itaq; vtilitate ex oratione percepta adolescens: non tamen delectationem auditionis finem statuat: neque existimet debere se è schola philosophi discedere cantillantem ac læticia delibutum, neque vnguentum quærere, cùm irrigatione & cataplasmate indigeat: sed grato animo accipere, si quis aspera oratione animum (velvti fumo aluearibus apes eiiciunt) caligine & stupore quo fuerat occupatus evacuet. Etsi enim dicentem par est non nullam planè curam in id ponere, vt dictio suauis sit & probabilis: tamen auditor eius minimam debet habere rationem, ab initio quidem pòst, quemadmodum qui bibunt, exstincta demum siti obvertunt pocula, cælaturámq; contemplantur: ita ipsi sententiis impleto iam detur respirandi spacium, dictionémque an elegans aliquid & elaboratum habeat cõsiderandi. Qui autem statim ab initio non rebus ipsis inhæret, sed orationem requirit Atticam atq; subtilem, perinde facit, ac si quis antidotum nolit bibere, nisi testa sit in Attica Colia defícta: aut hyeme vestem sumere recuset, si non sit ex Attica lana texta. eodem enim ille modo in lacerna orationis Lysiacæ desidebit tenui ac vili, iners atque immobilis. Hæc vitia magnam vanitatem animorum, magnámque inania garriẽdi subtilitatem atque argutias adolescentum in scholis genuerunt, neq; vitam neq; actiones neq; in repub. conversationem philosophorum obsederãtium, sed vocabula dũtaxat ac verba: laudantiúmq; si quid bene pronũciaretur, id verò de quo pronunciabatur vtile esset an invtile, necessariũ an inane & supervacaneum neq; intelligentiũ, neq; inquirentium. Cõsequens his est præceptio de quæstionibus. Nam eũ quidem, qui ad cœnam venit, vti appositis decet, neque vel alia poscere, vel culpare appositа. Qui verò invitatus est ad auditionẽ, is siquidẽ certa lege vocatus est, audiat tacitè dicẽtem. qui enim ad

Delectationis quæ habẽda ratio.

alia argumenta deducunt, aut interrogationes interiiciunt, aut dubitationes mouent, importuni auditores, & quibus cum dicente non facilè cõueniat, nullam capiunt auditionis vtilitatem, sed simul & orationem & oratorem conturbant. Vbi verò is qui dicit, auditores quærere & ponere de quo disputetur iusserit, ibi semper danda est opera, vt necessarium aliquid aut vtile quæstio tua proponat. Deridetur apud procos Vlisses

Quales pro ponendæ quæstiones.

Odyss. ϱ. 222. *Panis frusta petens, non enses, siue lebetes:*

magni animi quippe putabant esse vt dare, ita etiam petere aliquid magnum. Rectiùs verò auditorem aliquis derideat, paruas & friuolas quæstiones proponentem. quemadmodum adolescentes nonnulli vt suas argutias & dialectices aut mathematum peritiam ostentent, solent quærere de infiniti sectione, & qui sit motus secundũ latus aut secundum dimetientem. Quibus responderi potest, quo pacto Philotimus respondit cuidam pure intus laboranti & tabi iam obnoxio, quod ex colore & respiratione medicus deprehendebat, medicamentum petenti aduersus reduuiam: Non est tibi, amice, aduersus reduuiam opus medicina. Ita & adolescenti dicetur, Non est tempus tibi de his quæstionibus cogitãdi, sed quo pacto fastu, arrogantia, amoribus, nugisque liberatus possis vitæ statum vanitatis expertem ac sanum inire. Ad peritiam quoque dicentis & naturalem propensionem oportet auditor vt se accommodet studiosè, & de iis quærat, in quibus ille tractandis plus quàm vllo alio in genere valeat, neque aliò eum adigere: vt si morali philosophiæ dedito physicas aut mathematicas difficultates proponas, aut naturæ cognitionem sibi sumentem in connexorum iudiciũ, aut solutiones pseudomeni trahas. Sicvt enim qui claui ligna findere, aut securi fores reserare conetur, non tam illa instrumenta corrumpere, quàm se ipsum vsu vtriusq; & facultate priuare vi-

re videatur: ita qui à dicente quod offert non accipientes id exigunt, quod is non didicit aut non exercuit, non in eo tantùm lædûtur, sed & in malignitatis atq; odij cuiusdam crimen incurrunt. Id quoque cauebis, ne multa aut frequenter quæras. est enim hoc eius, qui quodammodo interim se ostétet. alio autem proponête audire placidè, studiosi est & communicantis rationem discendi cum aliis: nisi sit priuatim qui vrgeat affectus inhibitionem requirens, aut morbus admonitionis egens. Nimirum enim, vt aiebat Heraclitus, non conducit occultare inscitiam: sed in medium proferenda, eíque faciendа est medicina. Quod si ira aliqua, aut superstitio, aut dissensio cum domesticis vehemens, aut ab amore profecta furiosa cupiditas,

Non antè motas mentis commouens fides

animum conturbet: non debes repræhensionis vitandæ studio alia differendi argumẽta quærere, sed in disputationibus de his ipsis audire, & digressus inde priuatim accedere & rem disquirere. Contrà vulgo in eo peccant, quod gaudent & admirantur vbi philosophi de aliis loquuntur. quibus ij omissis si ad ipsos orationem convertant, & liberè moneãt de iis de quibus ipsorum interest, indignè ferunt, operámque putant eam sumi supervacaneam. opinantes scilicet philosophos in scholis ita esse audiẽdos, vt tragœdi in theatro audiũtur: in rebus extra scholam, philosophos nihil ipsis esse præstãtiores. Quod quidem de sophistis non iniuria sentiunt. qui vbi de suggesto descenderunt, libróque deposuerunt & institutiones suas, in seriis vitæ rationibus explicandis ieiuni sunt & vulgo nihilo meliores. Quod autem ad veros attinet philosophos, ignorant eorum & seria & iocos, & nutus, & vultum siue ad subridendum compositum siue tetricũ, maximè autem verba ad aliquem seorsim directa, habere fructum suum iis conducibilem, qui sustinere animúmque

Ad nos pertinentia audire debemus.

Philosophi aliter audiendi, quàm sophistæ.

attendere didicerunt. Iam quod ad laudationes ãtinet, requirit hoc officium cautionem aliquam & mediocritatem: quando neq; excessus eo in genere neque defectus est liberalis. Molestus est enim & importunus auditor, qui nulla orationis parte mouetur aut delinitur, repletus fastu quodam invidia suffuso & insita sui solius approbatione, velvti qui aliquid iis quæ dicuntur meliùs dicere se posse præ se ferat: cum neq; supercilium pro decoro moueat, neque vllam emittat vocem quæ eũ animo æquo audire testetur, sed silentio & ficticia grauitate atq; habitu opinionem venetur constantis profundíq; hominis, qui laude perinde atque pecunia seipsum ea priuaturum se putet quam alteri impertiat. Sunt autem multi, qui malè & alieno sensu Pythagoræ dictũ accipiũt, qui id se è philosophia lucri abstuliſſe dixit, nihil vt miraretur. ij verò in despicientia collocant abstinentiam à laudando & honorando, cõtemtúq; aliorum grauitatem suam metiuntur. Etenim philosophica ratio eã quæ ab hæsitatione & ignoratione proficiscitur admirationé atq; stuporem eximit, cognitione & enarratione causarum subiecta: facilitatem interim, magnanimitatem, humanitatémq; non delet. Qui enim revera & constãter sunt boni, iis honor est pulcerrimus honore dignum aliquem afficere, summúmq; ornamentũ alios ornare: quod abvndantia quadã gloriæ & liberalitate possunt. qui verò in aliis laudãdis parci sunt, suarum adhuc inopes laudum famelicíq; videtur. Peccat in alterã partem qui nihil interponit iudicij, sed cuivis voci aut syllabæ insistens acclamat, leuis quidam homo & auicularum similis. atq; is plerunq; ne ipsi quidem probatur actori: auditoribus quidé molestus semper est, excitãs eos inuitos identidem, & quasi vi obtinens, vt verecundia tracti vnà adstrepant. & nullam consecutus vtilitatem, quòd plenam tumultus effecerit laudationibus suis concionem, discedit cum vno ex

Laudandi modus.

his

his tribus titulo, vt aut subsannator videatur fuisse, aut adulator, aut orationum rationis imperitus & ineptus. Porrò qui iudicis officium fungitur, is & odio & benevolentia vacuus audire debet integro animo quid iuris sit. In iis autem auditionibus quæ de litteris sunt, neque lege vlla neque iureiurando impedimur quo minus benevoli audiamus differentem. quin & Mercurium veteres in dedicandis fanis adiunxerunt Gratiis, significaturi orationem maximè flagitare benignas & amicas aures. Nunquam enim putabant eum qui diceret adeò absurdum fore aut à scopo aberraturum, quin si non sententias laudignas aut commemorationes aliarum rerũ, aut argumentum ipsum institutúmque orationis proculisset applausum merens, saltem dictio aut collocatio orationis deberet approbari:

Aequanimitas in audiendo.

Inter echinopodes uel ut, asperam & inter ononin
Interdum florent mollia leucoia.

Quando enim quidã vomitus, febris, atq; adeo ollę laudationibus publicè declamatis non expertes fuerunt approbationis: viri alioquin philosophi vel nomen vel existimationem gerentis oratio non possit omnino respirationem aliquam & laudandi tempus párere auditoribus benignis atq; humanis? Ait Plato, qui formosi sunt quocunq; tãdem, aliquo saltem modo mordere amatores suos. quòd amator albos deorũ filios appellans, nigris virilium nomen tribuens, advnco nasco præditis regiorum, cõpresso gratiosorum, pallido mellei coloris, amplectitur atq; diligit. nã amor hederæ instar valet se quavis arrepta ansa applicare. Multo igitur magis audiendi litterarúmq; studiosus subinde aliquam repererit causam, cur non abs re quemvis dicentem videatur laudare. Nam & Plato cũ Lysię orationis neq; inventionem laudaret: & dispositionem conturbatá culparet, elocutionem tamen laudauit, & quòd singula vocabula

5. de rep. pro pe finem.

perſpicuè eſſent ac rotundè tornata. Ac repræhendere poſſet ſanè aliquis Archilochi argumentum, Parmenidis verſuum compoſitionem, Phocylidis tenuitatem, Euripidis loquacitatem, Sophoclis inæqualitatem: quo pacto & ex oratoribus alius placidis animi motionibus caret, alius ad concitandos grauiter animos nil habet virium, alium gratiæ deſtituunt. quivis tamen peculiarem vim mouendi & ducendi habuit ob quam laudatur. Quo fit, vt auditoribus copia ſuppeditet materiæ, vnde dicentem demereantur. Quibuſdam enim ſufficit etiamſi voce non teſtemur approbationem, oculus ſaltem placidus, faciéſq; hilaris, & cõſtitutio vultus. hæc enim iam vſurpari etiam vbi quis planè infeliciter dicit, vulgo receptum eſt, ínq; omni auditione adhiberi. Seſsio autem non inſolens, & ſine flexu recta forma, & oculi in ipſum dicentem converſi, ac ſeriæ attentionis, vultúſq; quieta conſtitutio, & quæ non modò nullum contemtus aut indignationis, ſed neque aliarum curarum aut occupationum animi indiciũ habeat, eódem faciunt. Ac quemadmodum in quacunq; re id quod pulcrum eſt ex multis numero diuerſis & ad vnum temporis articulum conuenientibus, quadam concinnitate & concentu perficitur: cum turpitudo ſtatim exiſtat, vel vna aliqua etiam leuicula re deficiente, aut abſurdè adſumta. ſic etiã in ipſa auditione non modò grauitas ſupercilij, & vultus parũ iucundus, oculi vagi, corporis circumactio, indecora femorum inter ſe permutatio: ſed & nutus, & ſuſurrus ad alterum, & ſubriſio, & ſomnolentæ oſcitationes, ac demiſsio vultus, & quidquid tale eſt, in vitio ponitur, éſtque accuratè cauẽdum. Sũt interim qui putent ſuas eſſe dicentis partes, auditoris nullas, atque illum volunt venire præmeditatum atque paratum: ipſi meditationis curarúmq; vacui & non ductis ſui officij rationibus in auditorium ſe coniiciunt, ſedéntq; velvti ad cœnam ſi veniſſent

Auditorem debere eſſe præmeditatum.

nissent aliorum labore partam voluptatem percepturi. Atqui & conviuæ scitus suum habet officium, & multo magis auditor. Particeps est enim orationis, & dicentis adiutor: neq; debet eius delicta seuere examinare, dictionem actionémq; vbiq; sub censuram vocando, & ipse censuræ liber in auditione turpiter se gerere. Sed quemadmodũ in pilæ ludo qui excipit iacięti se motib. corporis cõcinnè solet accõmodare: ita inter dicentem quoq; & auditorẽ, si vterque officium suum tueatur, quædam est proportio. Porrò in laudando non est temerè quibusvis vtendum vocibus. Nam Epicurus quoq; molestus est, qui à suis familiaribus ad epistolia amicorum tu multus plausuũ excitari scribit. Et qui nunc invsitatas in auditoria introducunt voces, dum acclamant Diuinitus, diuino instinctu, Præclariùs quàm vt æquari ab vllo possit: (quasi verò ea nõ sufficiant quibus Plato, Socrates & Hyperides vsi sunt laudum indiciis, Rectè, sapienter, verè.) ij supra modum indecenter agunt, dicentésq; traducunt, quasi hi superbia impulsi nimias laudes affectarent. Vehementer etiã molesti sunt, qui iureiurando adhibito, velvti in foro, testimonia dicentibus perhibent. Neque his minùs ij, qui personarum decorum nõ obseruãt, dum philosopho acclamant Acriter, seni Ingeniosè aut Floridè: voces ludentium lasciuientiúmque in scholasticis declamationib. ad philosophos ij trãsferentes orationiq; seriæ amatoriam laudem accõmodantes perinde ac si quis athletæ sertum liliorũ rosarùmve, non lauri aut oleastri coronam imponeret. Euripides sanè poëta, cùm quidam risisset dictante ipso chori personis carmen quoddã ad harmoniam compositum: Nisi, inquit, stupidus esse indoctúsq; homo, non vtiq; risisses me Mixoly diè cantãte. Et vir nimirũ philosophus ac ciuilis, auditoris in lætitiam effusi luxuriã his verbis cõpescebat: Tu mihi demens quidam homo videris, disciplinæq;

Laudum moderatio.

expers. alioqui me docente, aut verbis castigante, aut differente de deo, vel republica, vel imperio, nõ tu cantillasses aut saltasles. ac mihi seriò considera quid rei sit, philosopho differente eos qui foris sunt propter auditorum vociferationem & fremitũ dubitare tibicén ne aliquis, an citharœdus, an verò saltans laudetur. Cæterùm admonitiones & obiurgationes non sunt sine doloris sensu, neque effeminatè etiam audiendæ. Qui enim facilè & neglectim ferunt se maledictis philosophorum peti, ita vt reprehensi rideant, laudéntq; reprehensores, quomodo parasiti eos à quibus aluntur laudant si ab iis convicio impetuntur: ij planè proterui & feroces, impudentiam neque bonum, neq; verum fortitudinis argumentum ostentant. Salsè enim in se iactũ aliquod dictum, citra tamen iniuriam & cum facetia, ferre sine dolore & hilarè, non est indignum ingenuo & disciplinam experto, sed omnino liberale ac Laconicum. Verùm vbi castigatio vitæ corrigendæ gratia suscepta sermone vtitur acriter arguẽte, tanquã medicamento mordente: ibi nõ audire submissè, neque pudore animum accensum vertigine corripi & sudore perfundi, sed immotum audire diductísq; in risum labiis, ac dissimulare omnem dolorem, planè illiberalis est signum adolescentis, & à verecundia alieni: ob consuetudinem peccandi continentẽ animo eius, sicvt in dura sit & callosa carne, vibicẽ non admittente. Diuerso aũt modo sunt affecti, qui cùm semel malè audiuerunt, fugiunt ita vt nunquã retrò se convertant, omninóq; philosophiam trãsfugæ relinquunt: ij cum à natura habeant verecundiam, bonum ad salutem parãdam principium, perdunt illud dum ob luxum & molliciem non tolerãt reprehẽsiones, neq; fortiter correctiones sustinẽt, sed ad blandas atq; delicatas auditiones se cõvertũt, vbi adulatores aliqui aut sophistæ vocibus dulcibus quidẽ, sed vtilitatis omnis vacuis demulceãt.

Obiurgationes vt audiendæ.

Sicvt

Sicvt ergo qui post sectionem fugit medicum, neq; ligari factum vulnus finit, eam is medici operis partem quæ dolorẽ affert pertulit, eam quæ sanat asperatus: ita qui orationem, qua stultitia ipsius lancinata ac sauciata fuit, nõ patitur etiam persanare vlcus & ad cicatricẽ perducere: is morsus & dolore affectus, nullo percepto cõmodo, à philosophia recedit. Nõ enim solũ Telephi vulnus, vt est apud Euripidẽ,

Ramenta lima demta cuspidi fouent:

sed etiam morsum bonæ indolis adolescentibus à philosophia inflictum eadem quæ sauciauit sanat oratio. Itaque pati quidem oportet & morderi, nõ conteri autem, neq; animo concidere qui reprehenditur. sicq; statuat, se philosophiæ tanquam mysteriis quibusdam magnis initiatum, primas lustrationes ac tumultus vbi pertulerit, spem habere iucundi splendidiq; fructus præsentem molestiam & conturbationem secuturi. Sic etiam vbi videbitur immeritò increpatus, rectè aget sustinendo, & ad finẽ vsque patienter audiendo: fine facto compellabit hominem sui purgandi causa, precabitúrq; vt libertatem reprehendendi istam atq; vehementiam qua adversus se nunc fuit vsus, ad arguendum aliquod verè peccatum reseruet. Prætereà sicvt in litteris, lyra, palæstra ea quæ initio discenda sunt multum habent tumultus, laboris, ac obscuritatis: inde paulatim factis progressibus consuetudo tanquã cum hominibus & noticia plenior parta, omnia amica, mansueta & faciliora dictu actúq; facit. ita cùm philosophia quoq; in primis vocibus atq; rebus habeat omnino quippiam ieiunum & insolens, non convenit quenquam ipsis initiis perterritum (quod planè fuerit ad quemvis timescentis strepitũ hominis atque inaudacis) rem totam deserere: sed conantem singula, operáq; impendentẽ, & progressibus intentum, expectare cõsuetudinem quæ omnia bona reddere valet iucunda. ea enim non multo post tẽpore

Principia difficilia.

aderit, magnam adferens disciplinæ lucem, & acres amores inserens virtutis: sine quibus planè ærumnosi est aut meticulosi hominis reliquam posse perferre vitam, vbi ob mollicié quis philosophia excidit. Neque abnuerim prorsus res ipsas habere quippiá quod imperiti & iuuenes initio perspicere vix, aut ne vix quidem possint. sed tamen in maximam obscuritatis partem ipsi sua culpa incurrunt, in idem diuersis ingeniis peccatum prolabentes. Quidam enim verecundia quadam ducti, & parcere doctori volentes, metuunt interrogare & confirmare doctrinam, vt re percepta assentiri possint. alij intempestiua ambitione & inani cum aliis certandi studio vt acumen ingenij ac facultatem discendi ostentēt, priusquam acceperint habere se profitentes, nihil percipiunt. Ita vsu venit, verecundis quidem istis ac taciturnis, vt digressi in mœrore sint ac dubitationibus, coguntúrq; tandem necessitate impulsi maiore cum pudore dicentes interpellare, & quæstiones revocare ac retrorsum discurrere. ambitiosis autem illis atq; audaculis, vt suam inscitiam sem per occultent atq; tegant. Repudiata itaq; omni id generis stupiditate atq; arrogantia, in id incumbamus, vt discamus animóq; comprehendamus quidquid vtiliter dicitur, patiamúrq; nos rideri ab his qui sibi ingenioſi videntur, sicvt fecerūt Cleanthes & Xenocrates. qui cum viderentur tardiores esse quàm qui vnà scholam frequentabant reliqui, non profugerunt à discendo, neque animos despondérunt: sed vltrò in seipsos dicteria iecerunt, vasis angusti orificij, & æreis tabulis se similes dicentes, vt qui ægrè doctrinam perciperent, perceptam firmiter constantérq; retinerent. Non enim duntaxat quod apud Phocylidem est,

Cur nihil discant plerique.

Exempla patientiæ in discēdo.

Qui vult esse probus, falli hunc persæpe necesse est:

sed & derideri oportet sæpe, & ignominiam ferre, & sal-

& falsè dicta, & scurriles insectationes. omni deniq; robore animi adversus insciti am niti, eámq; deiicere oportet. Sed & illud vitandum est in quo in diuersas alij partes peccant. Sunt enim qui ob ignauiã suam molesti sunt doctoribus atq; importuni. qui cum nolint seorsim ipsi laborem discendo impendere, sæpenumerò eadem de re interrogando negociũ facessunt doctori: ut stat implumium pullorum semper ad alienum os hiantes, cupientésque omnia sibi iam antè ab aliis præparata & elaborata tradi. Alij attentionis & acuminis gloriam non suo aucupantes loco, garrulitate & curiositate magistros obtundũt, semper aliquid non necessarium in disputationem trahentes, demonstrationésq; rerũ nihil ad institutum facientium quærentes.

Duo alia auditorum vitia.

Hoc pacto iter, breue quod sit, longum redditur,

vt Sophocles ait, non ipsis tantùm, sed & aliis. nam identidem vanis & supervacaneis interrogationib. magistrum occupantes, velvti in faciundo itinere, impediunt continuationem doctrinæ, interceptæ atque moram passæ. Atque hi quidem, vt Hieronymus sentit, similes sunt ignauorum ac timidorum canum, qui cùm domi pelles mordeant, ac villos vellant, ipsas feras non tangunt. Segnes autem illos hortor, vt cùm capita rerum animo complexi fuerint, ipsi suo Marte reliqua adponant, memoriáque inventionem quasi manu ducant, & orationem alterius velvti initium ac semen accipientes enutriant atq; augeant. Non enim vt vas, ita mens quoque impleri opus habet, sed fomitem tantùm & alimentum (sicvt materia effectoris eget) requirit qua incitetur ad inveniendum, & ad veritatis indagationem feratur. Sicvt ergo fatuus sit qui à vicino ignem petens, invento ibi splendido foco perpetuò adsideat & se calefaciat. ita si quis ad aliũ accedens discendi causa, non existimet suum se peculiare sibi lumen debere accendere in sua mente, sed gaudeat

auditione, eáque se oblectans magistro semper adsideat: is ruborem quidem nitorémque opinionis quendam audiendo sibi parat, sed internam animi æruginem flammis non excoxerit, neque caliginem luce philosophiæ dispulerit. Quòd si igitur alio præcepto vsus est ad rectam audiendi ratione, oportet nos huius quod modò exposui memores, simul cum discendo inveniendi exercere facultate. vt cum statuerimus principium rectè viuendi esse rectè audire, habitum nobis non sophisticæ ostentationis aut nudæ cognitionis, sed animo impressum, philosophicúmq; paremus.

PLVTARCHI Commentarius, Quomodo posit adulator ab amico internosci.

Lib. 5. de leg.

Amor sui.

APVD Platonem est, Antioche Philopappe, veniam omnes dare ei, qui sui se se maximo teneri amore profiteatur: verùm præter alia hoc summum ex amore tali vitium in animo hominis existere, quòd iustus sui ipsius incorruptúsq; esse iudex nequit. cæcus enim est rei amatæ cognitor qui amat: nisi quis adsueuerit pulcra potiùs in precio habere ac sectari, quàm cognata quæ sint & domestica. Hoc vitium adulatori sub specie amici sese ingerendi magnã aperit fenestram opportuna ad nos subigendos arce vtenti nostro amore nostri: qui amor facit, vt quisque sui ipsius assentator cum sit primus atque maximus, non difficulter admittat externum, quem putat ac vult esse sibi atque accedere testem

testem adstipulatoremq;. Cui enim obijcitur quòd adulatoribus delectetur, is seipsum valdè amat, atque ob benevolentiam omnia sibi vult adesse, omnia putat ea, quæ velle quidē habere non est absurdum, opinari autem se iis esse præditum, periculosum est, multámque requirit cautionem. Quod si veritas res est, vt ait Plato, diuina, omniúmque bonorum & diis & hominibus principium, apparet diis inimicum esse adulatorem, Pythio præ cæteris Apollini. impugnat enim semper hanc vocem, Nosce teipsum, animum vniuscuiusque decipiens ignorationémq; ingenerans bonorum ac malorum quæ ei adsunt, propter quam necesse est & bona mutila imperfectáque, & mala prorsus inemendata relinqui. Quod si, vt pleræque aliæ solent res malæ, adulator aut solos, aut præcipuè adoriretur ignobiles, atque viles homines: non ita periculosa esset ea res neque adeo difficilis evitatu. Nunc, quemadmodum teredines lignis innascuntur potissimùm teneris atque dulcibus: ita ferè generosa ingenia, & frugi atque placida adulatorem recipiunt aluntq; adhærescentem. Atque, vt Simonides ait, equos alendi studium non lecytho comitari, sed agris frugiferis: ita videmus adulatores non pauperibus se adiungere, aut ingloriis & plebeis, sed magnarum familiarum rerúmque amplarum ruinam hanc morbúmque esse, qui sæpe etiam regna imperiáque subvertit. Quare non paruum est negocium, neque prouidentia indigens exigua, ita adulationem considerare, ne cùm adeo sit agilis, amiciciam lædat aut criminibus obnoxiam reddat. Etenim pediculi morientes deserūt, abeúntq; ab eorum corporibus, extincto quo alebātur sanguine. Sed nunquā omnino videbis adulatores eò se conferre, vbi res sunt accisæ & homines frigēt. vbi gloria est & potētia, eò advolāt, ibíq; augentur, & mutāte fortuna

Ibidem.

Adulatores optimis in fidiari.

celeriter diffluunt. Non est autem res ad illud vsq; experimentum trahenda, quod invtile sit, adeóque damnosum, neque periculo careat. Durum est enim in eo temporis articulo sentire non esse, qui putabantur, amicos, quando res non sinit inconstantem & ficticium constante ac probo permutare. Sed sicvt nomisma, ita amicum oportet habere antè quàm vsus postulet probatum, nõ ipso vsu reprænensum. neque damno accepto sentire debemus, sed peritiã cognoscendi adulatoris habere, ne lædamur. Alioquin idem nobis vsu veniet quod iis qui gustato de mum veneno sentiunt id esse lethale, iudiciúmque ipsis hoc suo constat exitio. Nam neque hos probamus, neque eos qui amiciciam honestate ac vtilitate metientes, putant adulatores ipso facto se deprehendisse eos, qui blandè ac gratiosè conversantur. Non enim insuauis esse debet amicus aut inconditus, neque grauitas austeritásque amiciciæ morum acerbitate constat: sed ipsa illa eius pulcritudo atq; grauitas, suauis est ac desiderabilis,

Cautio.

Non omnes esse adulatores, qui sunt iucundi aut laudant.

Quam iuxta Charites, sedes posúitq; Cupido.

neque soli ei qui est in calamitate,

Faciem intueri dulce hominis est benevoli,

sicvt ille apud Euripidem ait: sed vitam comitatur amicicia non minus voluptatem rebus lætis adiiciens ac gratiã, quàm adversis dolores difficultatésq; adimens. Atq; vt Euenus dixit omniũ condimentorum optimũ esse ignem: ita Deus amiciciã vitæ admiscens, omnia læta, dulcia ac grata vt essent amico præsente vnáq; fruente fecit. Et verò qui voluptatũ occasione obrepere vellet adulator, si nosset amiciciam nihil iucundi vsquã admittere? Sed sicvt quæ aurũ mentiuntur & adulterina sunt, fulgorem tantùm auri atq; nitorẽ imitantur: sic adulator suauitatem venustatémque amici imitans, semper hilarem se ac renidentem præbet, nunquã resistens,

nun-

nunquam repugnans. Itaque non statim debemus adulationis suspectos habere quicunq; laudant. nõ minùs enim suo tempore laus amicum, quàm obiurgatio decet. Quinimò morositas ac ad quævis reprehendendum procliuitas, ab amicicia est & consuetudine res aliena. Quæ autem benevolentia liberaliter atque alacriter laudem laude dignis tribuit, huius etiam in reprehendendo libertatẽ facilè & sine molestia perferimus ac probamus, credentes necessitate ductum increpare, qui in laudãdo fuit facilis. Operosum est ergo, dicet aliquis, adulatorem ab amico internoscere, si neque voluptatem afferendo, neque laudando differunt. nam & in ministeriis & in obsequiis videmus sæpe adulatores amicis esse ceteriores. Quid ni verò sit, inquam, difficile? Siquidẽ agimus de vero adulatore qui artificiose & cũ quadam calliditate rem gerit: neque cum vulgo eos intelligimus adulatores, quos antolecythos & mensarum vocamus assecias, ac qui post datam manibus aquam verba eorum referunt quibus assentantur: quorum ad vnicam patinam ac calicem illiberalitas scurrilitate & impuritate comitata sese prodit. Non enim, puto, necesse erat Melanthium Alexandri Pheræi parasitum adsentationis convincere: qui interrogantibus quomodo confossus esset Alexander, respondit, Per latus in ventrem meum. neque eos qui circa opulentam mensam in orbem versantur, quos neq; ignis arcere, neq; æs ferrúmve potest à petenda cœna. neq; adulatrices Cyprias, quæ postquam in Syriam transiuerunt, climacides (quasi scalarias diceres) appellatæ sunt, quòd scalarum loco essent regum vxoribus, iis se submittentes, vt per ipsas hæ vehicula conscenderent. Quem igitur oportet cauere? Eum qui neq; videtur, neq; profitetur se adulari quem nõ deprehendes circa culinam oberrare aut vmbram metiri vt cœnæ tempus exploret, aut ebrium quovis modo sese prosternere: sed plerun-

que sobrius est, curiosè agit, & actionum vult esse so
cius, arcanorúmq; particeps: & in summa tragicus
est, non satyricus aut comicus histrio, amici perso-
nam gerens. Sicvt enim Plato ait extremæ esse iniu-
sticiæ, iustum videri neque esse: ita & hæc periculo- 5
sa est existimanda assentatio quæ fallit, non quæ a-
perta est, & quæ seriò, non quæ ioco agit. Hæc enim
veræ quoque amicitiæ plurimum fidei derogat, sæ-
pe eodem recidenti, nisi animum advertamus. Go-
brias cum mago, quem persequebatur, in obscurum 10
delatus conclaue ac colluctans, Dario supervenien-
ti ac qui magum altero saluo iugularet non reperiē-
ti, mandasse fertur, vt vel per vtrumque exigeret mu
cronem. Nos autem, quando minimè gentium di-
ctum illud, Pereat cum inimico amicus, probamus: 15
adulatorem multis similitudinibus cum amico im-
plicatum cupientes avellere, summo studio cauere
debemus, ne aut cum malo bonum abiiciamus, aut
dum vtilibus parcimus, in id incidamus quod est no
xium. Sicvt enim agrestia semina quæ tritico per- 20
mixta eiusdem cum eo sunt figurę ac magnitudinis,
difficulter secernūtur, cùm aut non excidāt per an-
gustiora cribri foramina, aut per ampliora vnà cum
tritico excidant. ita adulatio amicitiæ sese admiscēs
similitudine omnis affectus, motus, vsus, atq; cōsue- 25
Adulatorū artes. tudinis, difficulter deprehenditur. Enimverò quia
omniū rerū suauissima est amicitia, nihilq; plus ad-
fert lætitiæ, ideò adulator etiam voluptatibus deli-
nit, in iisq; administrandis est. Et quia gratia vsúsq;
amicitiam consequitur, quam ob rem dicimus igne 30
magis & aqua necessarium esse amicum: iccirco adu
lator ministeriis sese vltrò offert, conatúrque sum-
mo studio officiosus, impiger, promptúsque videri.
Ac quoniam principium amicitiæ ac stabilitas in si-
militudine studiorum ac morum maximè consistit, 35
earundémq; omnino rerum appetitio aut aversatio
ob affectuum animi similitudinem primò homines
coniun-

coniungit ac continet: hoc sentiens adulator, seipsum velvti materiâ quandam componit atque conformat, accommodare se ac affingere studens imitatione iis quos adoritur, mollis & facilis ad repręsentandos similitudine eos, adeò vt diceres:

Non filius Pelidæ, Achilles ipsus es.

Id verò astutissimè agit, quòd intelligēs libertatem sermonis & dici & esse amicicię, tanquā animalis alicuius, propriā vocem, sicvt cōtrà dissimulatio parū ingenua & ab amicicia aliena habetur: eam libertatē quoq; nō relinquit inimitatā. sed sicvt periti coqui dulces succos, ne ij sacietatem gignant, amaris austerisq; condiunt: sic & adulatores non genuinā, neque vtilem, sed velvti superciliis adnictantem, ac titillantem temerè libertatem adhibent. His itaq; de causis difficulter depræhendi potest adulator, sicvt & animalia ea, quę colorē mutādi facultate prędita, subiectæ materiæ ac locis adsimilantur. Proinde cū ille similitudinibus decipiat, sub iisq; delitescat, nostri muneris est, vt discriminibus expositis eū detegamus atq; denudemus, alienis coloribus atq; figuris, vt Plato ait, propriorū ob inopiā ornatum. Atq; hoc ab ipso arcessamus initio. Diximus aūt principiū amiciciæ esse plerisq; animi indolisq; affectionē similē, qua eosdē mores, easdē consuetudines amplectimur, iisdem rebus, studiis, occupationibúsq; capimur. in quam sententiam etiam hæc dicta sunt:

Semi senilis uox est iucundissima,
Puero puer, mulieri mulier congruit,
Aegrotus ægrotanti: cui res asperæ
Sunt, is experto calamitatem concinit.

Quomodo similitudinē ingenij ac studiorū affectet adulator.

Ergo adulator sciens à natura insitum esse earundē rerum studium, hæc primùm appropinquare & contubernio eodem vti aggreditur, velvti in pascuis animali cuidam sese adiungens, sensim iisdem institutis, earundémq; tractatione rerum, iisdémque stu-

diis & viuendi eadem ratione seſe applicando, conformémque exhibendo: donec tandem is, quem petit, ansam præbeat, palpantíque cicurem se & tractabilem exhibeat: itaque & vituperat eas res, mores atque homines, quibus illum offendi intelligit, & quæ placere ei sentit, ea non mediocribus sed nimiis fert laudibus, ita vt cum stupore quodam se ea admirari simulet, confirmétque se iudicio magis quàm animi subito motu alia amare, alia improbare. Quibus ergo differentiis coarguetur, deprehendetúrque non similis esse aut fieri, sed similem imitari? Principiò intuendum est in similitudinem instituti atq; continuationem, perpetuóne iisdem gaudeat, eadémque laudet, vitámque suam ad vnum dirigat atq; exigat exemplar, sicvti decet ingenuum amiciæ iisdem moribus formatæ, consuetudinísque amatorem. talis enim est amicus. At verò adulator, stabilem nullam cùm habeat suorum morum sedē, neque certum aliquod viuendi delegerit genus sibi quod placeat, sed quod alteri, cúmque alteri seſe effingat atque accommodet: non simplex est aut vnius modi, sed varius ac multiplex, ex alia in aliam subinde formam transiens: quo modo aqua defluēs subinde mutatur ad formam eorum in quæ incidit. Simias aiunt capi, dum homines imitari conantes, eorum motus & saltationes adsectantur. Adulator autem alios imitando decipit atq; illicit, non eodē omnes modo. cum aliis saltat atque cantat, aliis paleſtræ se & exercitationum corporis socium adiungit. quòd si incidat in studiosum aliquem venationis, tantùm non Phædræ ista inclamans sectatur,

Mutabilitas adulatorum.

Eurip. Hippolyto.

Dij boni, maculosas ceruas
Insequens cupio canes incitare:

neque tamen illi quicquam cum feris rei est, ipsum venatorem in laqueos agit. quòd si adeptus est litteris ac disciplinis deditum adolescentem, totus iam in libris est, barbam ad talos vsq; demittit, pallium

gestat,

gestat, rerum delectum omittit, in ore sunt numeri & rectangula ac triangula Platonis. sin cum socorde aut potatore diuite res ei sit,

Tum ucrò sapiens centones ponit Vlisses:

Odyss. x. initio.

abiicitur pallium, tondetur barba velvt infrugifera seges, caldaria ponuntur ac pateræ, ridetur in ambulationibus, & dicteria in philosophantes iaciuntur. Ita ferunt Syracusis, cùm eò veniisset Plato, ac Dionysius insano philosophiæ studio exarsisset, regiam pulueris plenam fuisse ob multitudinem geometrica tractantium. postquam Plato gratia excidit, Dionysiúsque philosophia valere iussa rursum se vino, nugis, libidiníq; & intemperantiæ dedit, confertim vniuersos velvti à Circe aliqua transformatos insciti am, obliuionem, fatuitatémq; esse amplexos. Testimonio sunt etiam magnorum facta adulatorum, & eorum qui populari gratiæ intenti remp. gesserunt. quorum princeps Alcibiades, Athenis sallè dicta iaciendo, equos alendo, vitámque facetam & gratiosam agendo notus, Spartæ raso capillo, palliatus, frigidáque lotus degebat: idem in Thracia militabat ac potabat, vbi ad Tisaphernem ventum est, mollicie & luxu atque arrogantia vtebatur: hócque modo omnes demulcebat, eorum se moribus studiísque adsimilans. Talis non fuit Epaminondas, non Agesilaus: qui tametsi cum plurimis versati sunt hominibus, vrbibus, moribus, suos tamen vbique mores, suum vestitum, suam victus rationem, & dicendi, viuendíque retinuerunt. Atque ita Plato etiam idē fuit Syracusis qui in Academia, & Dionysio talis, qualis Dioni. Cæterùm adulatoris velvti Polypi mutationes facilè deprehendet, qui se ipsum simulabit variè mutari, ac vituperata qua fuisset adhuc vsus vitæ ratione subitò tanquam sibi placentes eas amplectatur, quas priùs improbárat res, aut rationem victus, aut genus orationis. videbit enim illum nequaquam constantem aut suum

esse, aut qui proprio animi affectu amet vel oderit, gaudeat vel indignetur: sed instar speculi affectuum alienorum, & vitæ institutorum ac motuum imagines recipere. Si vituperes amicorum aliquem apud eum, dicet: Serò deprehendisti quis esset: mihi ne antè quidem placuit. Sin mutata sententia rursum laudes, deierabit gratũ sibi hoc esse, & gaudere hominis gratia, fidémq; habere. Si mutandá dices vitæ esse rationem, puta à reipublicæ cura ad ocium & quietem transeundum: Iampridem, inquiet, tumultibus & invidia debuimus nos exonerare. vbi rursum videberis ei ad res gerendas & dicendũ te convertere, accinet tibi: Digna te ipso cogitas: ocium enim suaue quidem est, sed inglorium atque abiectum. Tali statim est occinendum illud,

Odyss. π. 281. *Nunc alius subitò mihi, quàm paulo antè, videris.*

non mihi opus est amico mecũ sese mutante & mea momenta sequente, (hoc enim vmbra meliùs præstat) sed qui verum vnà mecum sequatur atque diiu dicet. Atque hæc vna est ratio deprehendendi adulatoris. Alterum in similitudinibus discrimẽ est obseruandum, quòd verus amicus neque imitatur omnia, neque laudat facilè, sed optima duntaxat. nã, vt est apud Sophoclem,

Alia ratio simulationis deprehẽdendæ.

Non impetus solet esse, sed amoris comes.

Nimirum enim vnà officium facere, & adiuuare in pulcrarum rerum studio cupit, non peccandi aut malitiosè agendi socium se præbet: nisi inuitum, sicvt solet lippitudinis, ita vitij quoque aut peccati quẽdam ob consuetudinem afficiat contagio. quemadmodum familiares aiunt Platonis curuitatem imitatos, & balbuciem Aristotelis, & Alexandri regis colli inflexionem ínque dicẽdo vocis asperitatem. quidam enim imprudentes morum vitæq; aliquam percipiunt labem. Contrà adulatori evenit quod Chamæleoni. Hic enim omni colori se potest similẽ præ-

præstare, demto albo. & adulator in iis quæ operæ-
precium habent similem sese præbere non valens, ni
hil non turpe imitando exprimit. Sed quomodo in- *Adulator*
epti pictores pulcra repræsentare cùm nequeant, ru *turpium i-*
gas, verrucas, & cicatrices referunt: sic adulator in- *mitator.*
temperantiam imitatur, superstitionem, iracundiã,
acerbitatem adversum seruos, infidelitatẽ erga do-
mesticos & cognatos. Est enim natura propensus ad
deteriora: ac præterea quàm longissimè à repræhen
dendo videtur abesse, si turpia imitetur. Suspecti e-
nim sunt qui meliora quærunt, videntúrq; iniquè a-
micorũ ferre peccata. quę res & Dionem Dionysio,
& Samiũ Philippo, & Ptolemæo Cleomenem invi-
sum fecit atq; perdidit. Adulator dum vult esse ac vi
deri iuxtà suauis ac fidelis, præ nimio amore fingit
se ne vitia quidem improbare, vt eodẽ modo vbiq;
affectus atq; eiusdem naturæ putetur. Itaq; neq; eo-
rum, quæ nolentibus fortuitò eveniunt, expertes es
se volunt. Sed ægrotis adulantes eodẽ se morbo te-
neri simulant: & visu se auditúq; valere negant, si cũ
cæcutientibus aut surdastris viuant: sicvt Dionysij
adulatores luscioſos se fingebant, aliúsq; in aliũ im-
pingentes inter cœnandũ paropsides de mensis de-
turbabant. Alij vt affectus magis æquent, altiùs pe-
netrant, & ad arcana vsque eodem se modo affectos
esse fingentes procedunt. sentientes enim aut coniu-
gium eius cui blandiuntur infelix esse, aut de libe
ris eum vel domesticis siniſtra suspicari: ipsi quoque
sibi nõ parcunt, sed de suis liberis, aut vxore, cogna-
tis, familiaribúsve arcana quædã crimina cum luctu
recensent. Similitudo enim facit vt maiore affectu
consperent. itaq; alter quasi obsidibus iam acceptis
aliquid arcani committit adulatori, ac deinceps eo
vtitur, ac fidem fallere metuit. Ego verò noui qui a-
mico suam vxorem eiiciente, suam ipse quoque re-
pudiauit. Sed tamen amici vxor deprehendit eum
clàm istã invisere, ac per internũcios cum ea agere.

Quare quid rei esset adulator non habebat cognitũ qui cancro magis quàm adulatori conuenire putabat Iambica hæc:

Nihil est nisi uenter corpus omne, prospicit
Partes in omnes bestia, reptat dentibus.

Parasiti enim est hæc effigies, amici circa sartaginẽ & post prãdium, vt ait Eupolis. Verùm hæc in suum reiiciamus orationis huius locum. Id verò commentum adulatoris in imitationibus non prætereamus, quod etiam si quid boni imitatur, tamen ei cui assentatur palmam relinquit. Qui enim veri sunt amici, apud eos nulla est obtrectatio, nulla invidia: sed siue vincant rectè agendo, siue superentur, citra molestiam sus déque ferunt. Adulator autem memor se vbique secundas agere partes, similitudinem ita affectat vt semper inferior sit, primámque laudem & palmam alteri relinquat, exceptis prauis rebus. In his enim priores sibi vindicat. ac si ille se morosum dicat, se profitetur atra bile exagitari: si superstitiosum, se diuinitus exagitari: si amare, se insanire: si intempestiuè risisse, se risu emortuum. Contrà in bonis rebus, se ait velocem cursu, illum autem volare. se mediocriter equitare, sed quid hoc ad equitem hunc centaurum? Ego, inquit, ad poëtin non inepto sum ingenio, versúmq; condo non pessimum,

Sed mihi non datur, est posse tonare Iouis.

Simul enim & institutum eius videtur pronunciare esse egregium dum id imitatur, & vim æquari non posse, dum certare conatur succumbit. Atque hæc sunt, quibus in adsimilando ab amico differt adulator. Quando autem, vt docuimus, voluptas etiam vtriusq; communis est, (vir enim bonus non minùs delectatur amicis, quàm adulatoribus vitiosus) agedum hîc quoq; discrimen constituamus. id autem erit, voluptatis ad finem relatio. Atq; hoc ita consideremus. Ineſt in vnguento gratus odor, ineſt etiã in me-

Adulator bona imitans, fingit se non æquare.

Voluptas ab adulatore aliter quàm ab amico paratur.

in medicamento. Sed hoc interest, quòd illic tantùm ad voluptatem refertur, neque vllius præterea rei gratia inest: hic autem ei, quod purgâdi corpus, aut calefaciendi, aut carnem reparandi facultatem habet, accedit. Rursum pictores floridos colores admiscent: sed & medicamenta sunt quædam conspectu florido, & colore minimè ingrato. at discrimen in promtu est, quòd fine scilicet vtilitatis differût. Ita amicorum quoque mutuæ delectationes voluptatem habent quasi efflorescentem in re aliqua pulcra & vtili. aliquando etiam honesti ac virtute præditi homines iocis, conviuiis, vino, risu, atque adeò etiam nugis invicem velvti condimentis vtuntur. in quam sententiam dicta sunt hæc,

Hi se oblectabant grato sermone uicissim. &
— neque nos iam res diuelleret ulla,
Quin nos colloquiis oblectaremus amicis.

Adulatoris autem is finis, hoc opus est, vt subinde iocum aliquem, aut actionem, aut sermonem voluptatis gratia & ad parandam voluptatem quasi coquat atq; condiat. Vtq; vno verbo rem totam complectar, adulator omnia putat sibi facienda esse vt delectet: verus amicus semper id agês quod debet, sæpe delectat, sæpe molestus est, non quòd ita velit, sed quoniam ita vsus fert. Sicvt enim medicus vbi res poscit crocum nardúmve adhibet, & aliquando leni lauacro alimentóque grato vtitur: nonnunquam his omissis castorium iniicit,

Aut polium, tetrum latè quod iactat odorem,

aut veratrum tritum potui exhibet: quod neque hîc molestiam, neq; ibi voluptatem finis loco sibi proponit, sed vtrobique vtilitatem eius respicit quem curat. sic & amicus alicvbi laudâdo & gratiosè prædicando atq; delectando ad honestũ incitat, vt ille:

Carum Teucre caput, populi Telamonie princeps, *Iliad. 9. 281.*
Hoc calamos torqueto modo. — & alius,

Iliad. x, 243. *Quonam diuini pacto oblinaiscar Vlissis?*

Rursum vbi correctione opus est, mordacem sermonem, libertatémq; curatore dignam vsurpat.

Iliad. x, 109. *Quid frustra insanis, & præter rem Menelae?*

Aliquando etiam factum verbis adiungit. Sic Menedemus Asclepiadæ amici filiũ intemperantem & dissolutè viuentem foribus excluſum nõ dignatus alloquio, in rectam viuendi viam redegit. Et Arcesilaus Batto schola interdixit, cùm is in comœdia versum in Cleanthem fecisset: inq; gratiam tum demũ recepit, cùm is mutato facto Cleanthẽ placasset. Oportet enim bene merendo amicum offendere, non lædendo amicitiã abolere: sed eo quod mordet vti tanquam medicamento, quo seruetur & sanetur qui curatur. Itaq; amicus musici instar mutãtionibus ad pulcrum & vtile accommodatis aliás intendendo, aliás remittendo, sæpe quidem delectat, semper autẽ prodest. Sed adulator quasi vnica tantùm nerui intẽtione identidem solitus eam vocem reddere, quæ delectet & grata sit, neq; facto repugnare, neq; verbo molestus esse nouit, semper cũ eo concinit eúmque assectatur cui blandiri statuit. Quemadmodum igitur Xenophon Agesilaum ait eorum habuisse collaudationes gratas, qui & culpare per occasionem vellent: ita eum amicè delectare ac gratificari cẽseamus, qui aliquando etiam molestia afficere & adversari possit. eam verò consuetudinem, quæ continentibus blandiciis vsa omni morsu caret, vitij suspectã habeamus. Sítq; nobis in promptu illud Laconis dictum, qui cum rex Charilaus laudaretur, Quî, inquit, iste probus sit, qui ne malis quidem acerbus est? Tauris ferunt asilum sub aures subire, itémque canibus ricinum. & adulator aures ambitiosorum laudibus occupans iisque adhærens, non facilè depellitur. Itaque ibi maximè iudicium est adhibendum sobrium atque cautum, vt discernamus homõne

mõne laudetur an actio. Rem ipsam laudari intelligemus, si absentibus potius fiat quàm præsentibus nobis: si eadem ipsi volentes atque affectantes non nos modò, sed omnes idem institutum tenentes sectentur, neque nunc alia, alia pòst agant aut dicant: & (quod maximum est) si nos ipsi sentiamus non duci nos pœnitudine eorum propter quæ laudamur, neque eorum nos pudeat, neque contrarium potiùs nos dixisse aut egisse optemus. Internum enim iudicium animi nostri laudi reclamans, eámque non admittens, nullo affectu trahitur aut mouetur, neque potest ab assentante corrumpi. Sed nescio quo pacto fit vt plerique cum in calamitatibus consolationes non admittant, magísque delectentur iis qui vnà lamentantur: iidem si quid peccauerint aut deliquerint, pro inimico atque accusatore habeant quicunque reprehensione ac vituperatione mordere, & ad pœnitentiam trahere cupit: laudantem autem, & facinus verbis comprobantem amplectantur & benevolum amicúmque sibi ducant. Sed qui factum tamen aut dictum alicuius siue serium siue iocosum facilè laudant eíque applaudunt: ij tantùm in re præsenti sunt noxij. Qui autem ad ingenium ipsum laudando penetrãt, & à moribus ad indolem pertingunt: idem ij faciũt quod serui qui non aceruo sed semini aliquid furtim detrahunt. indolem enim quæ initiũ est ac fons vitæ degendæ pervertunt, dum nomina virtutum vitiis imponũt. Equidem scribit Thucydides in seditionibus ac bellis nomina hominũ æstimatione à cõsueta fuisse significatione detorta ad res alias. audacia enim rationis expers, habita fuit pro fortitudine, prudẽs cunctatio pro timiditate speciosa, modestia pro molliciei prætextu, & callida in omnibus rebus adhibita accuratio pro summa ignauia. Ita in adulationibus quoq; obseruandum est, quòd prodigalitas liberalitatis vocabulo, timiditas cautionis,

Laudationum examen.

Appellationũ abrsus.

temeritas celeritatis, sordes frugalitatis, amoribus deditus cõsuetudinis amantis & ad caritatem propensi, iracundus ac superbus animosi, vilis humilisque humani titulo afficitur. Sicvt & Plato alicubi ait amatorem amasij adulatorem, simo gratiosi, advncum habenti nasum regij, nigro virilis, albo deorum filij imponere nomen: deniq; planè adulatoriè ab amatore melei coloris dici pallidos, verbo palloris odium minuente, & boni eum consulente. Sanè deformis persuaderi sibi sinens formosum se esse, aut paruus magnum, neque diu in errore eo persistit, & damnum leue neq; irreparabile accipit. Laus autem quæ vitiis adsuefacit dum pro virtutibus habentur, ita vt non dolori nobis sint, sed delectationi, & quæ verecundiam peccantibus aufert: ea inquam ratio laudandi effecit, vt Dionysij & Phalaridis tyrannidem Siculi iusticiæ ac odij in malos nomine ornarent. eadem Aegyptum pessundedit, mol liciem Ptolemæi ac furiosam superstitionem, vlulatúsq;, & liliorum ac tympanorum impressas in corpus notas, pietatis erga deos cultúsq; numinum appellatione velans. Eadem eodem tempore parũ abfuit quin Romanorum mores corrumperet atque perderet, luxum Antonij, & intemperantiam, & publicas profusiones pecuniæ voce molli actiones hilares atq; humanitatis plenas appellans, hominis liberaliter sua potentia fortunáq; vtentis. Quid verò aliud Ptolemæo capistrum tibicinis fistulámque appendit, quid Neroni scenam erexit tragicam, laruásque & cothurnos induit, quàm adulantium laudes? an non plerique reges dum cantillarent, Apollines, dum ebrij essent, Bacchi, dum palæstram exercerẽt, Hercules salutati, iisque gaudentes nominibus assentando ad extremam sunt adacti turpitudinem? Quapropter maximè vbi laudat cauendum est ab adulatore. Idq; non fallit adulatorem, sed callidus suspicionem cauere, vbi in delicatulum aliquem agre-

5. de repub. non procul fine.

agrestémve incidit, suilla cute crassa amictũ: ibi tum quanto potest flatu adulatur. vt Struthias calcans Biantem, eiúsque stupiditati laudationibus insultans: Alexandro rege ampliùs bibisti, & risu ad Cyprium decolans. Cæterùm elegantiores adortus adulator, cùm hos videt hunc locum háncque occasionem potissimùm obseruare, non rectà laudationem profert, sed longis in orbem ambagibus vsus accedit, velvti citra strepitum tacturus pecus aliquod atq; tentaturus. Modò enim aliorum quorum dam de ipso pronunciatas laudes refert, rhetorum exemplo aliena vsus persona: periucundum, inquiens, mihi fuit in foro cum peregrinis, vel senioribus colloquium, qui de te multa in bonam partem non sine admiratione tui dixerunt. Modò leues & falsas aduersus eum criminationes confingens se ex aliorum habere dictis, studiosè accedit, ac interrogat, vbínam tale quippiam egisti aut dixisti? inficiátemque, vt fieri solet, iam oblata ex ipsa inficiatione laudandi occasione, sic demulcet: Ego sanè mirabar te malè dixisse familiarium alicui, qui ne inimicis quidem soleas: aut si tu alienis inhiasses, qui de tuo adeò es liberalis. Iam sicvt pictores lucida atq; splendida appositis vmbrosis & tenebrosis reddunt illustriora: ita adulatores dum aduersa bonorum proscindunt maledictis, aut traducunt atque derident, occultè eorum quibus assentantur vitia laudant atque fouent. Nam apud homines luxu perditos, auaros, maleficos, & opes turpibus malísque rebus consecutos, modestiam vituperant sub rusticitatis nomine: & eos qui suis contenti facultatibus iustè viuunt, nihil animi aut virium ad res gerendas habere criminantur. si cum socordibus ocióque deditis & mediocrem in ciuitate stationem subterfugiẽtibus versentur, nõ pudet eos administrationem reipub. denominare alienarũ rerum laboriosam tractationem: & honoris studio, sterilis gloriolæ ambitionis

Artes adulatorum in fidiosè laudantium.

nomen indere. denique etiam rhetorica quadam adulandi arte philosophum traducunt: & inter impudicas mulierculas palmam merentur, dum vno contentas marito, eiúsq; solius amantes, Veneris exertes agrestésq; vsurpant. Ea verò est summa malicia, quòd ne sibi ipsis quidem parcunt adulatores. Sicvt enim luctatores corpora sua demittũt, vt alios prosternant: sic seipsos illi vituperando obrepunt ad alios laudandos. Ego, inquiunt, in mari timidum sum mancipium, ad labores animum despondeo, insanio præ ira maledictis impetitus. verùm iste nullo terretur periculo, omni caret vitio, homo est singulari ingenio, omnia fert æquo animo ac citra molestiam. Quod si quis sapere se præclarè existimãs, cupiénsq; videri austerus & à proprio pendens iudicio, rectitudine quadam rationis subinde illud obiiciat,

Iliad. κ, 249. *Nec me Tydida nimia tamen affice laude,*
Nec nimium culpa: — non iam eadem hunc via adoritur adulator, sed aliam adhibet machinã. Accedit enim eum de rebus priuatis vtpote prudentiorem, consulturus. & habebam quidem, inquit, alios magis familiares, necessitate tamen cogor te interpellare. nam ad quem alium confugeremus consilio indigentes, aut cui potiùs credamus? audito deinde eius responso ita discedit, vt non sententiam se, sed oraculum reportare dicat. Aut si eum peritiam affectare artium dicendi senserit, aliquid ei abs se compositum exhibet, orans id vt legat atque emendet. Mithridati regi, cùm is rei medicæ studeret, nonnulli sociorum secandos se vrendósque præbuerunt, facto, non verbis adulantes. testimonium enim peritiæ eius ferre videbantur, quòd sese ipsi crederent. adeò

Multæ sunt rerum diuinarum formæ.

Eurip. fine Alcestidis. Cæterùm genus hoc occultatarum laudationum, quod cautionem requirit astutiorem, vt redarguas, dedita

dedita opera propones consilia, argumenta, correctiones, absurda omnia. nihil enim refellens, sed omnibus annuens, atque omnia admittens, & ad singula exclamans bene ac sufficienter habere, deprehenditur liquidò

Rogasse compositò, atque aliud sectarier,

nimirum quò laudandi inflandíque nanciscereturoccasionem. Porrò sicvt nonnulli dixerunt picturam esse mutam poëtin: sic etiá assentatio tacentem laudationem quandam habet. Quemadmodum enim venatores, dum non venari se, sed iter facere, aut pascere, aut agrum colere fingunt, faciliùs feras latent: ita adulatores laudando tum maximè penetrant, cùm non laudare, sed aliud aliquid agere putantur. Qui enim accedenti sella locóve decedit, aut ad senatum populúmve verba faciens, vbi videt diuitem aliquem accedere, oratione abrupta huic suggestum & dicendi copiam tradit: is tacendo meliùs quàm si vociferaretur, priores se huic prudentiæ partes deferre ostendit. Itaque videre licet qui in auditoriis ac theatris prima sedilia occupent, nõ quòd se iis dignentur, sed vt diuitibus inde assurgentes atq; concedentes, adulentur. Alij in congressionibus & consessibus initium dicendi faciũt: deinde si quis potens, diues, aut nobilis contrà differat, facilimè tanquã meliori adsentiuntur, suámq; retractant sententiã. Quare apprimè necessariũ est huiusmodi cessiones locorũ & victoriæ arguere, non peritiæ, virtuti, ætatíve, sed diuitiis & gloriæ delatas. Etenim Apelles pictor adsidenti sibi Megabyzo, & de linea nescio quid vmbráq; volẽti differere: Nónne vides, aiebat, puerulos istos qui melidem terunt? tacenti sibi admodum ij fuerunt intenti, purpuram aurúmque admirantes. nunc te rident orsum loqui de rebus iis quas non didicisti. Et Solon Crœso de felicitate perquirente, Tellum quendam obscurum

Tacitæ laudes.

Athenis hominem, Bitonémq; & Cleobin ipso pronunciauit feliciores. Atqui adulator reges, diuites ac magistratum gerentes, non fortunatos modò & beatos, sed & prudentia, arte, virtutéque omnibus superiores affirmat. Iam Stoicos quidam ne audire quidem sustinent, sapienti simul diuitis, pulcri, nobilis, regis nomen attribuentes. adulatores verò diuitem iuxtà & oratorem, & poëtam, & (si velit) pictorem, tibicinémque pronunciant, & pedibus velocem, & robustum, cadentes si cũ eo lucta, & à tergo eorum manentes, si cursu certent. sicvt Crisson Himeræus cursu cum Alexandro certans dedita opera posterior fuit, quod & animadversum ægrè tulit rex. Carneades dicebat diuitum ac regum filios nihil aliud bene ac rectè discere, quàm equitare. quippe magistri in ludis iis assentantur, & qui colluctatur vltrò se inclinat. equus nulla habita ratione, priuatus an princeps, pauper an diues insideat, eum qui regere non didicit, præcipitem excutit. Stultè itaque ac fatuè Bio, qui agrum laudando putabat se redditurum fertilem ac frugiferum potiùs, quàm fodiendo & colendo. Non tamen homo absurdè facit laudans, vbi id iis qui laudantur est vtile. Atque ager quidem laudãdo non fit deterior: hominem inflant ac perdunt qui immeritò laudant. Verùm de his satis. deinceps de libertate agamus. Oportuit sanè, quemadmodũ Patroclus Achillis arma cùm indueret, & equos eius ad pugnam educeret, solã non ausus fuit contrectare Peliadem hastam: ita adulatorem quoque dum amici insignia atque cultum sibi circumponit, solam libertatem, vt gestamen amiciciæ eximium,

Libertatem adulator affectat. Iliad. ω, 100.

Grande, graue, & ualidum, ——

intactam inimitatámque relinquere. Nunc quando adulatores reprehensiones metuunt quibus obrisum, pocula, dicteria ac iocos sunt obnoxij, ideóque superciliosè adsentantur ac tetrico vultu, vituperationis

tionis aliquid & increpationis admiſcentes: agedũ hanc quoque partem examinemus. Puto autem ſicvt in Menandri comœdia falſus Hercules in ſcenam progreditur, clauam geſtans non validam, neque robuſtam, ſed figmentum quoddam inane ac molle: ita experientibus viſum iri libertatem adulatoris laxam, & pondere vehementiáque carentem, ac ſimile quippiam habentem cum ceruicalibus mulierum. hæc enim cùm videãtur capitibus reniti debere atque obſiſtere, multo magis cedunt iis ac ſubſidunt: & adulterina iſta libertas inanem oſtentãs ac mendacem & intus vitioſam molem, ſublimis atque inflata eſt, vt in ſeſe concidẽs abripiat ſecum eum qui in ipſam impegit. Nam vera & amici propria libertas peccantes adoritur, adfértque ſalutarem & tutelarem dolorem, mellis in morem: quod cùm vlceroſas partes mordeat atque expurget, cætera vtile eſt ac dulce. qua de libertate ſuo peculiari loco dicẽtur. At adulator primò quidem acerbitatem quandam adverſus eos quibus inſidiatur præ ſe fert, iracundum ſe & implacabilem gerens. nam ſeruis eius difficilis eſt, promptúſque ad inſultandum peccatis domeſticorum atque cognatorum: nihil eorum qui foris ſunt laudare, nihil admirari, deſpicere omnia, nemini ignoſcere, calumnioſè ad iram alios provocare, laudem odij in malos concepti venari, vt qui volens non facilè libertatem adverſus eos non vſurparet, aut in gratiam eorum quicquam vel faceret vel diceret. Deinde vera & grauia eius cui adulatur peccata omnia ſimulans ſe neſcire, in exiguas & externas culpas grauiter ac cum contentione quadam & vehementia invehitur: puta ſi quid ſupellectilis malè eſt collocatum, ſi incommodè habitat, ſi tonſuram, amictúmve neglexit, ſi canem equúmve non rectè curauit. At ſi parentes contemnit, liberos negligit, vxorem contumelioſè tractat, domeſticos deſpectui habet, pecuniam prodi-

Adulatorũ libertas leuia inuadit, grauia diſſimulat delicta.

git:omnia hæc nihil ad se adulator pertinere putat, ad hęc mutus est,hiscere nō audet,non aliter,quàm si alęptes athletam sinat inebriari ac libidini indulgere, eundémque gutti olearij aut strigilis gratia grauiter obiurget.aut grammaticus ob tabellam ac stylum increpans puerum, solœcismos eius barbarismósve dissimulet.aut si rhetor ineptus ac ridiculus de ipsa oratione nullum ferens iudicium,vocem culpet,incusétque grauiter quòd frigidę potu arteriam corrumpas:vel perlegere iussus miserè compositum scriptum,chartæ asperitatem insectetur, & librarij impuritatem atque socordiam. Ita planè cùm videretur Ptolemæus litteris operam dare,de glossa aliqua,versiculo,aut historia vsque ad mediā noctem disputationes vnà traxerunt eius asseclæ: neq; in tanto tamen numero quisquam fuit qui eum inhiberet crudeliter agentem ac contumelioſē, atrociáque supplicia exercentem. Denique adulatores suam libertatem iis duntaxat adhibentes, quæ neq; lædunt neque dolent,perinde faciunt ac si quis hominis à tuberculis ac fistulis laborantis crines vnguésque cultro medico desecet. Sunt alij his etiam astutiores,qui libertatem vituperationésque ad voluptatem conciliandam accommodant. Sic Agis Argiuus cùm Alexander cuidam scurræ magna daret dona, præ inuidia ac dolore exclamauit, Proh rem absurdissimam.cúmq; iratus rex se ad eum conuertisset, & Quid ais dixisset: Fateor, inquit, indignari me ac molestè ferre quod vos Ioue genitos omnes video hominibus adulantibus ac ridiculis vti.nam & Hercules Cercopibus quibusdam,& Bacchus Silenis sese oblectauit,& tales apud te in precio esse manifestum est. Tib.Cæsare aliquando in curiam progresso,quidam adulatorum surrexit, dixítque liberorum hominum liberas debere esse voces, nihílq; dissimulandum aut reticendum eorum quæ prodessent. Qua oratione cùm omnium atten-

Libertas ob voluptatē.

tentionem excitasset, facto ei silentio, & Tiberio auscultante, Audi, inquit, Cæsar quid in te vniuersi desideremus, nemo tamen audet palàm eloqui. Negligis teipsum, corporísque rationem tui non habes: sed te curis quas pro nobis geris neque interdiu neque noctu quietem capiendo atteris. cúmque multa id genus collegisset, Cassium aiunt Seuerum rhetorem dixisse, Ista hunc hominem libertas perdet. Atque hæc quidem leuiora sunt. Illa verò grauia iam & exitiosa imprudentibus, cùm contraria verorum vitia ipsis obiiciuntur. Ita Himerius assentator diuiti cuidam Athenis illiberalissimo auarissimóque homini prodigalitatem exprobrauit ac socordiam, fore inquiens vt aliquando cũ liberis probè esuriret. Aut cùm sumtuosis ac prodigis sordes obiiciunt nimiámque parsimoniam, vt Neroni fecit T. Petronius. Vel cùm principes, à quibus subditi crudeliter inhumanitérque tractantur, deponere iubent nimiam clementiam, intempestiuámque & invtilem misericordiam. Quorum simile est si quis cauere se & metuere vtpote callidum versutúmque hominem simulet eum, qui stupidus sit & fatuus. aut invidum ac maledicũ adsiduísque gaudententem repræhensionibus, fortè ad laudandum aliquem præclarum virum se convertentem, corripiat, impugnétque, & liberalitatem hanc laudandi velvt vitium ei inhærens carpat, dicens: Homines laudas nullius precij. quis enim est hic: aut quid præclari fecit dixítve? Maximè verò adulatores in amoribus adoriuntur suos, ignémque augent. Fratres enim cùm vident dissentire, aut parentes despici, aut insolenter vxorem tractari: neque verbis castigant, neque repræhendunt, sed iras etiam amplificant. Non enim, inquiunt, sentis qui sis. ipse causa es huius mali: semper enim obsequentem te ac submissum præbuisti. Verùm vbi ex ira & obtrectatione animus exarsit meretricis

aut adulteræ amore, ibi tum splendida cum libertate adulator præstò est ignem igni superaddens, amorísque patrocinans, & amatorem eo nomine incusans, quòd multa non amatoriè agat, dura multa & digna repræhensionibus faciat: occinítque illud,

Ingrate tam crebris amoris oculis.

Sic Antonio amici flagranti Aegyptiæ amore persuaserunt ipsum ab ea amari, duriciémque ei & superbiam exprobrauerunt. Illa quidem, aiebant, tanto regno vitęq; ratione beata dimissis amore tui perit, tua castra sequens habitu pellicis:

Odyss. κ, 329. *Sed tibi non ulla mens est placabilis arte,*

qui negligis illam his animi molestiis conflictãtem. ille autem repræhensionibus his iniusticiæque insimulationibus magis quàm laudibus gaudens, non sensit eo seipso dum castigari putat perverti. Similis est enim ista libertas morsibus lasciuarum mulierum, eo qui videtur esse dolore excitans voluptatẽ ac titillans. Ac sicvti merum, quod alioqui adversus cicutam valet, si cicutæ admisceatur, facit vt resisti veneno planè non possit, ob calorem celeriter ad cor penetranti: ita mali cùm sciant libertatem dicendi magnum adversus assentationem esse præsidium, illa ipsa ad adulandum abvtuntur. Quapropter ne Biantis quidem dictũ vitio planè caret, qui interrogatus quodnam animalium esset molestissimum, respondit ferorum quidem tyrannum, cicurũ autem adulatorem. Veriùs enim dici poterat, adulatorum quosdam esse manuetos, qui balnea & mẽsas sectantur. qui verò curiositatem, calumnias, & malignitatem suam velvti polypus flagella in ipsas vsque ædes & gynæcea protendunt, sæuos esse, feróque & intractabiles. Vna cauendi tales insidias ratio est, quod sciendum atque in promta semper habendum est memoria, cùm animi pars vna veri-

Remediũ.

tati

tati atque honestati dedita rationi rectæ obtemperet,altera bruta sit,falsi appetens,incertísque obnoxia motibus:amicum semper meliori parti se accommodare consiliarium atque monitorem, instar medici sanitatem augentis atque conseruantis, adulatorem verò brutæ & cupiditatibus addictæ parti se applicare,eámque prauis voluptatibus submittendis scabere ac titillare, & à rectæ rationis obsequio avertere. Quemadmodum verò cibi quidam sunt, qui neque sanguini, neque spiritibus neque neruis neque medullis virium quicquam apponunt,sed pudenda tantùm erigunt,ventrem suscitãt, ac carnem generant putridam & morbosam, sic adulatoris oratio nihil sobriæ ac rationis imperio obsequenti parti adiicit.sed cùm semper vel amoris aliquam cõciliet voluptatem,vel iram inconsultam augeat, aut ad invidentiam excitet,aut molestum inanemq; arrogantiæ fastum ingeneret, vel dolorem lamentando augeat,vel malignitatem,illiberalitatem, infidelitatémve nouis quibusdam calumniis atque præsagiis exasperet, meticulosámve & suspicacem reddat, non fallet eos qui animum attendunt. semper enim sub aliquem subit animi affectum, eúmque saginat,bubonis instar subinde morbosis & inflammatis animi motibus adnascens. Irasceris: puni, inquit, appetis: eme. metuis: fugiamus. suspicaris: crede. Quod si circa hos motus non ita facilè deprehendi possit, ob vim & vehementiam rationis eum repellentis, tamen in minoribus capietur facilius,eundem sese gerens. Nam vbi te viderit suspicari crapula aut repletione tibi nocuisse, ideóque de balneo aut alimento dubium cogitare, amicus, abstinere hortabitur & considerate agere. adulator verò in balneum trahet, nouúmque aliquid apponere iubebit,neque corpori iniuriam abstinentia facere.Idem si videat te ad iter,aut nauigationem, opúsve aliquod obeundum animo esse ob molliciem

segni: dicet nullam vrgere temporis necessitatem, ac posse idem agi re dilata, aut alio misso. Quod si pollicitus familiari alicui pecuniam mutuò dare aut largiri, mutes consilium, & tamen pudore ducaris: momentum in deteriorem partem afferet adulator, sententiámque pro crumena confirmabit, & verecundiam expellet, parcere te iubens vt qui impensas facias magnas, multísque velis sufficere. Itaque nisi nos nostræ ipsorum fallant cupiditates, impudentia, timiditas: non latebit nos adulator. is enim est horum identidem affectuum patronus, liberéq; nos vt in his modum transgrediamur monet. Ac de his quidem satis. Veniamus nunc ad vsus & officia. Nam in his frequenter suam & amici differentiam adulator confundit aut obscurat, dum se vbique impigrum atq; alacrem absq; vlla tergiversatione ostentat. Etenim amici mores sicvt veritatis apud Euripidem oratio, simplices sunt, sinceríq;, & nihil habent ficticium. Adulatoris autem revera

Phœnissis.

Prauisuapte natura, artis indigent

Officia & ob sequia adulatorum qualia.

& quidem callidis profectò, multísque & operosis adminiculis. Iam primùm in ipsis congressibus amicus sæpenumerò neque compellans ipse neq; compellatus, placido tantùm contuitu atque revidendo vltrò citróque declarata benevolentia & familiaritate præterit. adulator verò currit, persequitur, eminus manum porrigit, ac si compelletur priùs cõspectus, sæpe testibus & iureiurando adhibitis se purgat. Eodem modo in actionibus amicus multa minuta negligit non percunctans curioséve perquirens omnia, neque ad quævis sese obiiciens ministeria. adulator autem in his frequẽs atque assiduus est & indefessus, nulli alteri locum aut spacium ministerij concedens, sed iuberi volens, ac nisi iubeatur, ægrè ferens, atque adeò etiam animum despondens & fortunam suam deplorans. Quæ ipsa quidem

dem sanis argumenta sunt non veræ sobriæque amiciciæ, sed meretriciæ ac se promptiùs quàm oportet ingerentis. Veruntamen est primùm in promissionibus considerandum discrimen. Rectè enim maiores quoque nostri dixerunt, amici hanc esse promissionem,

Si possum præstare, & si fieri potest res est. *Iliad. σ. 427.*

Adulatoris autem hanc, *Adulatoriæ promissiones.*

Dic quodcunque uelis.— nam & comici tales introducunt, *Ibid. 426.*

Nicomache, me precor huic opponite militi.
Peponis ego illum instar flagris emolliam,
Reddámque mollius uel spongia caput.

Deinde amicus nemo rei gerendæ sociũ se præbet, nisi priùs in consilium adhibitus, decori aut vtilitatis rationibus subductis institutum comprobauerit. Adulator etiam si eum ad deliberandam rem, ferendámque sententiam adsciscas, non modò gratificandi palmámque concedendi studio, sed & ne in suspicionem veniat detrectantis officium, cupiditati tuæ locum dat, eámque incitatione sua comitatur. Non enim temerè invenias diuitem, aut regẽ, qui hoc vsurpet:

Vtinam mihi sit pauper, aut (si res ferat)
Paupere miserior, qui bene cupiens mihi,
Timore misso dicat id quod senserit.

nam hi quidem instar tragœdorum requirunt chorum accinentium amicorum, aut theatrum applaudens. Ac tragica quidem Merope sic præcipit:

Verbis amicos quære qui non mulceant
Blandis: & assentando gratiam tuam
Captantes foribus arce non probos tuis.

Vulgo autem contrà agunt. Qui enim non assentantur verbis, sed repugnant vtilitatis gratia, eos aversantur. blandientes autem, malos homines & illiberales atque impostores, non intra fores duntaxat

& domũ, ſed & ad affectus réſq; arcanas admittũt. Quorum qui ſimpliciores ſunt, tantarum rerum cõſultandarum negant ſe poſſe aut debere eſſe ſocios, miniſterium obire & exequi decretum ſui ąiunt eſſe officij. Aſtutiores autem interſunt deliberationi, ſuperciliúmq; continent, vultúmque ad annuendum componunt, neque interim quicquam eloquuntur: vbi verò alter ſententiam ſuã pronunciauit, Dij boni, inquiũt, paululo me antevertiſti, idem planè meditatum dicere. Sicvt enim mathematici ſuperficies aiunt & lineas neque flecti neque intẽdi neque moueri per ſe, quòd corpore careãt ac intellectu modò percipiantur: flecti autem, intendi, moueríque vnà cum corporibus, quorum ſunt extremitates. ita adulatorem quoque depræhendes, ſemper alterius vocem, enunciata, ſenſum, irámq; ſubſequentem. Itaq; hoc quidem in genere omnino facilimum eſt inveſtigatu diſcrimen. Magis tamẽ ipſo in modo officiorum præſtandorũ liquet. Ab amico enim quod præſtatur officium, velvti animal quoddam intus pręcipuam habet vim, ad oſtentationem & pompam nihil. ſed ſæpenumerò ſicvt medicus occultè ſanat, ita & amicus ſua præſentia aut abſentia amico prodeſt ignoranti pro ſe curam geri. Talis fuit Arceſilaus, qui (prętereo enim alia) ægrotãtis Apellis Chij paupertate cognita, reverſus ad eum drachmas vnà viginti attulit, aſsidénſque ægroto, Hìc quidem (aiebat) nihil eſt præterquam Empedoclis illa eleméta,

Officiorum modus.

Ignis, aqua, & tellus, atque ætheris ambitus almi:

ſed tu etiam incommodè cubas. ſimúlque mouens puluinar eius, clàm pecuniam ſubiecit. quã cum vetula, quæ ægroto miniſtrabat, reperiſſet, Appelliq; cum admiratione renunciaſſet, ſubridens hic: Arceſilai, inquit, hoc eſt furtum. Et verò in philoſophia locum habet illud, Naſci prolem parẽtum ſimilem. Arceſilai diſcipulus Lacydes, vnà cum reliquis amicis in iudicio aderat Cephiſocrati perpetrati publici

blici contra ius non scriptum delicti postulato. ibi actore annulum rei postulante, cuius argumento eũ convincere poterat, eúmque Cephisocrate sensim in terram demittente, pede annulum impositio texit Lacydes. absolutus autem Cephisocrates cùm iudicibus gratias priuatim ageret, vnus eorum, qui (vt apparet) factũ obseruauerat, Lacydi eum iussit gratiam habere, rémque gestam narrauit, cùm Lacydes ipse nemini eam exposuisset. Sic etiam deos puto plerumque occultè benefacere, cùm ea sint natura, vt ipsa sua beneficentia delectentur. Adulatoris autem facta nihil habent iusti, nihil veri, nihil simplex, nihil liberale. Sudat, discurrit, clamat, vultum contrahit, vt ministerio speciem laboriosæ ac difficilis operæ conciliet: picturæ operosæ instar, cui evidentiæ simulacrum lasciuientibus coloribus, fractísque plicis, rugis, atque angulis paratur. Idem & narrando molestus est, dum recitat quemadmodum huius rei causa vagatus, qua solicitudine fuerit, vt offenderit alios, tum alias sexcentas res & affectus, vt dicere possis, Non erat hoc operæprecium. Etenim omnis quidem quæ exprobratur gratia, molesta est & ingrata atque intolerabilis. Sed adulatorum non postmodò, sed etiam dum adhuc exhibentur officia, exprobrationem secum trahunt & pudefaciunt. Quanto rectiùs Spartani, qui cùm indigentibus Smyrnæis cibum misissent, iíque beneficiũ hoc laudibus veherent, Nihil se admiratione dignum præstitisse responderunt, qui cùm vnius diei prandio sibi suísque iumentis decreto interdixissent, subsidiũ hoc ipsis collegissent. Huiusmodi beneficium non liberale tantùm est, sed & accipientibus eo gratius, quòd censent non magno damno præbentium se id accipere. Porrò non tantùm ex importunitate in nauanda opera aut pollicendi leuitate agnosci potest adulator, sed ipsius etiam operæ honestate siue turpitudine, & ad vtilitatem voluptatémve respectu.

Finis officij. Non enim verum est quod Gorgias dixit amicum ab amico in rebus tantùm iustis operam postulaturum, ipsi autem in multis etiam non iustis rebus operam daturum. Amicus enim

Vnà agere rectè, non peccare unà solet.

itaque amicum aut ab his quæ non decent avertet potiùs: aut si non persuadeat, eo vtetur, quod Phocion ad Antipatrum dixit, Non potes me & amico vti & adulatore, id est & amico & non amico. Adiuuandus est enim amicus in factis, non flagitiis: in consultando, non in parandis insidiis: testimonio, non fraude. Denique socius etiam adversæ amico fortunæ esse, non autem maleficij debes. vt enim aliquando cóscij amicis turpitudinis alicuius simus, non tamen consortes facti turpis esse velle debemus. Victi pugna ab Antipatro Lacedæmonij, cùm pacis conditiones componerentur, ab eo flagitârunt, vt quæ vellet damnosa ipsis, modò nihil turpe, iniungeret. Ita amicus quoque, si sumtuosum, periculosum, aut laboriosum requiretur, officium primum se volet hoc posci, alacritérque & nihil causatus obibit. tum duntaxat parci sibi volet, ac recusabit, cùm res erit cum turpitudine coniuncta. Contrà adulatorum est laboriosa ac periculosa ministeria subterfugere: & si periculi faciundi causa velvti ollam pulses, sub aliquo prætextu sonitũ reddit obtusum instar rupti vasis. in turpibus atq; abiectis & ingloriis officiis abvtere eo, calca: nihil indignũ putabit aut contumelioſum. Simiam considera. domũ vt canis custodire, ferre vt equus, arare vt bos nequit. ergo contumelias fert & scurrilitatem ac lusus, & risus instrumentum se præbet. Sic adulator cùm in dicendo, consulendo, certamina obeundo præstare operam nullam queat, labórq; eum & seria studia omnia destituant: ad ea quæ sub axilla geruntur, id est fœda & clandestina, impigrum sese offert. minister amoris est fidus, in meretrice adducẽda accuratus,

curatus, non indiligens ad diluendā de sumtu conviuij curā, industrius in cœnis adornādis, pellicibus obsequens, iussus feroçire adversum curatores, aut vxorem heri exemplo familia exturbare, absq; misericordia verecundiáve obtemperat. Itaq; ne hîc quidem difficile est eum deprehēdere. quidquid enim iusseris turpe aut indecorum, paratus est in gratiam tuam nulla in re sibi parcere. Quod si obserues quo modo erga alios sit amicos affectus, facilè quantum ab amico differat intelliges. Amico enim nihil iucundius est quàm cum multis amare atq; amari, in idq; perpetuò dat operam, vt amicus à quamplurimis diligatur atq; colatur. amicorum enim communia esse omnia censens, nihil magis putat commune debere esse atq; ipsos amicos. At falsus ille ac spurius & vitiosus, vt qui maximè intelligat se iniuriam facere amiciciæ, quam instar nomismatis adulterat, natura invidus cum sit, adversum sui similes invidentiam exercet, certans eos scurrilitate & garrulitate superare. meliores autem metuit ac tremit, non sane vt qui pedes iuxta Lydium currū incedat, sed qui collatus auro excocto ipse, vt ait Simonides, ne plumbum quidem sincerum habeat. Itaque vbi cum vero ac graui & solido cōparatus amico impedire nō potest quin leuis, adscititius, ac fallax deprehendatur: tunc eum imitatur qui gallos inscitè depinxerat. is enim puerū veros gallos iubebat lōgissimè à tabula abigere. Ita ergo adulator veros amicos arcet, neq; appropinquare sinit: aut si hoc nō potest, palàm quidē eos demulcet, colitq; & admiratur vt meliores: clāculū autē submittit aliquas & spargit calumnias. occulto autem sermone vlceris pruritum excitante * Quod si non statim rem perficit, memoria tamen tenet atque obseruat Medij dictum. Fuit is Medius chori adulatorum qui Alexandrum cingebat velvti princeps, & sophistarum summus in calumniandis optimis viris. iubebat autem suos

Adulator qualis erga veros amicos.

audacter calumnias iácere iísque mordere alios: docens, tametsi morsi vlcus consanaretur, tamen calumniæ cicatricem mansuram. His quidem cicatricibus, aut gangrænis potiùs & cancris corrosus Alexander, Callisthenem interfecit, & Parmenionẽ, & Philotam: Agnonibus autem, Bagois, Agesiis & Demetriis sese tradidit affatim supplantandum, cũ ab his adoraretur, vestiretur, adornaretúrque barbarici instar simulacri. Ita magnam assentatio habet vim, ac nimirum maximam apud eos qui maximi putantur. fidẽ enim & audaciam adulatori parat, quod ij & putant se optima habere, & ea volunt. Etenim sublimia loca difficilia aditu sunt insidiantibus: sed animi ratione non instructi altitudo atque elatio à fortunæ aut natalium bonitate profecta, paruis & humilibus aditum facilimum præbet. Quapropter & initio huius commentarij monuimus, & nunc iterum hortamur, vt sui quisque amorem & arrogantiã excindat. hæc enim adulatione occupans, faciliores nos & iã præparatos externis præbet adulatoribus. Si verò deum secuti, tenentésque summam vnicuique in eo positam esse salutis vt Norit seipsum, naturam, educationem, institutionémque nostram examinauerimus, quibus innumeri defectus pulcritudinis, plurimum vanitatis ac vitij admixtum est in actionibus, in verbis, in animi motibus: non ita facilè calcari nos ab adulatoribus patiemur. Alexander aiebat somno potissimùm ac re venerea se doceri, fidem non esse habendam iis qui ipsum deum appellabant: quòd his duabus in rebus seipso deterior esset, ac amplius æquo afficeretur. Et nos multa passim atque identidem turpia, molesta, imperfecta, ac peccata nobis inesse obseruantes, sentiemus non amico nobis laudatore atque prædicatore, sed reprehensore & liberè vitia nostra increpante opus esse. Pauci enim de multis sunt, qui liberè potiùs cum amicis loqui audeãt, quàm gratificari. ac in illis ipsis

Nosse seipsum.

paucis

paucis nō facilè inveneris qui libertate vti sciat: sed ferè putant liberè se dixisse, si vituperauerint & conviciati sint. Enimverò vt alia medicamenta, ita & libertas dicendi intempestiuè vsurpata absque vtilitate molestiam adfert ac perturbat: facítque idem quodammodo cum dolore, quod adulatio cum voluptate. Non enim laudationes modò sed & vituperationes nocent, si alieno adhibentur tempore. atque hoc maximè adulatoribus obiicit homines, cùm à nimis arduis atque adversus velvti in morem aquæ ad mollia & humilia delabuntur. Itaque lenitate oportet temperatam esse libertatem, orationíque velvt lumini adimenda est nimia copiæ vis: ne perturbati & dolore affecti ab omnia reprehendentibus & culpantibus ad adulatorem velvti in vmbrā confugiant, eóque divertant, vnde non lædantur. Omne enim vitium, Philopappe, virtute, non adverso vitio est corrigendum, in quo errant nonnulli, à nimia verecundia ad impudentiam, à rusticitate ad scurrilitatem confugientes, ac tum se lōgissimè abesse à timiditate & mollicie putantes, cum proximi videntur proteruitati esse & ferociæ. quidam etiam impietate superstitionem, stoliditatem improba astutia amoliuntur, mores instar ligni ab vna parte in alteram incuruantes, dum rectitudinis restituendæ sunt ignari. Turpissima verò est adulationis fuga, sine vtilitate molestias exhibere: omninóque rudis & imperitæ est ad benevolentiam parandam consuetudinis, insuauitate ac morositate id evitare quod in amicitia illiberale habetur atque abiectum. sicvt & parum ingenuum est in comœdia accusandi impunitatem pro æquo iure liberè dicēdi vsurpare. Proinde quandoquidem turpe est gratiæ captandæ studio adulatorem fieri, turpe item vitandæ adulationis gratia, libertate dicendi immoderata amiciciæ ac procurationis rationem corrumpere: ac vtrunq; vitium fugiendum est, atque vt aliis in rebus etiam

Libertatis in dicendo verus vsus.

Vitiorū genuina correctio.

Moderatio libertatis in dicendo.

libertatis in dicendo decorũ è mediocritate ſumendum: ipſa ratio videtur poſtulare, vt ſub finem commentarij iam huius ea de re præcipiam. Ergo cùm videamus libertati dicendi complura adhærere vitia: primo amorem noſtri cæcum demamus, ac diligenter caueamus, ne aliquam ad nos priuatim pertinentem rem velvti læſi aut dolentes videamur exprobrare. non enim à benevolentia, ſed ab ira proficiſci putant ſermonem, quo quis pro ſe ipſo vtitur: neque admonitionis loco, ſed vituperationis accipiunt. Eſt enim libertas amica res & grauitatem habet: reprehenſio & amorem ſui, & animi illiberalitatem aliquam arguit. Vnde fit, vt revereamur admirémurque liberè nos increpantes, vituperatoribus autem par pari referamus, eóſq; contemnamus. ſicvt Agamemno Achillem, qui tamen non vltra modum provehi liberè dicendo videbatur, non ferens, Vliſſi acerbè increpanti, ac dicenti,

Primo Iliad.

Perdite, cuiq; vtinam non iſte exercitus eſſet
Subditus. — concedit, ac perfert, oratione cordata & profecta ab animo de republica ſolicito correptus. Hic enim cùm nihil eſſet priuatæ cauſæ, ob publicum Græciæ commodum iſta vtebatur libertate: Achilles ſui ipſius potiſsimùm cauſa videbatur eſſe moleſtus. Quin & ipſe Achilles, homo nequaquam lenis aut placidi animi, ſed

Iliad. λ, 653.

Difficilis, ueléq; inſontem culpare paratus:

tamẽ Patroclum tacitus audiuit multa ipſi talia obiicientem,

Iliad. π, initio.

Iam neq; te Peleus genuit, neq; candida mater
Eſt tibi, ſæue, Thetis: ſed duri cærula ponti
In lucem hanc, alteq; minacia ſaxa dederunt
Immani dotatum animo.—

Sicvt enim Hyperides rhetor ab Athenienſibus poſtulabat, vt non tantùm conſiderarent an acerbè diceret, ſed & an iniquè eſſet acerbus: ſic amici admonitio

nitio omnis priuati affectus animi vacua, venerabilis est & grauis, & contra quam oculos non audeas sustollere. Vbi verò eum qui liberè repræhendit cõstat quæ amicus in ipsum peccauit planè missa facere, alia autem eius delicta arguere, & ad se non pertinentia ob facta dictis largiter incessere: id genus libertatis vim habet cui resisti nullo potest modo, ipsáq; castigantis suauitas acerbitatem & austeritatẽ increpationis auget. Itaq; rectè quidem dictum est, cùm irascimur amicis aut cum iis contendimus, tũc maximè nos agere aut spectare aliquid debere eorũ, quæ ipsis prosint aut conueniant. non minùs tamen hoc quoq; ad rationes amiciciæ pertinet, cùm ipsi negligentiùs haberi aut despici videmur, vt tũ amicos propter neglectos ab iis alios liberè admoneamus. Hoc modo egit Plato. Hic enim qua tempestate à Dionysio contemtui habebatur, erátq; inuisus tyrãno, colloquendi cum eo copiam petiit. eáq; impetrata, quòd tyrannus putabat Platonem sui ipsius causa expostulaturum atq; verba facturum, in hanc allocutus est sententiá. Si quem sentires, Dionysi, hostili animo in Siciliam appulisse tui lædendi causa, & tamẽ occasione destitui, patererísne eũ impunè hoc ferentẽ inde soluere? Nihil verò minùs, ait Dionysius. inimicorum enim nõ facta modò, sed & proposita odiũ pœnámq; merentur. ergo, subiecit Plato, si quis benevolentia erga te adductus huc se contulisset, cuperétq; tibi alicuius boni esse autor, neq; tu ei occasionẽ perficiendi præberes: dignũ est eum abs te præteriri atq; contemni? ad hoc interrogante Dionysio, quisnam ille esset: Aeschines, inquit Plato, est, moribus vt quisquã alius Socratis familiarium probis, aptúsq; ad castigãdum verbis eos quibus cum agit. qui longo mari emenso vt tecum philosophicè colloqueretur, huc profectus, negligitur. Hęc ita permouerunt Dionysiũ, vt & Platonẽ statim manu iniecta sit amplexatus, benevolentiam

Platonis egregium factum.

hominis animiq; magnitudinem admiratus: & Aeschinis honestè atq; magnificè rationem habuerit.

Libertas sine leuitate.

Proximum est, vt mala libertatis condimenta amoliamur, contumelias inquam, risum, insectationem falsam, scurrilitatem. Quemadmodum enim medicus carnem secans, agilitatem aliquã debet ac mundiciem operi adhibere, gesticulatoria autem & temeraria atque vaga mobilitate atque ociosis agitationibus manum abstinere. sic dicendi libertas dexteritatem vrbanitatémque admittit, si elegantia gratiam seruet: quam perdit omnino temeritas, leuitas, atque contumelia. Qua de causa non ineptum est illud citharœdi, neque inelegans quo Philippo os obthurauit dictum, disputare cum ipso de sonis neruorum aggresso. dicebat enim, Absit verò, rex, vt eo tu infortunij devoluare, vt harum rerum scientia me fias prior. Non rectè autem Epicharmus, qui ab Hierone, cum hic familiarium quosdam necasset, paucis pòst diebus ad cœnam inuitatus, respondit: Atqui nuper cùm immolares amicos, non vocasti. Malè etiam Antiphon: qui, cùm apud Dionysiũ quæreretur ac disputaretur quódnam æs optimum esset, id pronunciauit omnibus præstare, ex quo Athenienses Harmodij ac Aristogitonis statuas parauissent. Id genus dicta acerbitatem habent inutilem, & scurrilitatem iocúmque non delectantem. sed incontinentium est, odium malicia ac cõtumelia permixtum gerentium, quo vtentes sibi ipsis exitium conflant, saltantes (quod in proverbio est) circũ puteum. Nam & Antiphontem interfecit Dionysius: & Timagenes amicicia Cæsaris excidit, cùm nulla vnquam libera voce vsus, in conviuiis intérq; deambulandum identidem nullius seriæ rei gratia, sed

Iliad. ϛ, 215. *Vt foret unde corona cachinnum tollere posset,*

convicia sub amiciciæ iáceret prætextu. Etenim & comici in theatris multa odiosa atque ciuili ratione de-

deprompta protulerunt. sed ridicula iis & scurrilia admixta velvti cibis intritum vitiosum, effecere invtilis vt esset & inanis libertas: ac propterea actores in crimen malignitatis atq; impuritatis inciderunt. Proinde licet ioco & risu adversum amicos etiá vtcunque vti: sed libertas in dicendo seria debet esse ac modesta: & si graue sit argumentum, affectu etiá, gestu, ac contentione vocis orationi autoritas mouendique vis concilianda est. Occasionis autem neglectio cùm aliis omnibus in rebus est damnosa, tũ vtilitatem præcipuè libertatis perdit. Satis verò liquet inter pocula & apud ebrios ea abstinendum esse. Nubem quippe serenitati inducit, qui inter iocos & hilaritates orationem mouet quæ superciliũ attollat, & seueritatem vultus inducat, quasi adversans Lydio deo, qui, vt ait Pindarus, funem molestarum soluit curarum. Sed & magno cum periculo importunitas vsurpatur. Sunt enim animi ob vinum ad irá præcipites, & sæpe ebrietas libertatem in inimiciciam convertit. Omnino autem neque generosi neque audacis, sed timidi est libertate apud sobrios abstinere, in mensa latrare, sicvt solent ignaui canes. Itaque hac de re nihil attinet prolixiùs disserere. Iam cùm multi amicos rebus secundis vtentes neque velint neque audeant castigare, sed planè inaccessam admonitioni prosperitatem putent: eosdem verò in calamitatem aliquam prolapsos adoriantur atque calcent fractos iam & humiles, & in eos torrentis instar præter naturam aucti invehantur, abvndè libertatis adversus eos promentes, lętíque mutatione hac fruantur, cùm ipsi antè imbecilli, isti superbi fuissent. ex vsu est hac quoque de re verba facere, & Euripidi dicenti

Cùm res secundæ sunt, quid amicis est opus?

respondere, Maximè amicis libero ore loquentibus opus esse ei cui fortuna est prospera, qui nimios retundant spiritus. Pauci enim sunt qui non succes-

Vbi abstinendum libertate oris.

Rebus secundis libertas, non

adversis adhibēda.

sibus lætis insolescant: plerique indigent aliorū externis consiliis, rationibúsque foris eos deprimentibus à fortuna inflatos & æstuantes. vbi fortuna in aduersam mutata fastu exuit, ipsæ calamitates in se habent quod pœnitentiam inducat & castiget. Itaque afflictis rebus nullus est vsus liberarū amici vocum, aut molesti ac mordacis sermonis: sed revera in his mutationibus

Faciem intueri dulce est hominis benevoli,

consolantis atque animum addentis: quomodo Xenophon ait prœliantes aut aliis in periculis constitutos milites viso Clearchi placido ac benigno vultu animosiores fuisse redditos. At qui libertatem dicendi morsúmque homini infortunio icto adhibet, perinde agit ac qui oculo conturbato ac inflammato medicamentum iniicit quod visum acuat: nā neque sanat aut quicquam de dolore deminuit, & irā dolori addit, exasperátque ægrum animum. Et quidem rectè valenti amico molestus non est, neq; planè agrestis videtur, reprehendens nimium eius venereæ rei ac vini vsum, ignauiam, adsiduā in gymnasiis & balneis obversationem, & repletiones corporis intempestiuas. ægrotus tolerare non potest, sed ipso morbo molestius ipsi est audire, Hæc tibi evenerunt ex intemperantia & mollicie, ex vsu ciborum & mulierum. ô, dicet, te hominem intempestiuum: ego testamentum condo, castorium mihi aut scammoniam præparant medici: tu me verbis castigas & philosopharis. Eodem modo res quoque adversa fortuna laborantium non libertatem, non sententiarum recitationem requirunt, sed æquanimitatem & auxilium. Nam & nutrices puerulis cadentibus, non accurrunt vt maledictis incessant, sed erigunt, abluunt, sedant: posteà tandem obiurgant atque castigant. Demetriū ferunt Phalereum, cùm patria exulans apud Thebas obscuram humilémq; vitam ageret, accedente Cratete nónihil cepisse molestiæ,

leſtiæ, Cynica eum erga ſe libertate aſperíſque vſurum ſermonibus opinantem. Sed cùm Crates comiter ipſum allocutus de exſulio diſſeruiſſet, docuiſſétq; illi nihil mali, aut quod deberet ferre iniquiùs accidiſſe, negociis liberato periculoſis atq; lubricis: hortatúſque eſſet vt in ſeipſo animíq; affectione ſui omnem collocaret fiduciã. ibi tum Demetriũ moleſtia abiecta, animóq; recepto amicis dixiſſe: Piget verò me actionum iſtarum atque occupationũ, quarum culpa tantum virum non licuit videre.

Quippe ægrum animum uox comis amicorum iuuat.
Stulto nimis debetur caſtigatio.

Atq; hi ſunt mores ingenuorũ amicorũ. Degeneres & abiecti fortuna fauente adulatores, ſicvt Demoſthenes aiebat rupturas & cõvulſas partes tũ demũ moueri cùm corpori malũ aliquod accidit, ipſi quoque mutationibus inhæreſcunt, quaſi fruentes iis & ſeſe oblectantes. Etenim ſi qua opus eſt commonefactione iis, in adverſitatibus, in quas ſe ipſum aliquis conſilij ſui prauitate coniecit, ſufficit hoc:

Hoc equidem ſine mente mea, qui plurima dixi
Diſſuadens tibi rem. — *Ilia l. 1, 108.*

Vbi ergo, dices, vehemens debet eſſe amicus, & liberæ increpationis vigore vti? vbi inquam inhibendus eſt ad voluptatem, iram, contumeliámve factus impetus, aut auaricia excutienda habitúſve animi alius ſtultus oppugnãdus. Sic liberè Solon Crœſum monuit, inſtabili rerum proſperitate corruptum ac luxuriantem, Finem reſpicere iubẽs. Ita Socrates Alcibiadem repreſsit, cõvictóq; vitij veras extorſit lacrumas, ac cor invertit. Talia ſunt Cyri ad Cyaxarem, Platonis ad Dionem, cùm eũ ſplendentem ſua ma gloria, & ora omniũ hominum in ſe ob pulcritudinem facinorũ converſa habẽtem cauere ſibi iuſſit, & metuere ab eo vitio, quo ſibi ſoli placere aliorum

Liberæ voces vbi ſurpandæ.

Epiſt 4.

spretis iudiciis homines solent, quòd ei vitio adsideat solitudo. Scripsit ad eundem Speusippus, Non debere eum altos ducere spiritus propterea quòd multus de ipso sermo esset apud pueros & mulierculas: sed dare operam, vt sanctimonia, iusticiáque & optimis legibus ornata Sicilia, gloriam Academiæ conciliet. Euctus contrà & Eulæus Persei socij, cùm rebus vtenti secundis perpetuò assentati essent, & omnia eius momenta insequendo comitati, apud Pydnam prœlio cum Romanis congressum atq; victum adorti acerbè obiurgauerunt, & singula eius peccata ac delicta cõmemorantes exprobrauerunt, tantisper donec dolore iráque exagitatus vtrunque pugione occídit. Definitum hoc modo esto, quæ sit in vniuersum liberè dicendi occasio. Interim omittendæ hæ non sunt amico fideli, sed arripiẽdæ quas ipsi amici sæpe præbent occasiones. aliquando enim interrogatio, narratio, similium rerum laudatio aut vituperatio, ansam libertati exhibet. Hoc modo Demaratus Corintho in Macedoniam cum venisset sub id tempus, quo cum vxore & filio Philippus diffidebat, amicè à Philippo exceptus, interrogatúsq; quomodo Græcis inter se conueniret, dicitur (vt erat ei benevolus atque familiaris) respondisse: scilicet verò Philippe, rectum est te inquirere de concordia Athenienſium & Peloponnesiorum, qui familiam tuam pateris tanta seditione & dissentione laborare? Rectè etiam Diogenes, qui in castra Philippi in bellum contra Græcos proficiscentis cum venisset, essétque ad regem adductus, & non agnitus interrogaretur ab eo númnam explorator esset: Omnino, inquit, sum tuæ, Philippe, stulticiæ atque amentiæ explorator, qui nulla necesitate vrgente de regno & corpore tuo venis vna hora fortunæ aleam subiturus. atque hoc quidem videri potest dictum vehementius. Alius modus est castigandi verbis, cùm ob delicta sua aliorũ maledictis impetiti

petiti animos ponunt ac submissiores fiunt. eóque accuratè vtetur scitus atque elegans amicus, obtrectatores depellens atque refellens, priuatim autem amicum compellans atque monens, vt si nullam aliam ob rem, saltem ea de causa viuat cautiùs, ne ferociendi materiam inimicis præbeat. quo enim ore iis respondebis, inquiet, si vltrò ipsis ea porrigis, ob quæ malè audias? hoc pacto offensa conviciatori, vtilitas monitori adscribitur. Alij venustiore vtentes ratione, aljis obiurgandis, suos, quos in eodē quod illis obiiciunt, esse sciunt vitio, castigāt. Ammonius magister noster in conventu vespertino, cùm animadvertisset discipulorum aliquos vsos esse prandio non simplici, puerum suū à liberto verberari iussit, causatus eū absq; aceto prandere non posse: simúlq; in nos respexit, ita vt obiurgatio reos tetigerit. Ad hæc cauendum est, ne coram multis libertate adversus amicū vtamur. tenendúmq; illud Platonis. Cum enim Socrates in conviuio disputans quendam familiarium acriùs incesseret, Platoni dicenti, Nónne præstabat hæc priuatim loqui? respondit, Et tu nónne rectiùs de hoc ipso seorsim me monuisses? Ferunt adolescentulum quendam à Pythagora, cui operam dabat, multis præsentibus compellatum asperiùs, suspendio vitam finiisse. atque ab eo tempore Pythagoram nunquam alio præsente quēquam corripuisse. Oportet tāquam morbi turpis, ita peccati etiam detectionem & sanationem occultā esse, nihil pompæ, nihil ostentationis habentem, neque testes spectatoréque adducentem. Non enim amici est, sed rabulæ, in alienis gloriam quærere peccatis, venditantem se ostētatione sua præsentibus. sicvt in theatris medici manibus gesticulantur, vt suæ operæ cō ductores sibi parent. Porrò absque etiam sit contumelia (quæ sanè abesse ab omnibus debet remediis) considerandum tamen est quàm sint pertinacia atq; contumacia vitia. Non enim quod est apud

Sub aliena persona castigare.

Obiurgationes priuatim fieri debere.

Euripidem, amor dũtaxat castigatus magis premit, sed quodvis omnino vitium si quis coram multis liberiùs repræhendat, impudentiam induit. Sicvt igitur Plato senes, vt verecundiam adolescentibus ingenerent, primùm ipsos vult verecũdè versari cum adolescentibus: ita verecunda amici libertas maximè pudore afficit: & cùm peccantem sensim cautéq; adorimur, subruitur atque aboletur vitium, dum verecundia occupatur is quem verecũdè tractauimus. Quare percommodè vsurpatur illud,

Odyss. x, 157. *Admoto capite, ut reliqui exaudire nequirent.*

Minimè autem convenit vxore audiente maritum, patrem coram liberis suis, amatorem præsente amasio, aut apud discipulos magistrum obiurgare, nam præ ira ac dolore transversi aguntur, qui coram iis repræhenduntur, apud quos volunt in precio & existimatione proba esse. Ac nisi fallor, non tam ebrietas fecit quod ita grauiter commotus Cleti obiurgatione fuit Alexander, quàm quòd multis coram testibus eam vsurpauit. Aristomenes etiam Ptolemæi præceptor, cùm hunc in legatione audienda dormitantem excitasset, ansam adulatoribus præbuit, simulãtibus se regis causa factum indignè ferre, ac dicentibus ei: si post tantas defatigationes ac vigilias somnus tibi obreperet, priuatim eras admonendus, non manus tibi tot hominibus præsentibus iniiciendæ. ita Ptolemæus Aristomeni calicem veneno plenum misit, vtque biberet adegit. Cleoni etiam Aristophanes hoc exprobrat, quòd

Malè ciuitati diceret audientibus
Coràm peregrinis,— Athenienséq; iritaret.

Ostentatio. Itaq; inter alia magnopere cauenda est ostentatio, & popularis applausus captatio. sed cùm libertate dicendi volumus vti, faciendum est hoc vtiliter atque ad sanandum vitium aliquod accommodatè. & quod Corinthij nõ malè, vt est apud Thucydidem,

de

de seipsis dixerunt, dignos se esse qui alios vituperent, id in promtu habere debent, qui libertate dicendi volunt vti. Lysandrum perhibent Megarensi cuidam, cùm is inter socios pro Græcia liberiùs diceret, respondisse, sermones eius ciuitate opus habere. Sed profectò libertas dicentis morũ probitate vt commendetur requirit: idq; rectissimè obiicitur alios monentibus atq; castigantibus. Nam Plato sue se vitę exemplo dicebat corrigere Speusippũ. sicvt & Polemonem Xenocrates conspectus tantũmodò in schola, & ipsum intuitus, ad aliud vitæ genus traduxit. Homini autem qui leuis sit, & moribus prauis, si liberè obloqui alij conetur, licebit sem per occinere illud,

Aliis medetur, ipsus ulceribus scatens.

Communicatio culpæ.

Veruntamen quandoquidẽ sæpe res ipsa nos adigit eò vt alios castigemus dictis, quamvis vitio ipsi non carentes: id hoc modo faciemus commodissimè, si quam obiicimus culpam, in ea nos quoq; ipsos esse quovis modo fateamur. quo sensu dictum est hoc:

Cur nos uirtutis Tydida obliuio cepit? *Iliad. λ, 313.*

& illud:

Nunc non arcendis uel solius Hectoris armis Sufficimus? *Iliad. θ, 234.*

— Et Socrates ita paulatim adolescentes redarguit, seipsum quoq; nõ vacare insciti a simulans, sed vnà cum illis se debere virtuti operam dare & verum quærere profitens. Benevolentiam enim autoritatémq; sibi parant, qui cùm eadẽ in culpa esse, tum amicos eodem quo seipsos modo corrigere videntur. Atqui alteri detrahẽs seipsum iactat, quasi sincerum & vitij expertem, nisi vel ætate multo sit grauior, vel ob virtutem nota sit autoritate atque gloria, pro molesto importunóq; habetur, & nihil adfert vtilitatis. Non ergo abs re Phœnix sua ipsius delicta protulit, qui per irã interficere patrem voluerit, móxq; mutauerit sententiam,

Iliad. ſ. poſt verſum 457. deeſt.

Ne patris (inquit) occiſor Græcos ego dicier inter
Perferrem. — ne Achillem obiurgans, arrogare ſibi videretur nihil ſe per iram peccaſſe. Penetrāt autem huiuſmodi admonitiones blandè, faciliúſq; cōcedimus iis qui eodem modo lapſi, quàm qui deſpicere nos videntur. Quoniam autem neque lumē clarum inflammato oculo debet obiici, neque affectu concitatus animus libertatem admittit obiurgationémq; meram, inter vtiliſsima adiumenta eſt admixtio laudis modicæ, vt in his:

Iliad. μ, 116.

Vos verò turpe eſt forti deſiſtere pugna,
Argolicas inter primos virtute cohortes.
Haud equidem certare viro lubeat mihi, bellum
Qui fugiat timidus: grauiter ſuccenſeo vobis.

Et illud:

Iliad. ι, 171.

Pandare, qui nulli es noſtrorum laude ſecundus,
Arcus ubi tuus eſt, uolucres ubi ſuntq; ſagittæ?

Sed & huiuſmodi vehementer revocāt in peius ſublabentes.

Vbi Oedipus nunc eſt, & clara ænigmata? &,
Tam multa paſſus ſicne loquitur Hercules?

Non enim modò excitat reprehenſionis aſperitas vim habens imperioſam, ſed & ſui ipſius æmulationem ingenerat, & recordatio bonorum ſuorum verecundiā increpato incutit, præclarè facta ſua ſibi ad imitandū proponēti. Si verò alios cum eo cōpares, vt æquales, ciues, cognatos: pertinacia vitij indigna tur atq; exaſperat. & ſæpe hoc modo increpati ſtomacho moto occlamant: quin tu ergo me miſſum facis, ádq; illos me præſtantiores abis? Cauendum eſt ergo dum liberè aliquem incuſamus ne alios laudemus: niſi fortaſsis eorum parentes, vt Agamemno:

Iliad. ι, 800.

Non equidem ſimilem natum genuit ſibi Tydeus.

& Vliſſes in Scyriis:

Illuſtre generis lumen dedecorans tui

Proles

Proles parentis Graiûm præſtantiſsimi
Lanificium tractas? —

Minimè autem conuenit caſtigationem caſtigatione, libertatem libertate viciſsim compenſare. facilimè enim hinc diſcordiæ exardeſcunt, omninóque concertatio hæc non libertatem viciſsim vſurpantis, ſed eam non ſuſtinentis videri poteſt. Præſtat itaque ferre amicum obiurgantem. qui ſi ipſe poſtmodò peccet, ac opus habeat caſtigatione: hoc ipſi libertati dicendi libertatem iam quandam parauerit. commonefactus enim abſque offenſæ obiectione, quòd ipſe quoque non negligere amicos delinquentes, ſed arguere ſoleat atque docere, faciliùs cõcedet, & correctionem admittet, quã ſentiat benevolentiæ & gratiæ eſſe, non reprehenſionis aut iræ compenſationem. Porrò ſicvt Thucydides ait qui ob rem maximam ſubit invidiam, eum rectum ſequi conſilium: ita & amicus debet moleſtiam caſtigandi in magnis modò rebus, & in quibus plurimum eſt ſitum momẽti, in ſe recipere. ſi enim omnibus in rebus difficilem ſe præbeat, ac cum familiaribus pædagogi potiùs quàm amici more agat, admonitiones eius in ſummis rebus hebetes erunt & inefficaces: cùm medici inſtar libertatem acre medicamentum aut amarum quidem, ſed neceſſarium & precioſum in multa minuta & non neceſſaria invtiliter abſumſerit. Ipſe igitur ſummo ſtudio cauebit ne continentibus vtatur querelis. ſocio autem in omnia curioſe etiam minima inquirente & calumniante, anſam ipſe habebit maiora eius peccata reprehendendi. Philotimus medicus, cùm quidam pure circa iecur laborans, ei digitum exulceratum commonſtraſſet: Heus, inquit, non tibi cum reduuia eſt negociũ. Sic & occaſio dabitur, cùm amico parua quædam & nullius momẽti culpanti, iocos putà, conuiuia, nugas, dicere poſsimus: Ille verò ſcortum

Certamen libertatis.

Libertatis vſus in magnis rebus.

ableget,aut finem aleæ imponat, aliis in rebus quãtivis nobis erit precij. Qui enim veniam minutorũ impetrat,non illibenter de maioribus liberè dicẽdi facultatẽ amico concedit. qui vbiq; incumbit,semper odiosus ac molestus, omnia cognoscens,omnia curiosè percunctans,is neque liberis tolerabilis est, neque fratribus,imò ne serui quidem ferre eum possunt. Cæterùm quoniã neq; senectuti, vt est apud Euripidem, neq; amicorum stulticiæ omnia adsunt mala: debemus non delicta modò amicorum, sed & rectè facta obseruare,ac sanè initio alacriter collaudare. & sicvt ferrum priùs vi ignis laxatum atque emollitum,deinde frigidę immissum densatur ac duriciem cõsequitur:ita amicis, postquam laus eorum animos calefecit atq; relaxauit, paulatim quasi tinctura loco adhibẽda est libertas reprehensionum. Offeret enim se occasio,vbi dicere poteris: Hæccine cum illis comparari dignum est? Viden' quos fructus honestum referat? hæc abs te poscimus amici, hæc sunt conuenientia, ad hæc te natura formauit: illa verò alia repudianda sunt,& amandanda

Laus libertati miscenda.

In montem,rapidas aut obstreperi maris undas.

Vt enim humanus medicus somno aut victu mallet morbum depellere, quàm castorio aut scammonio: ita & amicus verus & benignus pater & magister laude magis quàm vituperatione vti gaudet ad morum emendationem. neque quicquam facit vt liberæ correctiones tam & parum molestiæ, & multum vtilitatis secum trahant, quàm cùm eæ sine ira placidè & animo benevolo peccantibus accommodantur. Itaque neque arguendi sunt acerbè qui inficiantur,neque purgandi sui potestas adimenda:sed in argumentis honesti prætextus excogitandis vtcunque adiuuãdi sunt, & causa deteriore omissa tolerabiliores suggerendæ. Ita Hector:

Infelix,animo tantas malè tu geris iras.

Iliad. ζ. 326

sic

sic enim Paridē alloquitur, & eius digressum è prœlio iram vocat, non fugam aut timiditatem. Et Agamemnoni Nestor:

Sed te magnanimi iuuit concedere cordis Iliad.1,109
Motibus. —

humaniùs enim hoc nimirum dictum est, quàm Iniuriā feciſti, inhonestè egiſti. & lenius est, Non percepiſti, quàm Ignoraſti: Noli certare cum fratre, quàm Noli invidere fratri, & Fuge mulierem quę te corrumpit, quàm Define mulierem corrumpere. Hunc enim modū libertas ad sanandum comparata requirit: diuersum ea, quæ in agendo occupatur. Cū enim oportebit peccaturum ab incepto depellere, aut violentū animi impetum in diuersam partem avertere, aut ad res pulcras animo languentem incitare: tū rē præsentē ad causas indecoras ac absurdas trāsferemus. Ita apud Sophoclē Vlisses Achillē inſtigans, negat eum cœnæ gratia iraſci: ſed (inquit)

Troie times iam conſpicatus mœnia.

rursūmq; hæc admodum iniquè ferente Achille, & se cum suis nauibus abiturum dicente, ait:

Non me latet quid fugias: non opprobria,
Sed Hector eſt propinquus, hunc non ſuſtines.

Duplex libertas.

Sic ergo animosum & fortem opinione obiecta timiditatis, temperantem & modestum intemperantiæ, liberalem & magnificū sordium & auariciæ terrentes, ad honesta excitamus, & à turpibus depellimus, & vbi remedio mali locus non est relictus, ibi mediocres nos gerimus, inque libertate dicēdi plus miserationis ac mœsticiæ quàm reprehensionis adhibemus: in puniendis autem delictis, & oppugnandis animi prauis motibus vehemētes, inexorabiles, adsiduíque sumus. hæc enim occasio benevolentiæ nihil blandientis, genuinæque libertatis indiget.

Alioquin vituperatione factorum videmus etiam inimicos vti. Et Diogenes dicebat eum

qui saluus esse deberet, amicis bonis, aut infensissimis inimicis opus habere: illi enim docent, hi reprehendunt. Præstat verò consulentibus obtemperantem vitare peccata, quàm commissa culpa pœnitentia ob maledicta affici. Atque hanc ipsam ob rem tanto accuratiore cum artificio adhibenda est libertas dicendi, quàto ea maximum est & validissimum in amicicia medicamentum, occasionis felicem conjectationem & temperiem moderatam requirens. Quia igitur, vt docuimus, libertas dicendi sæpenumerò molesta ei est, ad quem sanandum adhibetur, imitari debemus medicos. Neque enim illi vbi sectionem adhibuerũt, partem affectam in dolore relinquunt, sed hunc placidè rigando ac perfundendo amoliuntur: nec qui ciuiliter verbis obiurgant, acerbitate & morsu orationis defuncti aufugiant, sed aliis colloquiis, sermonibúsque lenibus demulceant ac recreent. quemadmodum lapicidæ statuas asperè excisas læuigant atque poliunt. Ictus autem aliquis libera oratione & compunctus, si relinquatur asper animóque ob iram turgente & æstuãte, in posterum ad æquanimitatem reuocari ac consolando deliniri vix potest. Quare hoc inter præcipua obseruandum est, ne verbis amicum castigantes, colloquium verbis molestiam afferentibus & iritantibus abrumpentes discedamus.

Lenia' post libertatem adhibẽda.

PLVTARCHI

Libellus, Quomodo quis suos in virtute paranda sentire posit profectus.

PRoterítne aliqua, Sosi Senecio, ratione cóscius sibi quispiam suorum esse ad virtutem profectuum, si nullam ij de stulticia faciunt deminutionem, sed vitium æquali semper pondere appensum

Plumbi

Plumbi instar est, deorsum quo rete trahitur.

Certè enim neque in discenda grammatica se proficere aut musica intelliget, qui nullam partem ignorationis istarum rerum deponat, sed eadem semper in inscitia perseueret. neque medicina ægroto, quæ eum nihil alleuet, aut vtcunque remittente ac concedente morbo leuiusculè habere efficiat, vllum sensum mutatę in melius valetudinis afferet, antè quàm corpore pristinæ sanitati reddito contrarius habitus integer morbo succesſerit. Sanè vt his in rebus profectus nullus est, si inter proficiendum pondere vitij tanquam in trutina diminuto, rursum in diuersam partem facto momẽto mutatio lateat. ita etiam his qui philosophiæ animum adiecerunt, nullũ profectum, neque profectus sensionem vllã tribui permittemus, si nulla pars stoliditatis animo fugatur atque expurgatur, sed donec summo perfectóque is bono potiatur, meris vitiis interim occupatur. Non enim aliquis sapiens fieri potest, quanta esse potest maxima vitiositate in virtutis habitum omni accessione superiorem puncto temporis mutata: quam (dico) vitiositatem non temporis aliquo spacio abiecerit, sed subitò totam simul exuerit. Nosti verò hoc qui fieri affirmant, quãtis seipsos implicent molestiis, ac quam difficiles agitent quæstiones, quánam fiat ratione, quòd non animadvertit aliquis etiamnum sapiẽtem se factum, sed ignorat atque ambigit: eo quòd longo temporis decursu paulatim addendis aliis, aliis detrahendis ad virtutem progressus fecit, & quasi viam sensim carpendo ad virtutem pervenit. Quod si celeritas & magnitudo mutationis tanta esset, vt qui manè fuerat deterrimus, vesperi redderetur optimus: aut ea sic alicui accideret, vt cùm obdormiuisset vitiosus, expergiscereturr sapiens, dimissáque ex animo hesternas fatuitates & imposturas ita compellaret,

Insomnia uana ualete, nihil eratis:

ísne ignoraret tanto se à seipso discrimine fuisse mutatum, & prudentiá subitò ac confertim elucescentem? Mihi quidem videtur faciliùs homo, si instar Cænei ex voto vir de muliere fieret, transformationem sui ignoraturus: quàm vt nõ sentiat aliquis mutationem sui, è timido, stulto, atque incontinẽte fortis, prudens temperánsq; redactus, momentóque temporis è belluina in diuinam viuendi rationem translatus. Enimverò rectè dictum est,

Applicandus lapis amussi, non ad lapidem amussis est.

Stoicorum decreta cũ rebus pugnant.

At Stoici nõ sua rebus accommodãtes decreta, sed res ad decreta sua, cum quibus cõsentire eas natura nõ sinit, detorquentes, multis difficultatibus philosophiá impleuerũt. quarũ maxima est, qua homines, solo perfecto excepto, vni omnes vitio statuuntur subiecti, ex qua ænigma illud enatum est, quod Procopẽ ipsi Græcè, nos Latinè puto Profectũ dicimus. qui profectus cum ab extrema demẽtia exiguo distet intervallo, eius beneficio ab omnibus expeditos animi perturbationibus ac morbis, non minùs miserá vitá degẽtes iis relinquit, qui nullo summorum malorũ sunt liberati. Atq; hi quidẽ seipsos repellunt. qui cũ in scholis iniusticiá Aristidæ & Phalaridis exæquẽt, metúmq; Brasidæ timori Dolonis parẽ dicant, neque quicquá inter Meliti ac Platonis animi errorẽ differre: in vita & actionibus fugiẽtes illos vt implacabiles, his vt magni precij hominibus maximus in rebus vtuntur atq; fidũt. Nos autẽ cùm in omni vitiorũ genere, maximè autẽ inordinato ac confuso animi statu, gradus quosdá quantitatis inesse videamus, (vnde etiá discrimen est profectuum, prauitate instar vmbræ dilabẽte, dum ratio animum sensim illustrat atq; expurgat) nõ putamus mutationis sensionẽ, ratione nulla æstimari, (quomodo qui ex profundo subitò attollũtur, morá motus supputare

tare nequeunt) sed rationes eius iniri posse de quibus hoc primùm cósideremus. Quemadmodum qui datis velis vastũ pelagus nauigant, cóparata tẽporis ratione cum robore vẽti, colligunt quantum confecerint spaciũ. sic & philosophia profectuum suorum rationem ex assidua progressuum cõtinuatione ratiocinari potest: quæ non multis institionibus, ac rursum impetibus ac incitationibus in medio factis, sed planè æquabilitérq; ad vlteriora semper ábsq; offensa vsu rationis ac doctrinæ progreditur. Quod enim dictum est,

Nam si uel paruum pergas superaddere paruo,
Idq; frequenter agas, magnum citò habebis acerum:

Continuatio philosophiæ.

non de pecunia duntaxat augenda verum est, sed ad omnia pertinet, maximè ad virtutis incrementum, cùm ad doctrinã adsidua atq; efficax adiungitur adsuefactio. contrà inæqualitates ac segnicies philosophantium, non modò inhibent progressus, velvti iter interrumpentes institutum: sed etiam regressus causa sunt, cùm subsistentem vitia identidem per ocium adoriantur, ac retrò auferant. Errantes quidem stellas mathematici finito eorum in anteriora progressu insistere perhibent. At in philosophando profectus nullam facit intercapedinem, nunquam intermittit aut subsistit. sed ingenium semper aliquo citatum motu, ac velvti in trutina situm nunquam nõ momento aut ad meliora facto fertur, aut in diuersam partem ad mala exitiosè impellitur. Si igitur secũdum Cirræis datum oraculum, quo dies noctésque belligerare iubebantur, conscius tibi sis dies te noctésq; contra vitia depugnare, aut saltem non sæpe statione abire, neque continenter velvti induciis factis internuncios ab iis, voluptates aliquas aut oblectationes aut aliena negocia, accipere: non iniuria alacri confidentíque animo ad reliqua perges. Quin etiam si feceris aliquas

Pugna aduersus vitia continens.

philosophandi intercapedines, ita tamen vt posteriora tua studia prioribus constantiora fuerint ac prolixiora: id non leue indicium præbet, ignauiam esse labore ac exercitatione elisam. contrà malum est signum, si post exiguum tempus multis & continentibus cessationibus alacritas velvti elanguescēs retundatur. Sicvt enim calamus ab initio maximo & pulcerrimo incremēto adsurgit in æquabilem & continuam lōgitudinem, magnisque intervallis exigua admittit interstitia: dein vbi in altum se erexit, velvti qui ob anhelitus angustias in conscendendo sublimi loco animum despondent, propter imbecillitatem suam multis ac crebris nodis intercipitur, spiritu ictum tremorémque patiente. sic qui initio magno cursu ad philosophiam contenderunt, si deinde nullum ad meliora profectum sentientes crebrò impingant atque ab instituto avellantur, ad extremum omnino defatigantur ac desperant. At verò alter ille velvti alatus, ad vtilitatem propositam rectà fertur, omnésque præcidit prætextus, (velvti turbam impedientē) vi & alacritate industriæ. Sicvt igitur signum est amoris incipientis non delectatio quæ pulcri præsentia percipitur, (est enim hoc vulgare) sed morsus & dolor qui avulso eo sentitur: ita multi capiuntur philosophiæ studio, & valdè magno cum conatu se ad discendum conferre videtur: vbi verò aliis rebus aut negociis avocantur, animi iste motus evanescit, eáque facilè carent.

Amor philosophiæ.

Amoris at morsum qui ueri senserit,

is tibi præsens vnáque philosophans moderatus videbitur ac placidus. avulsum verò ac seorsim agentem cerneres inflammatū, animíq; ægrū omniúmq; rerum & occupationum odio affectum, & tāquam si rationis expers esset amicorum oblitū desiderio philosophiæ impelli. Nō enim vt vnguēto, sic doctrina præsentes delectari debemus, absentes non eā requirere, neq; cum molestia carere: sed verè proficientis

cientis in philosophia est, simile aliquid fami ac siti sentire si avellatur: siue nuptiæ, siue diuitiæ, siue amicicia, siue expeditio incidēs eum à philosophiæ studio seiungat. quanto enim plus ex philosophia perceptum est, tanto maiorem animo molestiam exhibent quæ relinquuntur. Cum hoc nimirum aut eadem, aut proxima ei est antiquissima illa Hesiodea profectus declaratio, cùm iam non ampliùs ardua aut nimis accliuis est via, sed facilis, ac plana, & expedita: quippe exercitando læuigata, illatóq; in philosophandi conatum lumine iam & splendore, post hæsitationes, errores, institutiq; mutationes illas, in quas incidunt initiò, qui se philosophiæ dāt: exemplo eorum, qui terra sibi nota relicta, nondum eam cernentes quam petunt, solicitudine anguntur. Sic enim isti communibus & consuetis studiis relictis, priusquam meliora cognoscant atque consequantur, in medio sæpenumerò circumaguntur ac subvertuntur cursu. Simile est, quod de Sextio Romano narrant, eum vrbanis dignitatibus honoribúsq; resignatis vt philosophiæ vacaret, cùm inter philosophandum ab initio graues sentiret molestias, animúsq; doctrinam ægrè amplecteretur, parum abfuisse quin sese de biremi quadam in mare abiiceret. Et Diogenem memorāt Sinopensem cùm philosophari cepisset, ac fortè Athenienses festos agerent dies, epularentúrque splendidè, spectaculáque essent, & cōuiuia ac comessationes per totam noctem ducerentur, in quodam fori angulo pannis involutū somni capiendi causa iacentem, in cogitationes incidisse animū ipsius non leuiter ab instituto auertentes atque frangētes, reputantem nulla se necessitate vitæ genus laboriosum atq; à communi vsu alienū iniuisse, ac seipsum omnibus bonis priuasse. vt verò murem arrepere, & circa micas mazæ eius obversari vidit, animū rursus erexisse, ac seipsum increpasse damnauissēque. quid ais (inquientē) Diogenes? mus

Animi obfirmatio.

hic reliquiis tuis lætus vescitur, tu verò præclarus scilicet homo teipsum deploras, quòd non isthic in stragulis teneris atq; floridis inebriare? Cæterùm vbi non frequētes huiusmodi aversiones accidunt, animúsq; tāquam è fuga adversum eas sese celeriter obiiciens & efferens facilè molestiá ægritudinémq; dissipat: existimandum est profectū probè esse confirmatum. Quoniam verò philosophantibus non modò à seipsis incidunt, quæ eos imbecilles etiamnum concutiant & in diuersam partem avertāt: sed & seria amicorum consilia, & diuersorum repræhensiones ioco risúq; mixtæ flectunt & molliunt, nonnullos etiam prorsus è philosophia excusserunt: nō leue indicium profectus fuerit æquanimitas hominis erga talia, non perturbati neque morsum passi, cùm ei narratur æquales aliquos ipsius in aulis regum florere, aut dotatas duxisse vxores, aut cætera hominum stipatos in forum petēdi magistratus, vel patrocinandi gratia descendere. qui enim adversus talia imperterritus est, neque iis mulcetur, eum constat iam ita vti debuit captum devinctúmque philosophię esse. quod fieri non potest vt mirari desinamus quæ vulgò in admiratione sunt, nisi ingenerata sit nobis iam virtutis admiratio. Etenim vel ira nonnullos mouet, vel dementia, vt adversus homines ferociāt, quas verò res multitudo hominum plurimi facit, eas cōtemnere nisi vera constantíque animi præditus elatione potest nemo. Tales qui sunt, sua cum istis comparantes, seipsos alto animo iactant atque exhortantur, vt Solon:

Contemtus externorū bonorum.

At nos uirtutem non permutabimus horum,
Pulcráque uirtutis munera, diuitiis.
Virtutis quoniam semper possessio perstat:
Incertæ uaria sorte feruntur opes.

Ac Diogenes suam Athenis Corinthum, Corinthóque Thebas trāsitionem, regis Persarum migrationibus

nibus comparabat, vere Sûsis, hyeme Babylone, æstate in Media commorantis. Et de eodem rege Agesilaus: Quî enim, aiebat, maior me ille sit, si non etiam iustior est? Aristoteles quoque de Alexandro ad Antipatrum scribens, Non illum modò affirmabat animo debere efferri ob imperij magnitudinẽ: nihilo enim minus id licere ei, qui veram deorum noticiam habeat. Ac Zeno videns Theophrastum in admiratione haberi ob discipulorum multitudinem: chorus eius, inquit, maior est, meus meliùs cõcinit. Cùm itaque virtutem hoc modo externis rebus opponens, invidias, obtrectationes, aliósque id genus affectus qui multos philosophari orsos vrunt atque animum eorum deprimunt eieceris, id quoque magnum argumẽtum tibi tui sit profectus. Non paruum est etiam, orationis mutatio. Omnes enim ferè qui ad philosophiam primùm accedunt, eam sectantur quæ ad gloriam facit: quorum alij auium instar ob leuitatem & ambitionem in splẽdorem & sublimitatem physicorum devolant: alij catulorum (vt est apud Platonem) in morem raptando & laniando gaudentes, ad lites, disputationes obscuras, & sophismata se conferunt. plerique dialecticis se immergentes, commeatum sibi sophisticę parant. sunt qui sententiosa dicta & historias colligentes, circumeunt (quomodo Anacharsis dicebat se non videre ad aliam rem nomismate vti Græcos quàm ad numerandum) enumerantes ea & metientes, nullo inde emolumento percepto. His vsu venit illud, quod ab Antiphane dictũ quidã ad audi tores Platonis accommodauit. Ioco enim Antiphanes dixit, in vrbe quadã voces illicò frigore loci cõgelare, ac per æstatem gelu soluto demum exaudiri, quæ dicta erant hyeme. ita ille quæ adolescentes è Platone audiuissent, aiebat pleroſq; vix tandem ingraueſcẽte ętate intelligere. Hoc sanè modo ad vniuersã affecti sunt philosophiã donec iudiciũ probè

constitutum incipiat ea apprehẽdere, quæ ad cõponendos animi motus magnitudinémque ei comparandam faciunt, sectaríq; orationes, quarum (iuxta illud Aesopi) vestigia intrò magis quàm foràs sint cõversa. Sophocles aiebat se primò fastum Aeschyli accídisse, deinde apparatũ nimis dẽsum atq; artificiosum, postremò etiam dictionis formam mutasse, quæ pars maximè ad mores pertinet & est potissima. ita philosophantes, cum à compositis ad ostentationem & artificio nimio elaboratis orationibus, ad orationem animi motus placidos grauésque attingentem transiuerint, verè incipiunt fastu repudiato proficere. Animadverte igitur, non tantùm philosophorũ scripta legendo, aut orationibus eorum audiendis, ne sis verbis magis quàm rebus attentus, neq; maiori impetu feraris ad ea in quibus subtilitas aliqua & curiosa compositio, quàm ad ea in quibus medulla rerum & vtilitas inest: sed & poemata historiásq; tractãs caue, ne quid eorũ prætermittas inobseruatũ, quæ ad morũ correctionẽ, aut affectus animi alleuationem accómodatè dicta sunt. Sicvt enim in florib. versari Simonides ait apẽ, flauũ mel meditantem, cùm alij colorẽ eorũ vel odorem, nihil aliud quærãt aut percipiant. ita aliis poemata voluptatis iocíq; causa versantibus, tu aliquid inveniẽs ac colligens seriũ, videberis iã consuetudine & amore pulchritudinis & eorũ quæ philosophi sunt propria, horũ cognoscendi facultatem tibi parasse. Qui enim Platonis aut Xenophontis libros propter dictionem, nullág; alia de causa legũt, quàm vt Atticá illã mundicie inde velvti rorẽ despumẽt. quid aliud diceres illos facere, quàm fragrãtiã & floridũ medicamenti colorẽ amplecti, vim verò expurgãdi corporis aut sedandi doloris neq; nosse neq; admittere. Iam qui magis etiam profecerũt, nõ ex orationibus solùm, sed è spectaculis quoque & rebus quibuscunq; norũt vtilitatem capere, idque colligere, quod

Quavis ex re decerpendam esse vtilitatem.

quod ipsorũ instituto commodet. cuius rei aliquot subiiciã exẽpla. Aeschylus Isthmici certaminis spectator, cũ vnus pugilũ plagã accepisset, theatrúmq; clamorẽ sustulisset: látere Ionis Chij fosso, vt is animadverteret: Viden', inquit, exercitatio quid possit? tacet ictus, spectatores vociferãtur. Brasidas murẽ inter aridas ficus depræhensum, morsus ab eo dimisit. tũ sic secũ: Hercules, quã nihil est ita paruum aut infirmũ, vt nõ possit vitam tueri, si audeat se defendere? Diogenes è vola quendá bibere conspicatus, poculũ pera eiecit. Adeò ad sentiendũ & percipiendũ ea quæ vndecunq; ad virtutẽ conducãt attentio & assidua exercitatio facit idoneos. Idq; fit eo magis, si orationes reb. adhibeãt: nõ modò, vt est apud Thucididẽ, præsenti periculo meditantes, sed & circa voluptates, cõtentiones, iudicia, patrocinia, magistratus, quasi demõstrantes vim suorũ decretorũ: aut potiùs iis reb. tractãdis sua condentes decreta. Nã quia adhuc discentes & occupati in circumspiciẽdo, arreptũ aliquid è philosophia statim circulatorũ in morem in forũ, aut adolescentum scholá, aut regiũ colloquium proferunt: eos non magis credendũ est philosophari, quàm medicinã facere medicamentorum & mixturarum institores. immò huiusmodi sophista nihil ab Homerica illa aue distat, quæ discipulis suis tanquam implumibus pullis ore in os ingerit quidquid est nacta, atque

Interea proprium genium defraudat: — *Iliad. 1, 324.*

cùm nihil eorum quæ percepit, in suam vertat vtilitatem, neque concoquat. Quare considerare oportet, orationéne vtamur seorsim ita, vt nobis hoc sit commodo, apud alios autem nõ vanæ gloriæ aut contentionis gratia, sed audiendi ac cùm docendi tum vicissim discẽdi causa. maximè autem obseruemus, an studium cõtendendi & rixandi de propositis quæstionibus remiserit, ac desiuerimus oratione aduersus alios velvti cestibus aut pilis armati certa-

Oratio quæ lis esse debeat.

re, magísq; impetendo & vincendo quàm discendo docēdóve gaudere. nam in hoc genere modestia & mansuetudo, vbi colloquia neq; certandi studio incipis, neq; cum ira finis, neq; vel in refutando contumeliam adhibes, vel te refelli iniquiùs fers, nota est non pœnitendorum profectuum. Ostendit hoc Aristippus, qui quodam in cógressu sophistica fraude circumventus ab audace homine, alioqui stulto & furioso, cùm videret eum exsultare atq; fastu tumere, Ego quidē, inquit, abeo suauiùs te qui me refelleris dormiturus. Possumus etiam inter dicendū nosmetipsos explorare, an neq; multis præter exspectationem nostrā convenientibus præ metu tergiversemur, neq; ægrè feramus si apud paucos agendū sit, neq; si ad populum aut corā magistratu verba facienda sint, penuria apparatus verborū occasionē agendi dimittamus: quod de Demosthene & Alcibiade fertur. hic enim cum ad bene cogitandum de rebus esset facultate summa præditus, ad dicendum autē non satis animatus, in actionibus seipsum impediuit, ac sæpe inter dicēdum vocem aliquā elapsam memoriæ quærēs & persequens aberrauit. Homerus verò tantū fiduciæ in sua posuit facultate, itáq; abundauit cōfidentia, vt primum etiam Operis versum legibus carminis non satisfacientem intrepidè posuerit. Quo magis æquum est qui de virtute & honesto certant, eos occasione & rebus vti, minimè solicitos de strepitu plausúve qui ob dictionem excitetur. Non orationem autē solùm, sed & actiones quísque suas cōsideret, pluráne eæ ad veritatem conducentia, quàm ad pompam ostentationémque comparata in sese habeant. Si enim verus adolescentis aut mulieris amor non requirit testes, sed fructum percipit suauem, etiam si occultè rem desideratam conficiat: multo magis convenit honesti & sapientiæ studiosum, cùm agendo fruitur virtute, ipsum apud sese tacitum animo efferri, neque laudatores

Actionum examen.

tores auditoréſve vllos requirere. Sicvt ergo ille qui domi ancillam vocans, clamabat, Cerne Dionyſia, depoſui faſtum, ita & is qui pulcrum aliquod atque ſcitũ facinus ſuum paſsim narrat ac circumfert, ſatis apertè oſtendit ſe adhuc foràs reſpicere & ad gloriam trâhi, neque etiamnum verum ſe virtutis fuiſſe ſpectatorem, neq; reipſa, ſed per ſomnium vmbras eius & ſimulacra pervagatum, factum deinde ſuum velvti picturam ſpectandum propoſuiſſe. Proficientis ergo in virtutis ſtudio eſt, nó modò ſi quid amico donauit, aut noto benefecit, id aliis non narrare: ſed etiam ſi inter multos iniuſtos ſententiam iuſtam ipſe dixerit, aut diuitis principíſve alicuius petitionem inhoneſtam obnixè repudiauerit, aut munera ſpreuerit, aut etiam noctu ſitiens potu abſtinuerit, oſculúmve formoſi aut formoſæ averſatus fuerit, vt fecit, Ageſilaus, ſecum id ſeruare & reticere. ſic enim ipſe ſibi placens, neque ſeipſum contemnens, ſed gaudens ſeipſo atque contentus vt ſatis idoneo teſte ac ſpectatore pulcrorum, oſtendit rationem iam intra ſeſe converſam radices agere, & (quod iubet Democritus) ex ſeipſo ſui oblectandi materiam petere condocefactum ſe eſſe. Agricolæ quidem, ſpicas libentiùs vident quæ inclinatæ verſus terram vergunt: quæ enim ob leuitatem ſurſum attolluntur, eas inanes putant eſſe & caſſas. Ita & adoleſcentum philoſophiæ dare operam volentium, qui maximè vani ſunt & grauitatis expertes, audaciam ij habét, ſpeciémque, & inceſſum vultúmque plenum ſuperbiæ ac contemtus nemini parcentis: vbi verò impleri incipiunt, fructúmq; è doctrina colligere, tum ferocia iſta & vanitas deponitur. ac quemadmodum vaſis humorẽ recipientibus inanis aër eliditur: ita hominibus quando veris implentur bonis, faſtus decedit, & arrogantia remittit, ceſſantéſq; propter barbam & pallium ſuperbire, exercitationem ad animum transferunt: mordacíque &

Faſtus deminutio.

austera ratione adversum seipsos potissimùm vtentes, cum aliis mansuetiùs colloquuntur. nomen verò & gloriam philosophiæ non, vt antè, sibi arrogãt atque inscribunt: sed & hoc nomine compellatus adolescens ingenij probi, rubore perfusus & subridens mature sic occurret,

Odyss. ω, 187. *Non ego sum deus, ad quid me cœlestibus æquas?*

Vt enim Aeschylus ait iuuenis mulieris, quæ virum experta sit, oculum flagrantem non latére: ita virum iuuenem, qui veri in philosophia profectus gustum percepit, Saphica hæc comitantur:

Lingua iam torpet: tenues per artus
Flamma demanat, —

oculisque placidis & vultu constanti adstans, cupere eius sermonem audire. Ac velvti qui sacris initiantur, initiò cum tumultu & vociferatione coeunt séque mutuo trudunt: cùm peraguntur inde & commonstrantur sacra, animum timidi tacentésque advertũt. ita & in principio & circa fores philosophiæ multum videas tumultus, ferociæ, & loquacitatis, dum nonnulli ad gloriam rusticè & per vim se proruunt. qui introò venerit, magnúmque lumen velvti sacrario aperto viderit, alio iam habitu accepto tacitus atque attonitus, humilis modestúsque doctrinam velvti deum subsequitur. In hos videtur etiam iocus Menedemi cõgruere. Aiebat enim eorũ qui ad scholam Athenas nauigarent pleroſque primùm sapientes sibi esse, deinde philosophos fieri, posteà oratores, tandem progressu temporis rudes ac plebeios: quo enim magis doctrinæ se præberẽt, eo magis eos fastũ arrogantiámq; deponere. Quibus medicina opus est, si dens aut digitus malè est affectus, ipsi rectà ad medicum eunt: qui febricitant, domum vocãt medicũ, eiúsq; opem implorant: qui in melancholiam, aut phrenitidem, aut deliria inciderunt, aliquando ne venientem quidem ad ipsos medicum

Correctio vitiorum.

susti-

ſuſtinent,ſed eiiciunt aut fugiunt, vehementia morbi etiam ſenſum morbi tollente. Sic & eorũ qui peccant, inſanabiles ſunt qui hoſtili animo affecti ſunt ſæuiúntque adverſum repræhenſores ac caſtigatores: qui verò ſuſtinent admittúntq; diſciplinâ, manſuetiores ſunt. id verò non vile eſt profectus indicium, ſi quis commiſſa culpa ſe repræhendentibus offert, vitium exponit & malum detegit, neque gaudet latendo, contentúſve eſt ſi clam id ferat, ſed cõfitetur opémq; correctoris requirit. quo modo Diogenes dixit, eum qui ſeruandus ſit quærere debere aut probum amicum, aut infenſiſsimũ hoſtem, vt vel repræhenſus vel correctus vitio liberetur. Vbi verò ſordes aliquis maculámve oſtentans veſtis, aut ruptum calceum, venditat ſe aliis, exiſtimátq; ſe præclari aliquid præſtare, ſi vana faſtus vacuitate ſuã ſtaturæ humilitatem aut curuitatem ipſe dicteriis notet: interim verò animæ turpitudinem, & vlcera, puta vitæ offenſas, invidiam, malignitatem, auariciam, libidinem, velat atq; occultat, metúq; repræhenſionis neminem ea videre aut contrectare patitur: certè hunc parum, aut nihil potiùs profeciſſe cenſendũ eſt. At qui vitia aggreditur, & vel (quod præcipuum eſt) ſeipſum ob peccatum damnare ac caſtigare nouit, vel quod proximum eſt, alio caſtigante tolerantem ſe præbet, vitiiſq; exonerari correctoris opera libenter ſinit, eum apparet verè deteſtari & excutere prauitatem. Equidem vereri debemus & fugere nomẽ vitioſi. ſed cui vitiũ ipſum moleſtius eſt quàm infamia inde nata, is vt emendari poſsit, non verebitur malè audire ac loqui. Scitum eſt enim Diogenis illud ad quendam dictum adoleſcẽtem, qui viſus in caupona, intrò in eam fugiebat, quanto, dicebat, magis intrò fugies, tãto magis in caupona eris. ita quivis vitioſus quanto magis inficiatur ſuum vitiũ, tanto magis in ipſum penetrat ac ſeſe includit morbũ. quomodo nimirum pauperes dum ſe diuites eſſe ſi-

mulant,ob ipsam arrogantiã sunt pauperiores. Quì verò reipsa proficit,exemplum Hippocratis sibi imitandum ducet,qui errorem suum de futuris capitis professus est, ínque litteras retulit, existimabítque indignum fore,si(cum tantus vir,ne alij eodem erroris venirent,suam testatam fecerit ignorãtiam) ipse salutis suæ studio nõ auderet stulticiam insciticámq; suam detegere atque confiteri. Enimverò Pyrrhonis & Bionis dicta, non profectus iam, sed maioris profectioríſq; habitus indicia possunt intelligi. Hic suos familiares tum demum certos de profectu iubebat esse,cum perinde audirẽt maledicta,ac si quis ita alloqueretur:

Odyss.ſ. 187. *Hospes,non mihi tu malus insipiensue videris,*
Odyss.ω, 401. *Viue,uale lætus,tibi dij dent prospera multa.*

Pyrrhonem ferunt, cùm nauigans orta tempestate periclitaretur,porcellum ostendisse qui hordeo affuso hilariter vescerétur,ac dixisse sociis,talem affectuum vacuitatem doctrina & sapientiæ studio parã dam esse ei qui nulla obtingente re perturbari vellet. *Insomnia.* Zenonis porrò perpendamus sententiam,qui etiam ex insomniis suis vnumquenque sentire posse suos profectus dixit.nimirum si neq; turpi aliqua re per quietem sibi videatur delectari,neq; inhonestum aut iniustum vel agere quicquã vel approbare: sed velvti in serenitate profundissima & omnis fluctus experte vis animæ imaginans affectionibúsque obnoxia pelluceat,à recta ratione illustrata.Hoc,pu *Initio 9. de repub.* to,prior Plato animadvertit,qui essent brutę & imaginantis quæ in animo tyranni est facultatis per somnum motus,quasi effigie proposita declarans. nimirũ affectatio coitus cum matre,& appetitio quorumvis illicitorum ciborum. indulget enim tunc tyrannus libidinibus suis tanquam solutis, quas metu & pudore leges interdiu coërcent. Sicvt ergo iumẽta probè condocefacta,ne dimissis quidem à rectore

re habenis à via aliò divertere conãtur, sed quomodo adsueuerunt iter sine errore aut offensa continuant: ita facultas animi bruta vbi iam ratione subacta & ei obtemperans reddita est, neque in somnis neque in morbis porrò facilè cupiditatibus prauis se impelli patitur, vt contra rationis rectæ præcepta proteruè aliquid aut illicitè moliatur: sed consuetudini insistit, eámque sequitur, quæ attentioni vim quandam & vehementiam ingenerat. Nam si ipsum corpus exercitatione potest animus condocefacere, vt vacuitatem perturbationis eius subsequatur, partésque obsequẽtes præbeat, ita vt & oculi in miseratione lacrymis, & cor obiecto metu palpitatione, & pudenda motu ad cõspectum pulcrorum corporum abstineant: cur non sit probabilius exercitatione partem animi quæ affectibus est obnoxia ita subigi, vt eius motus & imaginationes etiam ad insomnia vsque quasi læuigentur & rectæ rationi conformes rediganturʔ Stilponem philosophũ somniauisse perhibent, videre se Neptunum expostulãtem secum, quòd non bouem ipsi immolasset, qui mos erat sacerdotum. se verò nihil territũ, Quid ais Neptune, dixisseʔ pueri instar venis mecum conquesturus, quòd non sumta in fœnus pecunia vrbem nidore impleui, sed rem tibi sacrã è mea re familiari promeis facultatibus feciʔ visúmque sibi fuisse, Neptunum dextra porrecta subridentem polliceri, ipsius gratia magnum se aquarum proventum Megarensibus largiturum. Proinde quibus ita læta, perspicua, & facilia somnia offeruntur, in quibus nihil terribile, asperum, malicioſum, aut obliquum in mentem revocatur: his profectus aiunt quasi resplendescere suos. stimulos autem, pauores, degeneres fugas, puerilia gaudia, & luctus in somniis miserabilibus, & absurdis, similes esse quorundam litorum asperitatibus, & iactationibus in mari. quòd animus nondum in se habens quo componatur, sed adhuc

Profectus ex somniis animaduertendus

legibus & decretis fingendum se præbẽs, ab his per somnum longissimè abductus rursum in pristinum habitum resoluatur atque explicetur. Verùm hęc tu ipse mecum perpende, profectuíne debeant adscribi, an habitui potiùs alicui, constantiam iam ratio- 5
Examen affectuum. nis & firmitatem inconcussam adepto. Iam cùm omnium affectuum animi vacuitas res sit magna ac diuina: nos autem profectum remissione quadam & mansuetudine affectuum definiamus: necesse est & inter se, & cum aliis comparare motus animi, itáque 10
discrimen examinare. Inter se, an cupiditates, metus, iræq; nos quàm olim remisiùs nunc tentent, an celeriter ratione incendium eius & excandescentiam restinguamus. cum aliis, magísne iam verecundi simus quàm timidi, an æmulemur citra invidentiam, an gloriæ & pecuniæ cupiditate careamus, de- 15
nique an cantorum instar Doriis magis quàm Lydiis excessibus peccemus, duriores in victus ratione quàm molliores, cunctanter magis quàm temere ad agendum accedentes, nimij potiùs admiratores 20
aliorum hominum & ab aliis dictorum, quàm contemtores. Sicvt enim bonum recuperandæ sanitatis signum est morbi in partes corporis non præcipuas aversio: ita vitia proficientium dum in tolerabiliores mutantur affectiones, videntur paulatim extin- 25
gui. Phrynidem, cùm septem neruis duos addidisset, ephori interrogauerunt, superiorésne vellet an inferiores ipsis amputandas præbere. Nobis autem & superiora & inferiora sunt præcidenda, siquidem ad medium volumus & mediocritatem pervenire. 30
profectus tamen ea quæ nimia sunt primò tollit, acrimoniámque affectuum imminuit, ad quos (vt est apud Sophoclem) incontinentes furioso feruntur
Imitatio. impetu. Iam illud quoque dictum à nobis fuit, debere nos orationem ad res ipsas transferre, in iisq; de 35
ea iudicium facere. esse enim hoc vel in primis officium proficientis. Eius rei indicium primum est, si

quæ

quæ laudamus, ea imitari conamur, promtíq; ſumus agere ea quæ admiramur, quæ autem vituperamus, nolumus admittere. Equidem probabile eſt ab omnibus Athenienſibus laudatam fuiſſe Miltiadis audacem fortitudinem, ſed Themiſtocles ſomnum ſibi Miltiadis trophæo adimi, eóque ſe excitari è lecto fatus, ſtatim oſtendit ſe non laudatorem modò & admiratorem, verumetiam æmulum eius imitatorémq; eſſe. Parum itaq; nos profeciſſe arbitremur, dum nos præclarè agentium admiratio ocioſa, non ad imitanda eorum facta impellit. Nam neque corporis amor efficax eſt, niſi obtrectatio ei adſit: neq; laus virtutis ardens atque ſtrenua eſt, quæ non pungit neq; ſtimulat, & loco invidiæ æmulationem ingenerat bonorum, idem præſtare cupientem. Non enim ad orationem duntaxat philoſophi debemus, vt dicebat Alcibiades, animum convertere, & lacrymas excutere: ſed qui verè proficit, multo magis viri boni & perfecti factis actionibúſque ſeſe comparans, ſimul mordente ipſum ſuæ inopiæ conſcientia, & ſpe deſiderióque læticiam afferente, plenus inquieto impetu, volet quod eſt apud Simonidem,

Lactens equum pullus uel ut curſu ſequi,

tantùm non in idem cum præſtante viro corpus coaleſcere affectãs. Veri enim profectus hoc proprium eſt, vt quorum æmulamur facta, eorum inſtitutum amemus atque diligamus, & cum benevolentia honorem iis adſiduum deferentes, collaudationibúſq; lætis proſequentes, eorũ ſimiles fieri conemur. Cuius verò animo contendendi ſtudium & invidia adverſus præſtantiores inſtillata eſt, is ſciat ſe gloriæ alicuius aut potentiæ riualitate pungi, virtutem neque honorare neque admirari. Quando itaque ſic incipiemus bonorum eſſe amatores, vt non modò, ſicvt Plato alicvbi ait, ipſum temperantem putemus beatum, beatum etiam qui dicenti auſcultat, ſed & geſtum eius, & inceſſum, & vultum & riſum admirã-

tes carúmq; habentes, parati simus nos quasi cõcinnare ei & agglutinare: tunc existimãdum est nos verè proficere. Idq; eo magis, si non modò rebus vtentes secundis eos admiremur: sed sicvt amatores formosorum etiam balbuciem aut pallorem diligunt, & Arasphem lacrymæ quoq; & mœsticia lugentis & calamitate afflictæ Pantheæ perculerunt: sic nos neque exsulium Aristidis, neque carcerem Anaxagoræ, neque paupertatem Socratis, neque Phocionis damnationem formidemus. sed virtutem etiã cum his amore dignam sentientes, appetamus, ad singula Euripidis hunc versiculum accinentes.

Virtus cum rebus adversis. Xenoph. 6. Instit. Cyri.

Prob, quàm uirtute præditos omnia decent.

Qui enim eo ad virtutẽ instinctu fertur, vt eius admirationem atque æmulationem ne ea quidem reprimat, quæ videntur grauia esse mala, eum nulla porrò res ab honestatis studio avertet. Consequens horũ est, vt cum rem aliquam adgredimur, aut magistratum occipimus, aut fortuitũ aliquid nobis offertur, ante oculos nobis proponamus exempla bonorum virorum, siue ij sunt, siue fuerunt: cogitemúsq; quid facturus fuerit hoc loco cõstitutus Plato, quid dicturus Epaminondas, qualem se gesturus Lycurgus aut Agesilaus. vt velvti in speculũ intuentes, ornemus nos atq; componamus, vel vocem aliquã degenerem corrigentes nostram, vel animi motum aliquem reprimentes. Qui Idæorum dactylorum nomina didicerunt, iis singulis sensim recitandis vtuntur ad auerruncandos terrores. Sed bonorum virorum memoria & consideratio celeriter adhibita in omnibus motibus animi aut difficultatibus oblatis, proficientes in studio virtutis integros conseruat atque erectos. itaque hoc quoq; ipsum indiciũ est profectus. Ad hæc, non iam vt antè vehementer perturbari, aut rubore perfundi, aut occultare vel transformare aliquid suorum, viro illustri gloria & virtute subitò interveniente, sed constanti animo

Exempla proponenda.

ei

ei obviam ire, conscientiæ quandam habet confirmationem. Alexandrum ferunt, cum videret nuncium gaudio plenum ad se adcurrere, dextrámque porrigere, dixisse: Quid mihi nunciaturus es, nisi Homerum revixisse? putabat enim suis rebus nihil deesse præter famæ ad posteritatem propagationem. Iuueni autem qui mores emendauit suos, nullius rei maior incessit amor, quàm se spectandum præbendi bonis honestisque viris, conspiciendámque exhibere domum suam, mensam, vxorem, liberos, studia, dicta & scripta sua. itaque etiam malè ipsum habet antè è viuis decessisse patrem aut præceptorem, quàm vt videre isto eum in statu potuissent: nihilque tantopere à diis immortalibus peteret votis, quàm vt ij vitæ redditi morum suorum actionúmque fierent spectatores. Sicvt contrà, qui seipsos neglexerũt ac corruperunt, suos ne in somnis quidem sine tremore & metu vident. Id quoque, si lubet ad prædicta adiunge signum nõ exiguum, quod rectè proficiens nullum iam peccatum exiguũ putat, sed omnia studiosè vitat atque obseruat. Sicvt enim qui diuites se fore desperant, paruos sumtus facere pro nihilo habent, quòd nihil magni futurum putãt si paruum paruo adiiciatur: spes autem ad finem propiùs accedens simul cum diuitiis auget diuitiarum amorem. ita & in rebus ad virtutem pertinentibus, qui non multa concedit, neq; dicit Quid tum postea, modò sic, aliàs meliùs: sed singulis intẽtus, vbi vel minimo peccato vitium sese insinuans veniæ locum dare videtur, ægrè fert & indignatur. manifestũ facit se purum aliquid sibi iam comparasse, quod inquinari nullo modo velit. faciles enim & negligentes facit, vt Aeschylus ait, opinio concepta nihil eorum quæ habemus magnum esse. Maceriam aliquã aut sæpem conficientibus nihil refert obvium quodque lignũ aut lapidem humi iacentem adhibere, aut columnam à monimẽto aliquo delapsam subiicere. quo

Spectator virtutis expetendus.

modo & homines vitiosi omnia promiscuè facta, omnes temerè actiones congerunt ac coaceruant. At qui in virtute exercenda proficiunt, quibus vitæ, velvti sacri ac regij ædificij, iactum iam est aureum fundamentum, nihil eorum quæ agûtur temerè admittunt: sed velvti amusi rationis aptât singula atque concinnant. quo de ædificio vsurpari potest Polyclæti dictũ qui difficilimũ opus tractare eos pronũciauit, quibus lutum est ad vnguem exigendum.

PLVTARCHI
De capienda ex hostibus vtilitate, libellus.

VIdemus te, Corneli Pulcer, simul cum reipub. administratione mansuetissimum vitæ genus delegisse, in quo cùm maximè publico profis, priuatim compellantibus te facilimum iucundissimúmque præbes. Enimverò regionem aliquam inuenire licet, quæ feris careat, quod de Creta narratur. respub. autem nulla adhuc extitit, quæ nullá invidiam, nullam æmulationem aut studium contendendi, qui sunt affectus inimiciciis generandis fœcundissimi, protulisset. Quod si nulla alia res, ipsæ saltem nos inimiciciis implicarent amiciciæ. quod & Chilo ille sapiens sensit, cùm è dicente neminem se habere inimicum, interrogauit nullúmne etiam amicum haberet. Itaque viro in repub. versanti cùm aliàs de inimicis disquisitio mihi non videtur negligenda, tum Xenophontis dictum attentè considerandum, qui cordati hominis pronũciat esse, Etiam ex inimicis vtilitatem capere. Quæ itaque ea de re nuper mihi differere subiit, ea totidem conscripta verbis ad te mitto, omissis maximè his quæ in præceptis reip. administrandæ scripsimus: cum videam illum

illum tibi librum frequenter esse ad manum. Priscis hominibus satis fuit, à diuersæ naturæ animalibus nullam accipere iniuriam: isq; fuit finis certaminum adversus feras. Posteriores etiá in suos vertere eas vsus didicerunt, carnibus vescentes, pilis vestiétes se, fellis aut coaguli medicina vtentes, pellibus se armantes. adeò vt non iniuria metuendum sit, ne si feræ homines deficerent, vita humana esset futura belluina, inops & fera. Proinde quoniá aliis satis est nullo ab inimicis affici damno, prudétes autem etiá vtilitatem ex iis capere Xenophon dixit: fidem eius dicto derogare non convenit, ars tamen ac via & ratio quærenda est qua id bonum consequantur, quibus absq; inimico viuere non licet. Non potest quamvis arborem colonus exuere sylvestri natura, neque venator omnia cicurare animalia. inventa tamen est ratio, qua & ille ex sterilibus, & hic ex feris emolumentum aliquod caperet. Aqua marina neq; potui est, & vitiosa: pisces tamen alit, hominibúsque in diuersissimas regiones proficiscentibus loco vehiculi est. Cùm Satyrus ignē primò sibi visum osculari vellet & amplecti, monet eum Prometheus,

Vsus rerum non optimarum.

Barbam caper tuam deflebis protinus,
Tangentem adurit ignis. — interim lumen præbet, & calorem, & vsus gnaris instrumentum est omnium artium. Inimicum etiam consideremus, an damnosus cæteroqui & intractabilis, quodam tamē modo ansam sui vtendi præbeat. Multæ sunt res parum gratæ, inviſæ, & adversæ iis quibus obtingunt. vides tamen & morbis corporis nonnullos ad ociū vsos, & laboribus alios oblatis cōfirmasse atq; exercuisse corpora. nonnullis exsilium & iactura pecuniæ viaticum fuere ad ociū & philosophiam, vt Diogeni & Crateti. & Zeno cum nunciaretur nauim ipsius qua negociabatur fractam, Bene facis, inquit, fortuna, quæ nos intra palliolum compellis. Sicvt

enim animalium ea quæ validissimo sunt ventriculo & sanitate firmissima, serpentes ac scorpios vorant atque concoquunt, quędam etiam lapidibus & testis alũtur vigore & calore spiritus alteratis, cum contrà languidi & morbosi vino & pane sumto nau seent. ita stulti amicicias etiam corrumpunt, prudẽtes etiam inimiciciis vti commodè norunt. Primò omnium id quo inimiciciæ maximè nocent, cautis videtur mihi fieri commodissimum. Quid nam illud est, inquies? Inimicus perpetuò vigilãs res tuas infensus obseruat, circuítque vitam tuam vndiquaque ansam nocendi captans, neq; tantum per quercum visu vt Lynceus penetrat, aut per lapides vel testas, sed & per amicos, famulos, familiares quoscũque, quid rei geras pro virili explorans, & quid consilij capias per cuniculos inquirens ac perscrutans. Nam sæpe nobis non obseruantibus ob cunctationem & negligentiam ægrotant atq; adeò moriuntur amici. Inimicorum tantùm non etiam somnia curiositate nostra perquirimus. morbus quidem, æs alienum, disidium cum vxore tuũ faciliùs teipsum, quàm inimicum fefellerit. Maximè autem peccatis inhæret inimicus, eáque investigat. & sicvt vultures ad odorem corruptorum putredine cadauerum feruntur, pura & sana non sentientes. ita inimicum vitia vitæ malæq; affectiones mouent, ad hæc assiliũt malevoli, eáq; arripiunt & laniant. Vtile igitur est, vt vsquequaq; cautus tibíq; attentus viuas, & neq; vel dicas vel agas quicquam temere aut inconsideratè, sed vitam tanquam in exacta victus ratione cõserues omnis repræhẽsionis securam. hæc enim cautio sic reprimens animi motus, rationémque in officio cohibens, studium ingenerat atque institutum rectè inculpatéque viuendi. Ac quemadmodũ continentibus vicinorum bellis atque expeditionibus ciuitates edoctæ bonas leges reipublicæq; sanam formam seruare volũt: ita qui ob inimicicias coacti sunt

Inimicorũ obseruatio & insidiæ nobis vtiles.

sunt sobriè viuere, & à negligentia sibi incuriáque cauere, nihílque nisi subductis vtilitatis rationibus agere, eos consuetudo etiam non sentientes ad vitæ rationem errorum vacuam adducit, moréſq; cõponit & ornat, , vel paululum adiuuante doctrina. Quibus enim in promtu est illud semper,

Proh, quàm gauderet Priamus, Priamóq; creati: *Iliad. æ,*

eos id monet, dehortatúrque & deducit ab iis agendis, quæ inimicis materiam gaudendi deridendiq; essent præbitura. Equidem histriones atque cantores scenicos videmus sæpenumerò in theatris prosese remisse ac nulla cum alacritate aut solertia agere: orta autem concertatione adversus alios, non sei psos modò, sed & instrumenta sua maiore cum diligentia ad certamen aptare, fides explorare, accuratiúsque concentum instruere & tibiis canere. Ita & qui adversarium sibi vitæ existimationisque suæ paratum nouit esse inimicum, attentiùs seipsum obseruabit, res suas circumspiciet, vitámq; suam constituet. Nam & hoc vitij proprium est, quòd cùm peccamus, inimicos magis reveremur quàm amicos. Itaque Nasica nonnullis putantibus atque affirmantibus rem Romanam in tuto esse statu collocatam, deletis Carthaginensibus, & in seruitutem redactis Achæis: nunc verò, dixit, periculosè res nostræ se habent, qui neque quos metuamus, neque quos reuereamur, nobis reliquos fecimus. Adde his Diogenis effatum, oppidò philosophicum & ciuile. interroganti cuidam, Quo pacto vlciscar inimicum? respondit, si ipse probus honestúsque fias. Cum vident inimicorum equos præclarè se gerere, aut laudari canes, molestia affici solent homines. si agrum probè excultum cernunt inimici, aut bene florentem hortum, ingemiscunt. Quid censes futurum, si te exhibeas spectandum iis hominem iustum, prudentem, frugi, in dicendo laudabilem, in agendo purum, in victus ratione mundum,

Inimicos vl ciscitur, qui probus est.

Sulcum profundum habentem in pectore consitum
Tuo, ueneranda consilia unde pullulent?

Ait Pindarus homines victos linguam ita ligatã habere, vt mutire non audeant. Non simpliciter hoc, neque de omnibus verum est, sed de his, qui superatos se vidēt ab inimicis industria, bonitate, magnanimitate, humanitate, beneficiis, hæc, vt ait Demosthenes, linguam avertunt, os obthurant, spiritū intercludunt, silentium imponunt.

Tu te malis meliorem præsta. nam licet.

Vis inimico vt ægrè sit facere. noli ei exprobrare lasciuiam, molliciem, intemperātiam, illiberalitatem: ipse fortis esto, castus, verax, humanúmque te & æquum iis cum quibus tibi res est præbe. Quod si ad maledicendum provehere, cura vt quàm longissimè absis ab iis, quæ alteri obiicis. excute animum tuum, vide vbi sis mendosus: ne tuum tibi vitium occinat illud tragœdi,

Convician di modus.

Aliis mederi uis, ipse ulceribus scatens.

Si illiteratum dicis, studiū discendi tuum laborémque intende: si timidum, excita fortitudinem tuam. Si lasciuum, dele ex animo si quod restat adhuc delitescens libidinis vestigium. Nihil enim turpius est aut molestius maledicto in autorem recidente. sed sicvt refractum lumen magis lædit imbecillos oculos, ita & maledicta grauiùs offendunt, ab ipsa veritate in maledicētem retorta. Sicvt enim Cæcias nubes, ita vitiosa vita opprobria ad se trahit. Plato sanè quoties interfuisset hominibus contra decorum agentibus, digressus seipsum solebat ita alloqui: Númnam ipse quoq; fortasis tali vitio laboro? Et qui vituperauit alterius vitam, si suam statim examinet atque emendet in diuersam partem dirigens atque avertens, aliquid ex conviciando habebit vtilitatis: cùm res ea alioquin invtilis ac vana & videatur & sit. Vulgo rident, si quis caluus aut gibbosus ipse,

ipſe,aliis ea vitia exprobret. In vniuerſum verò ridiculum eſt iácere convicium in aliũ,cùm viciſsim tibi convicium ab eo reponi poſsit. Quale eſt quod Leo Byzantius gibboſo cuidam oculorum ipſi imbecillitatem exprobranti reſpondit:Humanum mihi infortunium vitio vertis, ipſe in dorſo Nemeſin geſtans. Non itaque adulterium obiice alteri, ipſe inſano puerorum amore flagrans, neque prodigalitatem,ſordidus ipſe.Alcmæon Adraſtum hoc maledicto inceſsit,

Tibi quæ maritum interfecit ſuum eſt ſoror.

Quid Adraſtus?non alienum ſed proprium ei reponit opprobrium,

Matrem necaſti tu manu tua tuam.

Et Domitius Craſſo : nónne tu ob mortem murenæ quæ in viuario tuo alebatur ploraſti? viciſsim Craſſus: nónne tu abſque vlla lacryma tres tuas vxores extuliſti? Enimverò non ingenioſus ſit aut vocalis aut proteruus oportet qui infligere alteri maledictum vult,ſed inculpatus.videtur enim deus nulli ita ſeriò mandaſſe vt ſeipſum noſcat,atque conviciũ alteri facturo.ne vbi dixit quæ voluit,quæ non vult audiat.Solet enim his evenire illud Sophocleum:

—lingua abuſus futili
Inuitus audit,qui uolens dixit malè.

Conviciorũ audiendorum vtilis ratio.

Hoc itaque commodi ineſt in maledicẽdo aliis.Sed non minus vtilitatis eſt in maledictis inimicorum audiendis. Vnde ab Antiſthene dictum eſt rectè, eum qui ſaluus eſſe debeat, opus habere vel probis amicis, vel inimicis vehementiſsimis.quod illi admonendo peccantes,hi criminando à vitiis avertãt. Sed quoniam noſtra ætate ad liberas reprehenſiones voce valdè exili eſt prædita amicicia, loquax in adulando, muta in caſtigando : audienda eſt nobis ex inimicis veritas.Sicvt enim Telephus domeſtico deſtitutus remedio,vulnus hoſtili haſtæ ſanandum

præbuit:ita quos defecit benevolus castigator, ij vt inimici sermonem audiant necesse est reprænhenden tis & punientis culpam: non animum maledicentis, sed rem ipsam considerantes. Iasonem Thessalum qui volebat interficere, gladio vomicam eius aperuit,eáque rupta salutem homini attulit.sic sæpe cõ vicium ab irato aut inimico nobis inflictum, animi morbum latentem neglectúmve sanauit. Sed plerique maledictis impetiti non considerant an verè illis aliquid obiiciatur,quid sit in maledicente dispiciunt, & instar athletarum pulverem conviciorum sibi ipsis non detergent,sed eodẽ alios conspergunt atque opplent,atque ita cum his luctantur séq; mutuò deiiciunt.Enimverò ab inimico crimine aliquo notatus,si id verum sit, maiore studio id expurgare debes,quàm vestis aliquam commonstratam maculam.Si falsum,tamen quærenda est causa quæ crimi nationi occasionem dedit: cauendúmque & verendum, ne imprudentes tale aliquid aut simile eius quod obiectum fuit committamus.Verbi gratia,La cydem Argiuorum regem comæ quædam dispositio,& incessus delicacior, calumniæ molliciei obnoxium reddidit.vt & Pompeium, hominem à mulierositate & libidine remotissimum, quòd vno digito caput scaberet. Crassus insimulatus est incestæ cum Vestali quadam virgine consuetudinis, quòd cum ab ea emere prædium quoddam pulcrum cuperet,sepius eam demerendi gratia conveniret.Postumia quòd promtiùs rideret, & cum viris liberiùs colloqueretur,in suspicionem non seruatæ pudiciæ venit,ita quidem vt etiam causam in iudicio cogeretur dicere. & insontem criminis compertã Sp. Minucius pontifex maximus cùm absolueret, monuit ne verbis vitæ castimoniam non æquantibus vteretur. Themistoclem etiam innoxium, amiciciæ cum Pausania vsus & missi crebrò nuncij ac litteræ, in suspicionem proditionis vocauerunt. Ergo cùm aliquid

aliquid obiicitur falsum, non id ideò quia verum nõ est, contemni debet aut negligi: sed circunspiciendum, quodnam tuum dictum aut factum aut propositum, vel quis eorum qui tecum sunt ansam similitudine huic calumniæ dederit, idq; studiosè cauendum porro & fugiendum. Si enim alij rebus circumuenti insperatis atque tristibus discunt quid sit vtile. quomodo Merope ait:

—me uerò fortunæ uices,
Cariſsimis meorum mercedis loco
Erudiere ademtis. —

quid impedit, quo minus gratis docentem magistrũ admittentes inimicum, vtilitatem capiamus, & aliquid eorum quæ nos latebant discamus? Multa enim inimicus amico faciliùs sentit, cùm amator, vt Plato ait, cæcutiat in amata re. Odio præter curiositatem etiam loquacitas adest. Hiero, cùm ei quidã inimicus oris fœtorem exprobrasset, domum se ad vxorem recipiens, Quid hoc, inquit, rei est? cur tu mihi hoc non indicauisti? illa verò, vt erat pudica & simplex, Existimabã, ait, omnes viros sic olere. adeò & quæ in sensus incurrunt, & ad corpus pertinent, & omnium conspectui sunt expositа, priùs ex inimicis quàm ex amicis aut familiaribus cognoscimus. Iam linguæ continentiam, quæ pars est virtutis non exigua, obtemperantem rectæ rationi semper habere non potest, nisi qui exercitatione, accuratione, laboríque contentione pessimos affectus, qualis est ira, edomuerit. Voces enim quę inuitis éxcidunt, de quibus illud dici potest,

Linguæ moderatio.

Erupit claustris uallati dentibus oris, *Odyss. α, 64.*

& quòd nonnulla verba evolant fortuitò, maximè vbi animi excandescentia exercitatione nõ subacta quasi labimur & diffluimus: hæc inquam proficiscũtur ab impotẽtia animi iram regere ignari, propter ruditatem iudicij, & vitæ rationem ferociorem.

Cæterùm orationi, leuissimæ rei, grauissima (vt est apud diuinum Platonem) & apud deos & apud homines pœna est proposita. Silentium vbique est impune, neque tantùm, quod ait Hippocrates, contra sitim valet. maximè autem adhibitum vbi maledictis impetimur, grauitatem habet, éstque Socraticum quippiam, aut potiùs Herculeum. siquidem Herculeus etiam

Non, quantum uel musca, animum aduertit maledictis.

Neque hoc sanè grauius & pulcrius est quiescere inimico criminante, & maledicum

Velut obstreperum scopulum præternatare:

sed exercitatio potior est. Condocefactus enim taci tus ferre conuicia inimici, facilè etiam feres incitationem vxoris maledicentis, neq; perturbaberis amici aut fratris acerbioribus vocibus. & patrē quoque aut matrem iacientem vel verbera ingerentem sine ira sustinebis. Etenim Socrates Xanthippam ferebat, iracundam morosámque mulierem, quòd faciliùs cum aliis se versaturum putabat, si istam sufferre adsueuisset. Multo autem præstat inimicorū & alienorum dicteria ac conuicia, iras, & obscenas infecta tiones exercitatione præparatum posse animo quieto & æquo tolerare. Atque hoc modo licet in inimiciciis mansuetudinem & malorum tolerantiam demonstrare. Simplicitati & magnanimitati atque bonitati plus loci hic est, quàm in amiciciis. non enim tam pulcrum est, bene amico facere, quàm turpe nō facere id, cùm necessitas eius requirit. Cæterùm oblata occasione vlciscendi inimicum, eum missum facere, æquanimitatis est. qui verò & miseratur inimicum afflictum, & opem fert indigenti, & filiis eius ac familię aduerso ipsorum tempore operam suā studiúmque defert: hunc qui non amat ob animi humanitatem, neque ob probitatem laudat,

Aequanimitas aduersus inimicos.

Huic pectus atrum est, atque adamantinum,

Effica-

Efficta ferro uiscera uel rigent.

Cæsari cùm statuas Pompeij deiectas erigi iussisset, Cicero dixit: Pompeij statuis restituendis tuas defixisti. Itaque ne laudationi quidem parcendum est inimici, merito suo eam reportantis. hoc enim laudanti maiorem conciliat quàm laudato laudem: & cùm alio tempore vituperat, creditur non odio hominis id facere, sed quia factum eius improbet. &, quod pulcerrimum est atq; vtilissimum, longissimè abducitur ab invidendo amicis res secundas aut familiaribus gloriam rei bene gestæ, qui vsu didicit etiam inimicos laudare, neq; morderi eorum successibus, aut invidere iis prosperitatem. Et verò quænam alia exercitatio maiorem conferat animis nostris vtilitatem, aut affectionem meliorẽ, quàm quæ ex eis invidentiam æmulationémque malignam aufert? vt enim in ciuitate multa necessaria quidem ea, sed tamen mala, vbi consuetudine recepta vim legis adipiscuntur, non facilè possunt aboleri, quantumvis damnosa sint. ita inimicicia cum odio introducit invidiam, obtrectationem, læticiam de adversis inimici rebus, acceptarum iniuriarum memoriam, eáq; in animo relinquit. accedunt fraudes, imposturæ, & insidiæ, quòd hæc putamus adversus inimicos neq; malè neq; iniustè adhiberi: manéntq; & altè radices agũt. quæ nisi vsurpare adversus inimicos caueamus, victi cõsuetudine postmodò etiam ad amicos transferimus. Quod si rectè Pythagoras in brutis animalibus adsuefecit suos ad vitandam crudelitatem & iniurias, ideóq; & aucupes improbauit, & piscium redemtis capturis, dimitti eos iussit, omníque non feri animalis cæde interdixit: multo profectò honestius est in dissensionibus & cõtentionibus cum hominib. aliis inimicos nos esse ingenuos, iustos, & veraces, affectúsque prauos & degeneres ac maleficos compescere. vt in cõsuetudine cum amicis animus planè sedatus omni abstineat maleficio.

Exercebat cum Domitio inimicicias Scaurus, eíque actionem iudiciariam intentauerat. ante diem iudicio dictum seruus Domitij ad Scaurum venit, indicaturus eorum aliquid quæ ad eam actionem pertinerent, Scaurúmque laterent. sed Scaurus indicium non admisit, hominémq; correptũ, ad dominum remisit. Cato Murenę diẽ dixerat ambitus, & argumẽta quibus reum peragere criminis posset conquirebat. eum sequebantur, vt erat moribus receptũ, qui obseruarent quid ageretur. ij persæpe quærebant è Catone, an ista die aliquid tractaturus esset quod ad iudicium Murenianũ pertineret. si acturum se ea in causa quicquam negaret, fidem habebant viro, & discedebant. Hæc quidem maximum continent argumentũ Catonianæ existimationis. sed maius hoc est atq; pulcrius, quod iusticiá etiá adversus inimicos adhibere adsuefacti nunquam iniustè sumus aut per fraudationẽ cum amicis acturi. Sed quoniam, vt dixit Simonides, omnibus cassitis cassidem oportet esse innatã, ita etiam omnis natura humana profert studiũ rixandi, obtrectationem, & invidiã vanorum asseclá (vt ait Pindarus) hominum: non mediocriter profectò rebus suis cõsuluerit, qui istas animi affectiones in inimicos quasi effundẽs expurget, & cloacis, vt sic dicã, quibusdam ductis ista quàm longissimè à sociis & domesticis deriuet. Quod mihi animadvertisse Onomademus videtur, homo rationũ ciuiliũ peritus. qui cum in Chio orta seditione à potentiore staret parte, hortatus est socios, ne omnes aduersarios eiicerẽt, sed quosdam in ciuitate relinquerẽt. dicebat enim alioquî periculũ fore, ne omnibus inimicis sublatis cũ amicis extituræ ipsis essent controversiæ. Eodem modo isti in inimicos insumti praui affectus, minùs molesti erunt amicis. Necesse enim non est vt figulus figulo inuideat, & cantor cãtori, sicvt Hesiodus cecinit: neq; æmulatio malevola inter vicinos, cognatos aut fratres necessária est, altero

Vitia cõtra inimicos vsurpanda.

Initio Operum.

altero ad opes properante,& ſucceſsibus vtẽte proſperis.Sed ſi omnino nulla alia ratio inveniripoteſt, qua rixis,invidia, cõtentionibus libereris: cõdocefacito teipſum, vt inimicorum lætis rebus mordearis, in iiſq; ſtudium concertandi tuum irita, imprime,acue.Sicvt enim ſciti agricolę roſas & violas putant ſe facere meliores, ſi halia & cepas iuxtà plantent:quod in ea excernitur quidquid alimẽto acerbum ineſt aut fœtidum. ita inimicus quoque excipiens invidiæ & malignitatis tuæ ictus, benevolentiorem te amicis ſecunda vtentibus fortuna reddet atq; cõmodiorem.Itaque cum inimicis contendendum eſt de gloria, potentia,aut licitis rei familiaris incrementis, vt non vramur modò ſi in hoc genere ab iis ſuperemur, ſed & omnia ea obſeruemus vnde illi nobis priores fieri potuerũt, conemúrq; eorum vincere induſtriam,conſtantiam laboris, & temperantiam, nóſque ipſi obſeruemus. qua ratione dixit Themiſtocles,ſibi Miltiadis Marathonia victoria ſomnos adimi. Qui enim inimicum exiſtimat priores ferre in honorib. publicis,aut patrociniis,aut reip. procuratione,aut apud amicos vel principes:iſſi ab agendo & æmulando omnino ad invidendum & animo languendum ſe convertat: inani certè ineffícacíque conflictatur invidentia. Qui verò non excæcatur odio inimici, ſed vitam eius, mores, dicta, factáque vt incorruptus ſpectator contemplatur: ipleraque eorum, quorum ſiniſtra æmulatione correptus eſt,intelliget ei diligentia,providentia,probíſque actionibus parta eſſe: eodémque contẽdens, ſtudium honeſtatis gloriæque ſuum augebit, vanitate & ſocordia affectuum amputatis. Sin eveniat, vt inimici adulando,nequicioſè agendo, cauſas forenſes tractando, aut operam mercenariam locádo in rebus turpibus atq; illiberalibusvideãtur aliquid potentiæ in aulis rebuſpublicíſve conſecuti, fructũ inde nonnullũ percipere: non modò id moleſtiam

nobis obiiciet nullam, sed & gaudium adferet, nostram libertatem vitámq; puram & contumeliæ expertem iis opponentibus. Quidquid enim supra & infra terram est auri, comparari cum virtute nõ meretur: siquidem Platonem audimus. Est etiam in promtu Solonis illud habendum:

Virtute nihil pulcrius

At nos uirtutem non permutabimus horum,
Pulcráq; uirtutis munera, diuitiis.

hedum virtuti nostræ præferamus acclamationes theatrorum epulis corruptorum, aut honores & priores accubitus apud eunuchos & pellices & satrapas regum. nihil enim horum dignum est admiratione aut æmulatione, neq; pulcrum, quod à turpitudine proficiscitur. nisi quod amans obcæcatur in cõsideratione rei amatæ, & faciliùs sentimus turpitudinem cùm ea ab inimicis admittitur. Cæterùm neque conceptum de eorum peccatis gaudium, neque dolor nobis ob eorũ rectè facta obortus ociosa esse debent: sed rationes vtrinq; instituẽdæ ita sunt, vt & eorũ erratis cauendis præstantiores & imitandis rectè factis non deteriores ipsis exsistamus.

PLVTARCHI

De amicorum multitudine libellus.

MEnonem Thessalum, qui in differendo satis videbatur exercitatus, omnióque in summo (iuxta illud Empedocleum) sapientiæ versari culmine, Socrates interrogauit, Quid esset virtus. cúmq; respondisset satis promtè atque proterue, virtutẽ & pueri esse, & senis, & viri, & mulieris, & magistratus, & priuati, & domini, & serui: Tu verò, inquit Socrates, præclarè, qui de vna interrogatus

tus virtute, velvt apiarium quoddam virtutum excitasti. non malè coniiciens, abs ne vnam quidem cognitam habente virtutem homine, plures nominaret. Nonne nos quoque subsannauerit aliquis, qui cùm ne vnam quidem firmiter contraxerimus amiciciam, metuimus ne imprudentes in copiam compluriũ amicorum incidamus? ferè enim perinde hoc facimus, ac si mutilus cæcúsve aliquis vereatur, ne in centimanum evadat Briareum, aut Argum illum oculorum multitudine nobilem. Atqui maiorem in modum laudamus adolescentẽ illum Menandri, qui se valde admirari ait vnumquenq; bonorum cui amici vel vmbra obtigerit. Iam inter multas alias hęc non est minima causa cur nullos amicos paremus, quòd multitudinem amicorum appetimus, cùm instar impudicarum mulierum sæpe & cum multis coëuntes, primos quosque neglectos & dilabentes retinere non possumus. aut potiùs quemadmodũ Hypsipylæ alumnus ille in prato sedens carpebat alium post alium florem consectatus læto animo, vt est apud poëtam, infantia invtilem reddente delectum: ita quivis nostrũm studio quodam nouitatis & præsentium fastidio recenti semper & quasi virente capitur amico, ac subinde mutatur multas simul imperfectásque ordiens amicicias ac familiaritates, & ob amorem eius quem sectatur, præterit iam partũ. Proinde initio repetito ex ipsa antiquitate, tot à prischis temporibus seculorum decursum testem & consiliarium rei huius adhibeamus, consideremúsq; de veris amicis quæ fama sit ad nos propagata. Inveniemus autem binos semper amicos memoriæ perhibitos, Theseum & Pirithoum, Achillem & Patroclum, Orestem & Pyladem, Pythiam & Damonem, Epaminondam & Pelopidam. Est enim amicus animal vnà quidem degens, sed non vt in armento aut graculorum caterua. & quòd amicus dicitur alter ipse, id nihil aliud significat quàm binariũ esse ami-

Paria amicorum.

ciciæ mensuram. Iam neq; seruos, neq; amicos multos exiguo nomismate emere licet. Quod autem est nomisma quo amici comparantur? benevolentia & gratia cum virtute coniuncta. quibus rebus nihil rarius fert natura. itaq; valdè amare & amari inter multos locum non habet. Sed sicvti amnes in multos diuisi alueos, imbecilli fluunt ac tenues: sic vehemens amor in animo si dissipetur in multos, eneruatur. vnde fit vt ea etiam animalia prolem suam magis ament, quæ vnum tantùm gignunt: & Homerus carum filium appellat

Iliad. 1, 478 *Solum, atque in senio natum:* —

scilicet cùm alium parentes neque habent neq; sperant. Nos amicum quidem esse vnicum non volumus, sed inter reliquos sit tardè comparatus, ac qui proverbio vulgatum illum salis modium nobiscum ederit: non ita adscitus, vt hodie qui semel vnà potauerint, aut pila luserint vel alea, aut ex caupona, palæstra, foróve vnà discesserint, amici legũtur. Porrò cum in domibus diuitum aut procerum magnã vident turbam hominum salutãtium, prænsantium, stipantium, vulgo eorum laudant fortunas tot amicos habentium. atqui in culinis eorum plures muscas videre possint: neque tamen vel hæ esca, vel illi vtilitate sublata manent. Enimverò ad genuinam amiciciam tria requirũtur potissimùm, virtus vt pulcrum, consuetudo vt iucũdum, vsus vt necessarium. Nam & cum iudicio recipiendus est amicus, & consuetudo læta esse debet, & vsus occasione exigente promtus. quæ omnia multitudini amicorum adversantur, maximè, quod principẽ locum in hac re obtinet, iudicium. Etenim non parum temporis requiritur ad deligendum qui in choro rectè colloquantur, remósve pari incitatione ducant, aut rem familiarem probè administrent, vel liberorum pædagogi vtiliter sint futuri: nedum subitò inveniri queant amici omnem vnà parati subire fortunam, ac quorum

Amicus quo modo deligendus.

rum quisque

Socium secundis esse rebus te uelit,
Tuum nec auersetur infortunium.

Neque nauis ad tantas tempestates in mare deducitur, neque locis munitiones, aut portubus claustra ac aggeres obiiciuntur tot tantorúmque periculorum metu, cõtra quot adversitates auxilium & præsidium pollicetur amicicia veræ probatęq; constantiæ. qui verò non explorati se pro amicis ingesserũt, eos cùm instar pecuniæ improbę exploramus & deprehendimus, vel gaudemus si se subduxerint, vel si adsint, optamus iis liberari. Est verò graue, & nequaquam facile, amiciciam quæ displiceat dissoluere. Sed quemadmodum pernicioſum ac molestum nobis cibum neque possumus sine damno & dolore retinere, neque talem qualem sumsimus eiicere, sed fœdum & aliis cõfusum rebus atque tetrum: ita malus amicus, aut nostra & ipsius cum molestia nobis adest, aut per vim cum odio tanquam fel eiicitur. Non itaque facilè recipere debemus, neque temere coniungi cum quibusvis nos compellantibus, neq; amare eos qui nos sectantur: sed potiùs sectarĩ dignos amicicia. Non enim semper dignum est quod amplectare quidquid facile paratu est. nam vt ericam & rubum, quæ nos apprehendunt, calcantes & dimouentes ad oleam vitémve ferimur: sic non debemus perpetuò eos qui se nobis applicant admittere in amiciciam, sed ipsi potiùs eos apprehendere, quos experti sumus dignos esse amicicia, vsuíque futuros. Sicvt igitur Zeuxis quibusdam culpantibus quòd tardè pingeret, respondit, Fateri se, multum se temporis insumere pingendo, quia in multum tempus vellet ea durare, quæ pinxisset: ita multo tempore probata amicicia, perdurabit. Quid? facile non est multos simul amicos diiudicare, cum multis simul versari facilè?

Consuetudo amicorum.

immo autem impossibile est. Atqui consuetudo id est, quo fruimur amicicia: neque dulcius in se quicquam ea habet præsentia & vitæ societate.

Non etenim uiui sociis absentibus unquam
Consilium capiemus. — & de Vlisse Menelaus:

Odyss. δ, 179.

Nec nos extrema cituis diuelleret hora
Mutua præbentes, ut amicum est, gaudia quicquam.

Contrarium amicicia multos cõplexa præstat. Simplex enim amicicia conducit, conciliat, & continet compactos colloquiis & officiis,

Ceu niuei partes immissa coagula lactis
Constrinxere, — vt Empedoclis vtar verbis.

talem enim amicicia vnitionem & coitionem vult efficere. Multiplex verò illa dissipat, avellit, avertitque, aliâs aliô avocans, neque finit benevolentiã consuetudine circumfusa ac coëunte coalescere aut agglutinari. Atque hinc statim oritur officiorũ inæqualitas & ineptus in iis obeundis pudor. Facit enim multitudo amicorum vt invtiles sint eæ partes amiciciæ, quæ vtiles esse debebant. cùm alij aliis hominibus mores, diuersa diuersis curæ sint. neque enim omnium eodem incitatur ingenia, neq; omniũ eadem est fortuna quibus cum viuimus, & occasiones rerum agendarum sicvt & venti nauigantibus aliquando adversæ sunt, aliquando secundæ. Quod si omnes amici eadem opera aliquando indigeant, sufficere omnibus difficile est cõsultantibus, rempp. gerentibus, ambiẽtibus, aut hospites excipientibus. Sin eodem temporis articulo diuersis negociis & studiis dediti simul postulent, alius vt nauiganti comitem te præbeas, alius vt ei causam dicenti suam adsis, alius vt eum in reo aliquo accusando adiuues, alius vt ementi vendentive operam naues, alius vt nuptiali eius sacrificio interesis, alius vt funus vnà deducas: ibi verò in ista amicorum multitudine

Ex Sophoc. tyranno.

Suffitibus plena urbs, & est pæanibus,

Et

Et gemitibus. — ibi neque omnibus præstare officium possis, & nulli, absurdum est, & multos offendere dum vni te das, durum. Nō enim quisquam æquo fert animo negligi se, qui amat. immò negligentiæ amicorum minùs succensent, & absq; ira huiusmodi excusationibus placātur, quibus obliuio præscribitur. Qui autem sic se excusat, Nō adfui tibi in iudicio, advocatus enim fui alterius amici: Non inviſi te febricitantem, quòd alteri amicis conviuium præbenti nauaui operam: dum ob alterius curā hūc se neglexisse fatetur, non diluit offensam, sed auget adiecta riualitatis materia. Sed nimirum multi tantùm considerant quę commoda percipi ex amicicia possint, non obseruantes quid oneris interim ea imponat: neque meminerunt debere multis vicissim inseruire eum, cuius multi inseruiuerūt vsibus. Sicvt igitur Briareus centum manibus cibum in quinquaginta inferens ventres, nihil eorum aliquo amplius habuit, qui duabus manibus vni ventri sufficiunt: ita amiciciarum vtilitatibus etiam hoc adest, quod iis qui fruitur, multis opus habet inseruire, & occupationum, certaminum, laborúmque multorum partem sustinere. Neque enim audiendus est Euripides sic præcipiens,

Mortalium mediocres esse enim decet Hyppolito.
Vsus amoris mutui, & solubiles,
Nec ad medullas penetrare intus ultimas:
Intendere ut possis facilè aut remittere.

scilicet velvti gubernaculo nauim, ita vt vsibus amicicias verses. Hoc verò, mi Euripides, ad inimicicias transferamus, iubeamúsque contentiones esse mediocres, neque pertinere ad intimam animi medullam, sed odia, iras, querelas, suspiciones ita susci-pi, facilè vt aboleri possint. Id autem hic potiùs nobis præcipe Pythagoricum, Ne multis manum iniiciamus: hoc est, ne multos faciamus amicos, neque

multis communem & quasi publicam amplectamur amiciciam,& in contrarium * * quæ multos secum affectus trahit, de quibus vnà cum amicis anxium esse, molestia affici,laborare, pericula subire, res est non planè intolerabilis ingenuis ac generosa indole præditis. Verum autem est illud Chilonis sophistæ, qui dicenti nullum se habere inimicum, respondit:videris tu mihi amicum etiam nullum habere. Inimiciciæ quippe statim comitantur amicicias, iisq; sese implicant. neque fieri potest vt amici non fiant iniuriarum,ignominiarum,odiorúmq; participes. inimici enim amicum eius quẽ oderunt, suspectum illico habent,maléq; ei cupiunt:amici sæpenumero invident, obtrectant,& circũagunt. Oraculũ Timesię de colonia ducenda quærẽti,respõsum fuit

Quære examina apum,uespárum & habebis abundè.

Damna ex amicis.

Ita qui amicorum gregem quærunt, incauti in examina inimicorũ incidunt. Neq; verò eiusdem sunt ponderis inimici iniuriarum memoria & amici gratia. Considera quomodo Alexander tractauerit Philotæ &Parmenionis amicos atque familiares:vtque Dionis amicos Dionysius,Plauti Nero,Seiani Tiberius torserint atq; necauerint. vt enim Creonti nihil profuit filiæ aurũ & diuitiæ, sed ignis subitò inflammatus accurrentem amplectentémque concremauit: sic nonnulli cum ex secundis amicorũ rebus nullum perceperint fructum, calamitatis eorum & exitij fiunt comites, quod maximè vsu venit philosophis ac scitis hominibus. sicvt Theseus Pirithoo pœnas danti vinctóque

Compedibus alligatus est perennibus.

In peste ait Thucydides maximè eos qui virtutẽ affectarent, dum sibi ipsis non parcunt, sed suos invisunt,vnà cũ ægrotantibus periisse.Itaq; virtute non ita est abvtendũ vt eam aliis alligemus atq; implicemus:sed dignis eius est seruãda cõmunio,hoc est iis, qui

qui viciſsim eodem modo amare & communicare poſſunt. Etenim id omniũ maximè multitudinẽ amicorũ impedit, quod origo amiciciæ ex ſimilitudine eſt. Cũ enim bruta cũ diſparibus miſceãtur non niſi inuita, ſubſidántq; & ſubterfugiãt, cũ ſui aũt generi bus libẽter mutua quadã affectione ſociata coëant: qui poſsit exiſtere amicicia vbi mores ſunt diuerſi, affectus diſsimiles, vitæq; inſtituta diſcrepãtia? Nã concẽtus quidẽ neruorũ ex cõtrariis ſonis cõflatur, acutis & grauibus vtcunq; ſimilitudinẽ quandã gignentibus. Amiciciæ aũt cõcentus, nullã vult partẽ eſſe diſsimilẽ aut inęqualẽ: ſed oportet omnia dicta, ſenſa, cõſilia, & affectus inter ſe cõvenire, velvti vno animo in plura diffuſo corpora. Quis verò eſt ita laborioſus & mutabilis & varius homo, vt ſe multis ſimilem reddere atq; accommodare velit, ac non potiùs Theognidem rideat ſic præcipientem?

Similitudo amiciciæ origo.

Polypodis mentem uerſuti ſume, ſub omni
Qui uiſu præbet ſe ſimilem lapide.

Atqui polypodis mutationes non penetrant intrò, ſed in ipſa fiunt ſuperficie, denſitate & laxitate ſua defluxum recipiente rerum vicinarum. Amiciciæ eſt mores, affectus, ſermonem, ſtudia, & animi ſenſum exæquare. Protheus verò ſit quidã infelix, neque adeò bonus, qui ſubinde præſtigiis quibuſdam ex alio ſeſe in alium transformet, legat cum litterarum ſtudioſis, in arena ſit cum palæſtræ deditis, venetur cum venationem amantibus, cum ebrioſis potet, cum ciuilibus comitia obeat, neque proprios habet ſuarum actionum lares. Sicvt autem philoſophi naturam ſiue materiam formæ ac coloris expertem, vt ſubiectum, ſui mutationibus aiunt modò incendi, modò humectari, & aliàs in aërem diſſolui, aliàs condenſari; ita amicorum multitudini ſubiicere oportebit animum multiplicem, verſatilem, mobilem, & facilè mutabilẽ. Cæterùm amicicia ſtabile

requirit quippiam, & immutabile ingenium, quod eandem retineat consuetudinem. ideò rarus & inventu difficilis est constans amicus.

PLVTARCHI

Libellus de fortuna.

Vitam regit fortuna, non sapientia, dixit quidam, res humanas non consilij dexteritate, sed fortuito dispensari sentiens. Quid ergo? neque iusticia, neque æqualitas, neque temperantia, neque modestia res humanas dirigunt? sed à fortuna & propter fortunam factum est vt in sua perseueraret Aristides paupertate, cú parare diuitias sibi posset? & Scipio Carthagine capta nihil prædæ neque videret neque acciperet? & Philocrates accepta à Philippo pecunia meretrices ac pisces emeret? Lasthenes & Euthycrates ventre ac rebus turpissimis metiti felicitatem, Olynthum perderent? Alexãder Philippi F. captiuis mulieribus cùm ipse abstineret, tum vim facientes puniret? Alexander autem Priami F. aduersa fortuna eò adactus est vt stuprum hospitis vxori offerret, eáque abducta duas continentes bello ac malis impleret? Hęc enim si fortunæ adscribũtur, quid impedit quo minus feles, hircos, simias dicamus fortuitò esse gulosos, libidinosos, scurriles? Sin & aliqua temperantia, iusticia, fortitudo, quî consentaneum est prudentiam, si prudentia, consilij dexteritatem nullam esse? cum & tẽperantia dicatur quædam esse prudentia, & iusticia præsentem requirat prudentiam. Immò prudentiam qua adhibita circa voluptates officium tuemur, continentiæ & temperantiæ nomine afficimus: eandémque in periculis & laboribus tolerantiam ac fortitudinem, in contractibus & rebus publicis æquitatẽ iusticiámq; voca-

Virtutes fortunæ opponit.

vocamus. Vnde fit, vt si fortunæ imputamus quæ consilij dexteritate prẽstantur, eidem etiam iusticię & temperantiæ opera sint imputanda: & furari me hercle, & marsupia desecare, & lasciuire, fortunę acceptum feretur. denique nostris ratiocinationibus valere iussis, fortunæ totos nos trademns, quasi ventoquodam instar pulueris aut quisquiliarum exagitatos atque dissipatos. Iam consilij dexteritate sublata, par est neque considerationem vllam rerum relinqui, neque inuestigationem vtilitatis. sed delirauit Sophocles, cum diceret:

— quicquid quæritur,
Licet inuenire: neglectum uerò, latet.

& rursus, cum res diuidens ait:

Discenda disco, & inuenienda si qua sunt,
Inquiro: uoti quæ sunt, à diis peto.

Quid enim inuenire aut discere possint homines, si fortuna omnia diriguntur? cuiusnam vrbis curia, cuius regis cõcilium non evertitur, si fortunæ omnia parẽt? cui nos cæcitatem exprobramus, quia in eam cæci incidimus. Quî verò non incidamus, si consilij dexteritatem, quæ oculorum instar nobis est, abiicientes, cæcam vitæ ductricem eam nobis adsciscimus? Finge verò aliquem nostrûm sic dicere: fortuna præstat vt videamus, non visus & oculi, quos luciferos Plato dicit. fortuna audimus, non facultate ictum aëris apprehendente qui per aures ad cerebrum fertur. quis non vereatur hoc modo sensibus detrahere? Atqui visum, auditum, gustatum, olfactum, reliquas item corporis facultates atque partes natura nobis dedit, vt earum ministerio prudentia vteretur. Mens enim videt, mens audit, reliqua cæca sunt, & surda. Et sicvt sole sublato, quod ad reliqua sidera attinet, perpetuam haberemns noctem, vt Heracletus dixit: ita præstare reliqui sensus non possent absque mens esset & ratio, vt reliquis ani-

Mentis vis.

malibus anteiret homo. Nunc quòd potiores sumus, iisq; imperamus, non casu aut fortuito fit, sed Prometheus, id est rationis vsus, hoc efficit,

Fœtus equorum, asinorumq;, & boum genus,
Munera rependens, quæ nostris laboribus
Subeant. — vt est apud Aeschylum.

Hominis cũ brutis collatio.

Alioqui sui ortus natura & cõditione pleraq; bruta sunt quàm nos meliore. alia enim cornibus armantur, dẽtibus, stimulis: & echinus, vt ait Empedocles,

Dorsum horret spinis, & spicula torquet acuta:

tum verò amicta sunt & suffulta squamis, villis, chelis, vngulis duris. Solus homo, vt ait Plato, nudus, inermis, sine calceis & tegmine est à natura relictus.

Vnum sed hæc largita, emollit omnia:

scilicet rationis vsum & industriam ac providentiã.

Vires exiguæ sunt mortalium.
Sed calliditate multiplici,
Belluas maris, & terrestria,
Et sub cœlo uolitantia
Omnia homo domat.

Nihil agilius equo, nihil velocius: sed hominibus currunt. ferox est animal canis, & iracũdum: sed homines custodit. multũ carnis habet porcus, esu suauissimus est piscis: alimentum & obsonium homini sunt. Quid maius elephanto, quid adspectu terribilius? verùm & hic ludicrum hominis factum est, & spectaculum in solennibus conventibus, discitq; saltationes suas & choreas ac ingeniculare. Atque hæc non invtiliter spectanda proponuntur. faciunt enim eò, vt discamus quò hominem attollat ratio, & quibus rebus eum superiorem faciat, vtq; omnia in suam redigat potestatem.

Odyss. b, 246 *Non etenim pugiles, luctatorésue profectò*
Inuicti sumus, aut cursu contendere digni:

sed in his omnibus præstant nobis bruta. Peritia autem,

tem, memoria, sapientia & arte secundum Anaxagoram omnia quæ ipsa habent in nostros vertimus vsus. sauos apũ colligimus, lac mulgemus, & res brutorum nostro arbitratu agimus ac ferimus: nihilque hic fortuna, omnia consilio & providentia geruntur. Enimverò in humanis rebus haud dubiè censentur etiam artificum opera, & fabrorum qui metalla cudunt, qui domos ædificant, qui statuas faciunt. in quibus nihil forte fortuna aut casu absolui videmus. vtque perpusillum aliquid fortuna interdum architecto aut mulcibero cõmodet, certè plurima & maxima opera ars seipsa contenta perficit. Hanc rem poëta sic declarauit.

Artes fortunæ opponit.

Ite in uiam nunc omnis artificum tribus,
Qui filiam trucibus oculis notam Iouis
Colitis cistas gerentes Erganam sacras.

est enim Ergane Opifex. hanc itaque Mineruam operum præfectam, non fortunam patronam agnoscunt artes. Ferunt quendam, cùm equum cæteras ad partes quod attinebat lineis & coloribus probè expressisset, spumam tantùm quæ fræno concusso cum anhelitu efflabatur, non ita pinxisset vt sibi satisfaceret, itaque sæpiùs deleuisset & denuo conatus esset perficere, ad extremum præ ira spõgiam vt erat plena pigmentorum in tabulam cõiecisse: eámque non sine miraculo operi id quod desiderabatur addidisse. hoc vnum fortunæ artificiosum facinus narratur. Cæterùm artifices regulis, amusibus, mẽsuris ac numeris vbiq; vtuntur, ne quis casui locus in opere relinquatur. Et quidem ipsæ artes paruæ quædam appellantur prudentiæ, aut riuuli potiùs prudentiæ, & fragmenta quædam vsibus vitæ nostræ inspersa: quod ignis Promethei ænigma innuit, hinc inde dispersus. sic enim prudentiæ etiam particulæ quædam in minuta frusta diuisæ in ordines sunt redactæ. Mirum itaque sit, cùm artes vt

ſuum finem conſequantur nihil indigeant fortunæ opera, artem omnium maximam & perfectiſsimam, quæ ſummam humanæ gloriæ & officij continet, nullam eſſe. Eſt quædam in intendendis remittendiſque fidibus prudentia, quæ muſica dicitur: eſt in apparandis cibis, quæ culinaria: eſt in lauandis veſtibus, quæ fullonum. tum pueros docemus ſe induere veſtibus & calceis, dextráque cibum capere, læua panem tenere: quòd ne hæc quidem ipſa fortuitò fiant, ſed attentione & peritia opus habeant. maxima verò & ad felicitatem præcipuè facientia dicemus non adhibere prudentiam, non rationis vſum & providentiam? Atqui nemo terram aqua madefaciens diſcedit, vltrò & fortunæ opera lateres inde exituros cenſens. neque quiſquã lanis & corio partis ſedet fortunam precans vt veſtem ſibi ex iis aut calceos efficiat. qui verò multum auri, argenti, mancipiorum collegerit, in aulis habitet multiforibus, atque ante ſe habeat lectulos ſumtuoſos & menſas: cenſebit iſta, ſi abſit prudentia, felicitatem fore, aut vitam beatam, doloris expertem, & mutationis ſecuram? Interrogauit quidam reprehendendi animo Iphicratem, quis eſſet, cum neque arma, neque arcum, neque cetras ferentium in ordine cenſeretur. reſpondit, Eum ſe eſſe, qui hiſce omnibus imperaret atq; vteretur. Ita prudẽtia neq; aurũ eſt, neque argentum, neq; gloria, neq; valetudo, neq; diuitiæ, neq; robur, neq; pulcritudo. quid ergo ea eſt? id quod rectè vti his omnibus poteſt, ac ſingula horum iucũda facit, laudabilia, vtilia, cùm ſine hac inutilia, ſterilia, damnoſáq; ſint, & moleſtiam ac dedecus poſſidenti ea adferant. Præclarè itaque Prometheus apud Heſiodum præcipit Epimetheo,

Prudentia quid.

— Ne *munera magno*
Ab Ioue miſſa unquam accipiat, ſed habere recuſet:

nimirũ de fortunę bonis & externis loquẽs: perinde ac

ac si musicæ ignarum canere fistula, aut recitare indoctum, aut equitare ignarum equi gubernandi vetaret: ita eum hortans ne magistratum gerat cum imprudens sit, néve sit diues, animo præditus illiberali, nève vxorem ducat, sub eius futurus imperio. Nõ enim duntaxat res secũdæ indigno oblatæ occasionem stultis exhibent malorum consiliorum, vt Demosthenes dixit: sed & prosperitas merito maior imprudentibus calamitatum ansa & origo est.

PLVTARCHI

De Virtute & vitio libellus.

VEstes hominem videntur calefacere, cùm quidem ipsæ calorem non adferant, suapte natura frigidæ: (vnde etiã sæpe in æstu aut febri vestes subinde mutamus corporis refrigerandi gratia) sed calorem qui ex hominis editur corpore, vestes corpori adhibitæ continent atque comprimũt, inclusúmque corpori non patiuntur dissipari. Idem in rebus error multos decipit, qui suauiter se victuros putant, si in magnis habitent ædibus, multitudine mancipiorum & pecuniarum instructi. Atqui nõ foris est vitæ suauitas: sed rebus suis ex ingenio suo tãquam fonte voluptatem & gratiam adfert homo.

Sed lucente foco domus adspectu quoque fiet
Pulcrior: — & diuitiæ gratiores sunt, & gloria splendidior ac potentia, si animi lætitia accedit. siquidem paupertatem etiam, exsuliũ, & senectutem facilè & placidè ob morum mansuetudinem ac facilitatem ferunt. Sicvt enim aromata gratum odorem etiam lacernis & centonibus conciliãt, cùm Anchisæ corpus saniem malam ederet,

In fila destillantem ueſtis bissinæ:

ita cum virtute omne vitæ genus molestiæ expers *Vitiorũ vis.*

est & iucundum: vitium iis etiam quæ splendida videntur & preciosa & veneranda si admisceatur, molesta facit, & fastidiosa, & ingrata possidentibus.

Beatus iste nuncupatus in foro,
Foribus domus apertus est miserrimus:

mulier totum occupat imperium, mandat, pugnat. Et verò facilè mala se exoneret muliere, qui quidem vir sit, non mancipium. Vitiis verò tuis non licet remisso nuncio, iussisq; suas res habere, seorsim viuere liberatum iis & quiete frui. Vitium enim in ipsis habitans visceribus atque inhærens noctes diésque

Absq; face exurit, crudæ mandatq; senectæ.

Molestus est itineris comes prauitas ob arrogantiã, sumtuosus conviua ob luxuriam, concubina acerba, quòd curis & solicitudinibus ac æmulationibus somnum avertit ac vitiat. Etenim dormientibus somnus corporis est requies: animo interim terrores obversantur, somnia, tumultus ob superstitionem:

Quòd dormitantem si me corripit dolor,
Insomniis miser enecor, — ait quidam. Eodem modo invidia etiam, & metus, & ira, & libido afficiunt. Interdiu enim vitium foras prospiciens ad alios, iisque se accommodans, pudore afficitur & occultat affectum, neque omnino impetibus suis concedit, sed repugnat sæpe ac renititur. in somnis autem legibus iam & aliorum iudiciis nõ ampliùs obnoxium, remotúmq; longissimè à verecũdia & metu, omnem mouet cupiditatem, maliciámq; suam & libidinem exsuscitat. nam & cum matre cõcubitum affectat, vt ait Plato, & cibis vesci quibus religio interdicit, neq; vllo facinore abstinet, fruitúrq; flagitiis quantũ datur, imaginibus fingendis ac visis quę in nullam voluptatem aut perfectionem cupiditatis desinunt, sed mouere tantùm & exacerbare affectus morbósq; valent. Vbi ergo est delectatio vitij, si nulibi vacuitas curarum & doloris, nullibi seipso contentum

Somnus vitiosorum.

tentum esse,nullibi trâquillitas animi ociúmve conceditur?Nam carnis quidem voluptatibus bona corporis temperies & sanitas locum ortúmque prębet. animo gaudium aut lætitia ingenerari non potest, nisi vacuitatem metus ac fiduciam & tranquillitatem is pro fundamẽto substernat. alioquin etsi spes aliqua aut delectatio arriserit, subitò eam cura aliqua erumpens confundet,ac conturbabit,sicvt tranquillo cœlo nauigantibus obiecta rupes. Congere aurum,collige argentum,ædifica ambulationes, imple mancipiis domum,debitoribus vrbem. nisi animi affectus sedaueris, & inexpletæ cupiditati finem imposueris,téque ipsum metu & solicitudinibus liberaueris:vinum febricitanti colas, mel bilioso offers,cibos cœliacis paras & difficultate intestinorũ laborantibus,qui eos non perferunt, sed ab iis perduntur.Non vides, vt ægroti purissimos & pretiosos cibos aversantur, conspuunt, recusant vi oblatos? Postmodò mutata temperie,bonisq; spiritibus & dulci sanguine natis, caloréque naturali restituto, surgunt, & vilem panem cum caseo & nasturtio non sine voluptate edunt?Huiusmodi doctrina animo ingenerat affectionem. Contentus eris te ipso, si didiceris quid bonum sit,quid honestum. Luxuriabis in paupertate, & rex eris, vitámque priuatam & ociosam non minùs habebis gratam, quàm quæ in imperiis & magistratibus agitur.Philosophiæ nauata opera,nunquam iniucundè viues,sed disces omni vitæ statu delectari,omni conditione. Læticiá tibi afferent diuitiæ, multis benefacienti: afferet etiam paupertas multis curis vacuo: & gloria, cùm honore afficieris:& obscuritas, tuto ab inuidia.

PLVTARCHI

De consolatione, ad Apollonium liber.

IAm inde ab eo tempore, quo inaudiui filium tuum, Apolloni, adolescentem, modestum planè atque frugi, & pietatis in deos parentes, atque amicos ita vt non multi alij obseruantem, immatura morte extremum vitæ diem confeciſſe: ſocium me tui doloris ægritudiníſque habuiſti. Verùm ſub ipſum funeris tempus, erat alienũ te compellari abs me & moneri vt caſum hunc humaniter ferres: cùm tu ob inſperatã hanc calamitatem & animo langueres, & corpore: miſerari potiùs oportebat. quando peritiſsimi etiam medici confertim ingruentibus vitioſorum humorum fluxionibus nõ ſtatim medicamenta applicant, ſed tumorem inde ortum patiuntur foris illitis remediis ipſum vltrò concoctione quadam emolliri. Ergo nũc, poſtquam tempus, quo maturari ſolent omnia, aliquod ab iſta effluxit calamitate, animíque affectio tui requirere videtur amicorum auxilium: exiſtimaui me facturum officium, ſi te ad conſolandum aptis rationibus impertirem, quibus & dolor tuus minueretur, & lugubres iſtæ inanéſque tollerentur eiulationes:

Ex Aeſchyli Prometheo vincto.

Oratio ſaucij nanque animi eſt remedium,
Si quis ſuo cor ægrum tempore molliat.

Et ſapienter Euripides:

Remedia morbis diuerſis diuerſa ſunt.
Dolentem amici ſermo benignus ſubleuat,
Fatuo nimis debetur caſtigatio.

Cùm enim animum multi affectus moueant, doloris ea eſt natura, vt omnium hoc grauiſsimè faciat. quẽ & inſaniæ nonnullis cauſam aiunt fuiſſe, & aliorum inſa-

insanabilium morborum.ac fuerunt, qui præ dolore sibi ipsis mortem consciscerent. Iam ex morte filij dolorem ægritudinémque animi cõcipere,res est talis,quæ à naturali profecta principio non sit in nostræ voluntatis sita libertate. Non enim eos probo, qui feram quandam laudibus ferunt durámque indolentiam:quæ neque contingere nobis potest,neque vt posse fingas,commodatura nobis esset. abolitura enim erat,quam conseruari maximè oportet, quæ ex amore vltro citróque exsistit benevolentiã. Mœrore autem vltra modum efferri, eúmque cumulare immodicè,præter naturam esse affirmo,& à prava animi nostri opinione proficisci. Hoc itaque,vt damnosum & vitiosum,& virtute prẽditos viros minimè decẽs,vitemus, mediocritas autem affectuum non est improbanda. Optandum est, inquit Crantor Academicus, ne ægrotemus. sed si in morbo simus, sensus eius aliquis adesse debet, siue secetur pars nostri aliqua,siue avellatur. Indolentia enim illa nõ sine magna iactura homini potest parari. quippe necesse est vt ibi corpus,ita hic animum planè efferatum esse. Postulat itaque ratio vt qui sana sunt mente,in talibus casibus neq; nullos neque nimios animi motus sentiant:quorum alterum est duri & feri, alterum dissoluti effeminatíque animi. probè rationes subduxit,qui se intra suos fines continet, ac moderatè ferre nouit quidquid in vita vel iucundũ obtingit vel asperum. maturéque ita secum constituit, sicvt in populari reipublicæ statu sorte magistratus leguntur, vt si ea tetigerit te, imperandum, si præteriuerit,æquo animo ferenda sit fortuna: ita & rerum humanarum dispensationi esse obedienter & absque incusationibus obtemperãdum. Hoc qui præstare nequeunt,ij ne secundas quidem res ferre prudenter moderatéque possunt.Est enim inter alia pulcrè dicta & præcepta etiam hoc:

Modus in dolore.

Non ulla res tam prospera accidat tibi,

Ducas ob hanc iusto ut maiores spiritus.
Aduersa rursus animum haud deiiciant tuum,
Fac semper idem sis, ubique firmiter
Naturam, ut aurum in ignibus, seruans tuam.

Rectè enim instituti & cordati hominis est neq; mutari ob eventum rerum quæ videntur prosperæ, & constanti animo decorum in aduersitatibus seruare. Et boni ratiocinatoris officium hoc est, aut præcauere malum ingruens, aut acceptum corrigere & quàm minimum redigere, aut tolerantia sese masculà & generosa instruere. Quatuor quippe modis prudentia circa bonum versatur, aut parans id, aut conseruans, aut augens, aut rectè vsurpans. hæ sunt cùm prudentiæ, tum reliquarum virtutum regulæ: quibus in vtraque est vtendum fortuna.

Quatuor virtutis officia.

Non uiuit, omnia cui contingant prospera.
& mehercle
Quod oportet, haud efficies ut sit non opus.

Sicvt enim stirpes aliquando multos, aliquando nullos fructus ferunt, & animalia copiosos aliàs, aliàs nullos procreant fœtus: & in mari tranquillitatis ac tempestatum sunt vicissitudines: sic & in vita multæ ac variæ eveniunt circumstantiæ, quæ homines in diuersos fortunæ casus trahũt. in quos dispiciens aliquis, non ineptè dixerit,

Vices rerũ.

Eurip. Iphig. Aul.

Non te omnia ad læta genuit,
O Agamemnon, Atreus.
Opus est te gaudere, & mœrere:
Mortalis enim natus es. & ut haud uelis,
Superi sic constituerunt.

Et Menandri ista:

Si natus es tu, Trophime, solus omnium
Hac lege, partu cum te mater edidit,
Vt semper eant tibi res arbitrio tuo,
Felicitatem hanc si quis promsit deũm:

Iraſce-

Iraſcereris iure. nam mala is fide
Et improbè egiſſet. Sin iiſdem legibus,
Quibus aerem nos ducimus, in lucem es datus
Hanc publicam. tecum ut liquidò mage fabuler,
Ferenda ſunt hæc, & putanda rectiùs.
Summam rei quod continet totius, homo es:
Quo celeriùs non ullum extollitur animal,
Citiuſue deiectum imo repit in ſolo.
Meritóq; ſanè. cum ſit enim infirmiſſimus,
Grauiſsimis inuoluit ſe negociis,
Suáq; plurima ruina perdit bona.
Iam tu neque rebus excidiſti illuſtribus,
Mediocre & obtigit tibi infortunium.
Reliqua ergo perfer fortunæ in medio ſitus.

Sed tamen cùm hic ſit rerũ humanarum ſtatus, nonnulli præ ſtulticia eò progrediuntur ſtolidæ atq; vanæ iactantiæ, vt cùm aut diuitiarum magnitudo, aut magiſtratus ſublimitas, aut in republica ſeſsio ſuperiore loco, vel honores aut gloria eos aliquãtulum ſuſtulit, minentur etiã & inſultent inferioribus: non cogitantes quàm inſtabilis ſit & lubrica fortuna, & quàm facilè ſublimia deiiciantur, humiliáque in altum celeribus momentis mutationum fortunæ extollantur. Eſt verò non rectè rationes rerum putantis, firmum aliquid in rebus inſtabilibus quærere.

Vertente enim rota, pars altera orbitæ
Superior, inferior altera ſubinde fit.

Ad parandam porrò doloris vacuitatem non eſt certius medicamẽtum ratione, indéq; petita ad omnes vitæ mutationes præparatione. Sic enim cuique ſtatuendum eſt, non modò mortalem ſe eſſe, ſed & vitã ſortitum mortalem, réſq; facilimè in diuerſam mutabiles partem. Verè nimirum hominum mortalia ſunt inq; diem durãtia corpora, & fortunæ affectiones éſque caducæ, omniáque in vita fluxa, *Humanæ res quales.*

Quæ non possit homo quisquam euitare cauendo:

sed, quod est apud Pindarum, Orci fundum obscuri calcamus ferreis necessitatibus. Euripidis sunt hęc:

Non sunt opes stabiles, sed durant in diem. Item,

Vel minima nos euertunt: una adeò dies
Deiicere summa, extollere infima possiet.

Hæc omnia rectè dicta aiebat Demetrius Phalerius: id tamẽ rectiùs habiturum fuisse, si pro vna die momentum temporis dixisset.

Redeunt in orbem res generis mortalium,
Telluris instar fructuum atque alij uigent,
Decerpit alios & metit necessitas.

Et Pindarus alibi. Quid est esse aliquem? quid nullũ? Somnium vmbræ est homo. aptissima ad perspicuitatem & admodum artificiosa vsus hyperbola vitam hominum depinxit. Quid enim est imbecillius vmbra? aut quibus verbis somnium eius effari possis: Hæc secutus est etiam Crantor, qui in consolatione ad Hippoclem, cui liberos mors eripuerat, in hanc scripsit sententiam. Hæc ergo sunt, quæ vniuersa illa vetus philosophia docet atq; præcipit. quæ si non omnia admittimus, id saltem nimis est verum, vitam nostram multis modis laboriosam esse ac difficilem. quod si non ita est natura comparatum, certè à nobis ipsis hæc ei invecta est corruptela: & incerta ista fortuna eminus nos ac iam inde ab initio comitata nihil sanum aut salutare nobis infert. Mali quædam fatalis portio omnibus nostris rebus iam tum admiscetur cum nascimur. ipsa semina mortalia cum sint, partem huius causæ sustinẽt, vnde prauitas ingenij, morbi, curæ, aliáque fatalia incommoda mortales insequuntur. Cur autem cò orationem avertimus? scilicet vt intelligamus, nouum non esse si homini infortunium accidat, sed omnes nos eidem casui esse obnoxios. Improvisa enim est, vt Theophrastus ait, fortuna, habétque magnam vim auferendi quæ

nobis

nobis labore parta sunt, & quæ apparet prosperitatem evertendi, neque vlla constituta temporis vtitur ratione. Hæc & alia id genus facile est cuivis & apud animum suum reputare, & dicta à priscis ac sapientibus viris audire. inter quos princeps diuinus Homerus sic cecinit:

Nil homine in terris infirmius ætheris aura Odyss. ε, 128.
Vescitur, aut perreptat humum. nihil ille malorum
Posse sibi sperat contingere dum uiget, & dum
Permittunt rebus superi gaudere secundis.
At postquam casus immittunt munina diros,
Imito tolerat fatalia tum mala corde.
Humanæ talis stat enim sententia menti,
Qualem quottidie lucem ipse Diespiter adfert.

Et alibi:

Quid genus inquiris Tydida strenue nostrum? Iliad. ζ, 145.
Nil ortus nostri foliorum diffat ab ortu.
Quæ uentus modò fundit humi, modò tempore uerno
Multa renascuntur syluas passim per opacas.
Sic hominum pars orta uiget, pars desinit esse.

Qua eum imagine humanæ vitæ vsum esse pulcrè, manifestum est ex iis quæ alio loco dixit:

Cur hominum causa tecum contendere conor? Iliad. Φ, 463.
Qui foliorum instar nati quandoque frequentes
Gratis uescuntur telluris frugibus: iidem
Dispereunt quandoque frequentes, robore cassi.

Simonides poëta lyricus, cùm Pausanias rex Spartanorum continenter sese ob res gestas iactaret, ipsúmque subsannans iuberet sibi aliquid sapienter præcipere: cognita hominis superbia monuit, vt se hominem esse memoria teneret. Philippus Macedonum rex, cùm eodem tempore tres lætos accepisset nuncios: vnum, quòd quadrigæ ipsius Olympia vicissent: alterum, quòd legatus ipsius Parmenio pugna Dardanos superasset: tertiũ, quòd vxor Olym-

pias marem ipsi peperisset: manibus ad cœlum intẽtis, O fortuna, inquit, modico isthæc compensa damno. scilicet intelligẽs solere fortunam magnis invidere prosperitatibus. Theramenes, vnus de xxx Athenienſium tyrannis, cùm collapsa domo in qua cum aliis compluribus cœnabat, solus evasisset mortem, multíq; eo nomine ipsum beatum prædicarẽt, magna voce sic exclamauit: O fortuna, cuínam me reseruas occasioni. ac non multo pòst tempore excruciatus tormentis iussu collegarum è vita decessit. Sed singularẽ laudem videtur commeruisse Homerus, qui Achillem introducit his verbis vtentem ad Priamũ, ad se redimendi Hectorei cadaueris gratia profectum:

Iliad. ω, 522.

Nunc solio Troiane sede: tristesq; dolorem
Quantum uis mœsti fac alto corde premamus:
Nil etenim gelidis ploratibus efficiemus.
Hanc misero sortem superi iniunxere, malorum
Expertes, hominum generi nam dolia in ipso
Limine cæleſtis primo duo sunt posita aulæ,
Vnde duũm generum Iupiter mortalibus effert
Munera. in hoc bona sunt, aduersa recondita in illo:
Cui commixta Tonans depromit dona, fruetur
Nonnunquam aduersis, rebus quandoque secundis.
Sed cui sola dedit de diro tristia uase,
Is miser est, neque diis, hominum nec amabilis ulli,
In terraq; suos lugubriter exigit annos.

Proximus ab hoc gloria & tempore, ac qui se Musarum profiteretur discipulũ Hesiodus, incluſa dolio mala ipse etiã fingit, quo aperto Pandora omne genus malorum per maria ac terras disseminauerit:

1. Operum.

Illa cadi tegmen manibus dimouit, & unà
Perniciem immisit miseris mortalibus atram.
Consedit sub supremis spes unica labris,
Nec uolucri nisu uacuas exiuit in auras,

Cùm

Cùm Pandora cado priùs obderet improba tegmen.
Aſt aliæ peſtes diræ, numeroq; carentes
Per genus humanum, poſtquam erupere, uagantur.
Plena malis tellus, plenum eſt pelagusq; malorum.
Inuadunt homines morbi noctuq;, dieq;,
Vltrò obrepentes, & triſtia damna ferentes,
Idq; (etenim Iupiter priuauit uoce) ſilentes.

Ab his pendet Comicus, de iis qui huiuſmodi caſus grauiùs ferunt, in hanc ſcribens ſententiam:

Iam ſi mederentur noſtris lacrymæ malis,
Finemq; ploratus dolori ponerent,
Auro redemtis uteremur lacrymis.
Nunc res eas, here, nil curant mortalium,
Nihil his mouentur, eadem ſed pergunt uia,
Seu tu fleas, ſeu ſicca ſerues lumina.
Quid ergo proficiemus? nil. ſed habet dolor
Hunc arboris inſtar. fructum nempe lacrymas.

Dictys quoque conſolans Danaën nimio luctui indulgentem, ita loquitur:

Putaſne Ditem luctibus flecti tuis?
Natum remiſſurumue tibi ob gemitus tuum?
Deſine. intuensq; aliorum in infortunia
Solare mentem. fiet hoc, ſi cogites
In uinculis quàm multi homines mortem obierint,
Quàm liberis orbi multi conſenuerint,
Vel ex tyrannide ampla in infimum ordinem
Fuerint redacti. cogitanda hæc ſunt tibi.

Iubet eam conſiderare & minora & maiora adverſa perpeſſorum caſus, vt animum inde ægritudine leuet. Atque huc pertinet etiam Socratis ſententia, qui cẽſuit ſi in vnum cõgereremus noſtras adverſitates, ea conditione vt æqualem inde quiſque portionem auferret, pleroſq; libenter receptis quas attuliſſent abituros. Hoc genere animum demulcẽdi

vsus est etiam Antimachus poëta. cùm enim morte amisisset Lyden vxorem suam, quam admodum caram habuerat, leniendi doloris causa elegiam scripsit Lyden nomine, in qua enumeratis heroicis calamitatibus, alienorum malorum commemoratione suum mœrorem detereret. vt satis evidens sit, eum qui consolatur lugentem, ostendítque casum hunc ei cum multis esse communem, his quæ aliis evenisse demonstrat commemorãdis, opinionem ægri de sua calamitate diminuere, fidémque ei facere, nó esse tantum quantum videbatur incommodum. Aeschylus quoq; rectè videtur increpare eos qui mortem malum putant, ità pronuncians:

Mors non est malum.

Iniuria mors inuisa est mortalibus,
Summum malorum plurimorum remedium.

Eúmque imitatus is est, cuius hæc sunt:

O mors ueni nostris certus medicus malis,
Qui portus humanis es tempestatibus.

Magnum enim est confidenter posse dicere,

Quis seruus est? qui mortem non meditatus est.

& hoc,

Orco adiuuante non umbris ego terreor.

Quid habet tandẽ mors ita difficile, aut quod adeò molestum esse debeat? nescio enim quí fiat, quod cũ adeò cognata nobis sit & familiaris, tamen doloris plena videatur. Quid verò admirationis meretur res, si scissum est quod erat natura scisile, aut liquatum quod liquabile, aut crematum quod vstile, si periit quod erat ita natum vt interire posset? Quando enim non inest in nobis mors? cùm, vt ait Heracletus, idem sit viuum ac mortuum, vigilans & dormiens, adolescens & decrepitum: quia hæc in illa, vicissímque mutentur. Sicvt qui argillam tractat, fingere ex ea animalis formam potest, rursúmq; difsingere, iterúmque ac quoties libet perpetuò vices istas repetere: sic etiam natura ex eadem materia olim

lim auos nostros, postea patres protulit, deinde nos, ac deinceps alios ex aliis evoluet: ac fluuius ille ortus nostri absque intermissione labens nunquã subsistet, sicvt & interitus flumen huius cõtrarium, siue is Acheron est, siue Cocytus à poëtis appellatus. Prima ergo causa, quæ nobis Solis ostendit iubar, eadem ad caliginosum orcum adducit. Ac mihi imaginem eius rei præbere videtur aër quo circumdamur, alternis vicibus diem ac noctem præstans, inducénsque vitam & mortem, somnum & vigiliã. Hac de causa etiam vita dicitur fatale esse debitum, quod contraxerint maiores nostri, sitq; à nobis persoluendum. quod est faciundum æquo animo & citra gemitus, vbi creditor repetet. hac enim ratione summam modestiam præstabimus. Existimo autem naturam, quod confusionem & breuitatem vitæ haberet cognitam, voluisse nobis terminum vitæ præstitutum esse ignotum. est enim hoc in rem nostrã. Nam si prænossemus, multi profectò immaturis luctibus contabescerent, mortémque morte anteverterent. Iam hoc dispice, quot molestiis & curis vita nostra invndetur: quas si enumerare institueremus, valdè equidem culparemus eam, & sententiam quæ apud quosdam obtinet confirmaremus, qua mors vita potior statuitur. Simonides ea de re sic est commentatus:

Cur terminus vitæ ignotus.

Hominum est exile robur,
Curæ plerunque inanes:
Breue uitæ tempus urgent
Alij ex aliis labores,
Ineuitabilisq;
Mortis crudele fatum,
Sorte æqua destinatum
Iuxtà bonis, malisq;.

Pindarus autem sic:

Semper uni sunt duo

Pyth. oda 3.

Bono mala à diis annexa summis,
Ferre quæ stulti probè nequeunt.

Sophocles verò:

Mortalis est quod abolitus, hoc tu gemis.
Ignarus an futura quid lucri adferant?

Alceste.

Euripides autem:

Natura quæ sit rebus humanis tenes?
Non certè opinor. unde enim? sic accipe:
Mortalibus mors imminet certa omnibus,
Nec ullus est eorum qui certò sciat
Victurus an sit lucem porrò crastinam:
Nam quò sit cuasura fortuna haud liquet.

Cùm ergo talis sit vita hominũ, qualem isti tradũt, cur non eorum potius laudemus fortunas, qui eius obeũdis muneribus liberati sunt, quàm miseremur ac deploremus eos, vt quorundam fert inscitia? Socrates mortem persimilem aiebat esse vel profundissimo somno, vel peregrinationi longinquæ ac diuturnæ, vel vtiq; abolitioni animi iuxtà & corporis. quæ singula deinde examinans, mortem harum rationum nulla malam fieri ostẽdit. Primùm si somnus quidam est mors, dormientibus autem malè nõ est, constat ne cum mortuis quidem malè agi. Quid autem attinet differere somnum eum esse suauissimũ, qui est altissimus? cum omnibus hoc sit notum hominibus. Testatur hoc etiam Homerus:

Mors somni similis.

Odyss. γ. 80.

Dulcis & alta quies, placidæq; simillima morti. &,

Iliad. ξ. 231.

Hic fratrem lethi conuenit sedula somnum. &
Mortemq; & somnum geminos. —

quasi oculis ingerens eorum similitudinem, quod gemelli maximè exprimunt. Alibi etiam mortem somnum vocat ferreum, conans docere nos, in morte nullum esse sensum. Neq; inscitè pronunciauit hac de re, quicunque versiculi autor est:

Nam parua mortis somnus est mysteria.

somno

somno enim verè initiamur morti. Sapienter etiam Cynicus ille Diogenes, cum ante exitũ vitæ obruissẽt ipsum somnus, medicúsque excitassẽt, & an grauiùs aliquid accidissẽt quæreret: respondit, nihil esse mali: fratrem enim fratri antevertere, somnũ morti. Quod si peregrinationi similis est mors, ne hac quidem ratione malum est, immò autem bonum potiùs. Beatum enim est liberari à seruitute carnis, & affectionibus eam comitantibus, quæ mentem occupant, ac stulticia humana implent. Innumeras (inquit Plato) nobis facessit molestias corpus ob victus sui necessitatem. quod si præterea morbi aliqui incidunt, ij impediunt veri contemplationem. ad hæc amoribus, cupiditatibus, timoribus, omnísque generis simulacris & vanitate nos opplet. vt revera eveniat, quod ille dixit, nos nihil vnquam sapere possẽ. Bella enim, seditiones, & pugnas nulla alia res excitat quàm corpus & eius cupiditates. ob parandas enim opes omnia sunt bella: opes autem cogimur parare propter corpus cui seruimus curando, qua re occupati philosophiæ vacare non possumus. ídq; extremum est, quod etiam nactos aliquid ocij, & ad considerandam veritatem conversos vbique corpus interpellat, turbásq; dat & percellit, obstátq; quo minus veritatem cernamus. Itaque revera demonstrat Plato, quod si aliquando volumus purè aliquid cognoscere, corpus exuendũ sit ipsóq; per se animo res intuendæ. ita demũ consequemur quam expetimus, & cuius amatores nos esse profitemur sapientiam. eam autem ratio docet nõ viuentibus, sed mortuis nobis adfuturam. Si enim fieri non potest vt corpore prædíti quicquam sincerè cognoscamus, alterum horum sit necesse est, vt aut nunquam, aut mortui scientiæ fiamus compotes. tunc enim ipse secum erit animus à corpore separatus, nõ antè. ac dum viuimus, quàm fieri potest proximè ad sciẽtiam accedemus, si nihil cũ corpore rei

Mors peregrinationi similis.

Phædone.

habeamus quatenus omnino licet, neque cum eo quicquam nisi summa vrgente necessitate communicemus, neque contagio eius naturæ nos oppleamus, sed ab ea puros nos conseruemus, donec ipse nos Deus eo exsoluet. tum demum puri, & stulticia corporea exonerati cum diis erimus, omnia nobis ipsis sincera cernentes, scilicet ipsam veritatem. Nefas enim est purum ab impuro contingi. Quare etiá si ad alium locum mors nos traducat, malum nó est, adeóque bonum potiùs, sicvt Plato demonstrauit. Itaque diuinitus omnino dicta mihi hæc videntur à Socrate ad iudices: Mortem metuere, aliud nihil est, quàm falsò putare se sapere. Qui enim mortem metuit, videtur sibi scire quod ignorat. scit enim nemo, an mors sit omnium quæ homini contingere possunt bonorum maximum: metuunt autem eam, quasi certò sciant esse summum malum. Nihil ab his discrepare videtur qui dixit hæc,

In apologia.

Nemo metuat mortem, laborum terminum.

illa verò malis etiam maximis nos soluit. His testimonium ferre dicuntur etiam dij. Multos enim accepimus pietatis ergò id muneris à diis cõsecutos. quorum reliquis ob modum commentarij præteritis, eos duntaxat commemorabo qui sunt maximè illustres, & in ore omnium versantur. Primóque tibi loco referam, quid Bitoni & Cleobi vsu venerit, adolescentibus Argiuis. Hos ferunt, cùm mater ipsorum sacerdos esset Iunonis, ac instante momento temporis quo adscendere ad fanum debebat, mulíque vehiculum trahere soliti tardiùs venirent, subiuisse ipsos vehiculum, matrémque ad templum pervexisse. eam verò maiorem in modum delectatam filiorũ pietate, à dea flagitasse hoc illis vt largiretur, quod esset hominibus optimum. ibi eos in somnum solutos nunquam evigilasse, dea pietatem ipsorum morte vt præmio compensante. Porrò de Agamede & Trophonio Pindarus scribit, eos cùm templum

Deorum iudicia de morte.

Delphis

Delphis ædificaſſent,ab Apolline mercedem poſtulaſſe: reſponſúmque fuiſſe, fore vt eam ſeptima die reciperent, iuſſóſque interea genio indulgere. obtemperaſſe eos, ſeptimáque nocte ſopitos, vitæ extremũ diem eum habuiſſe.Ferunt autem ipſum Pindarum,cum mandaſſet his, qui ad oraculum ſcitandum communi Bœotorum nomine miſsi erant, vt interrogarent quidnam optimum eſſet homini, hoc ab antiſtita reſponſi tuliſſe, Ne ipſum quidem id ignorare, ſiquidem autor eſſet ſcriptorum de Trophonio & Agamede.ſi tamẽ experiri velit,non multo pòſt tempore rem ipſi fore perſpicuam.itaq; Pindarum his auditis,ad mortem ſe comparaſſe, & paulo pòſt viuendi finem feciſſe. Iam de Euthynoo Italo talis hiſtoria fertur. Mortuum eſſe eum ſubitò, nulla cauſa cognita calamitatis. Ibi tum Elyſio patri (qui hanc vnicam prolem habuiſſet diuitiarum & opum ampliſsimarum hęredem,vir inter populares ſuos Terinæos virtute,fortunis, gloriáque primus) íncidiſſe ſuſpicionem hanc, fortaſsis veneno necatum eſſe filium. quod cùm quomodo exploraret certo non videret, veniſſe in Pſychomanteum, ſacríſque,vt erat in legibus,operatum, indormiuiſſe loco. Tum ſibi per quietem tale fuiſſe viſum oblatum. Venire ad ſe patrẽ ſuum, & abs ſe fuiſſe narrato filij caſu magnoperè oratum,vt in cauſa mortis invenienda ſe adiuuaret. reſpondiſſe patrem:Equidem in hoc adſum.ſed ab iſthoc accipe quæ tibi adfert:inde enim omnia cognoſces,propter quæ mœres. quẽ verò pater indicabat, planè Euthynoi fuiſſe ſtatura & annis,vt apparebat,ſimilem:interrogatúmque quis eſſet,retuliſſe hęc:Genius ſum filij tui. ſimúlq; porrexiſſe codicillos, quibus evolutis Elyſius tres hos verſus invenerit intùs exaratos.

Ignaris homines in uita mentibus errant.
Euthynous potitur fatorum munere læto,

Ex M. Tullio, *fine* 1. *Tuſcul.*

Mors si interitus, non malum.

Sic fuit utilius finiri ipſiq; tibiq;.

Tales ſunt narrationes hac de re ab antiquis perſcriptæ. Denique ſi mors perfectus eſt interitus & diſſipatio corporis animíque (ea enim tertia pars fuit Socraticæ cõparationis)ne ſic quidem mors in malis numerari poterit.omnium nanq; ſenſuum priuationem gigneret,omníq; nos dolore & ſolicitudine liberaret:&vt nullum bonum,ita ne malum quidem vllum porrò nobis adeſſet.vt enim bonum, ita etiã eodem pacto malum neceſſe eſt rei alicui quæ ſit & ſubſiſtat inhærere. quod nihil eſt, & è rerum natura ſublatum, ei neutrum horum adeſt. Ergo mortui ad eam redeunt conditionem,qua ante ortum ſuum fuerunt. vt ſicvt nondum natis nobis neque bene fuit neque malè, ita neq; poſt mortem ſit futurum. ac quomodo ad nos nihil attinebãt quæ ortum prẽceſſerunt noſtrum : ita etiam quæ finem ſubſequentur noſtrum,nihil noſtra referent.

Etenim dolor reuera haud tangit mortuos. quia
Idem puto eſſe prorſus non naſci,& mori.

Eadem enim eſt conditio poſt mortem,quæ fuit ante ortum. Niſi fortaſſe ſtatuis differentiam aliquam inter non eſſe ortum, & deſinere eſſe. quo autem id pacto, niſi aliam putas rationem eſſe domus aut veſtis nobis vita defunctis, quàm fuit eo tẽpore, quo nondum erant iſta parata. quod ſi in his diſcrimen nullum ſit,ſatis eſt manifeſtum nullam etiam eſſe ſtatus ante ortum à ſtatu poſt obitum diuerſitatem. Elegans eſt Arceſilai dictum, Mors quæ mali nomine cẽſetur hoc vnum habet peculiare ex omnibus quæ mala iudicantur, quod præſens neminem vnquam affecit moleſtia, abſens & dum in exſpectatione eſt, moleſtiam adfert. Re vera enim multi ob vilitatem animi,& cõceptas adverſus mortem calumnias moriuntur ne moriantur. Præclarè igitur Epicharmus, concretum, inquit, fuit & diſcretum eſt, rediítque vnde

vnde venerat, terra deorsum, spiritus sursum. Quid ex his omnibus iniquum est? nihil. Quod autem Euripideus Cresphontes de Hercule dicit:

Apud inferos qui si sub terra nunc agit,
In his nihil qui iam sunt, ipse nihil ualet.

mutatis verbis sic efferas licet:

Apud inferos qui si sub terra nunc agit,
In his nihil qui iam sunt, nil feret mali.

Generosum est etiam Laconicum hoc:

Nunc nos, antè alij uiguere, aliíq; uigebunt,
Quorum nos æuum cernere fata uetant.

Et rursus:

His neque defungi uisum est, neque uiuere pulcrum:
Cura fuit rectè uiuere, sicq; mori.

Admodum autem rectè Euripides de his qui diutur nas ægrotationes tolerant, pronunciant:

Odi suam qui uitam extendere expetunt
Cibísq; potibusq;, & magicis artibus
Fati cursum auertentes, & mortis uiam:
Quos, cùm nihil terræ prosint, oportuit
Abire morte, & iuuenibus locum dare.

At Merope virilibus dictis spectantium in theatro animos commouet, hæc dicens:

Perière nati, non mihi mortalium
Soli: nec sola marito sum uiduata ego:
Tulere easdem calamitates plurimæ.

quibus non absurdè hæc subiungas:

Vbi enim nunc inclyta illa? ubi iste Lydiæ
Potens tyrannus Cræsus? aut Xerxes grauem
Qui ponte iunxit ceruicem Hellespontiam?
Omnes ad orcum, obliuionis & domos
Iuere, —

opibus vnà cum corporibus scilicet abolitis. Enimverò immatura mors luctum nonnullis eiulatúsque exprimit. Verùm & hæc adeò

expeditam habet consolationis viâ vt etiam de vulgo poëtarum quisque eam obseruauerit atque indicauerit. Considera enim quam orationem quidam Comicus tribuit consolanti aliquem qui immaturam mortem lugebat:

De immatura morte.

Si constitisset hac de re certò tibi,
Reliquum quòd ille uitæ cursum prosperè
Fuisset exacturus, mortem dicere
Intempestiuam tibi liceret. sin erat
Grauis aliqua euentura calamitas ei,
Mors meliùs illi, quàm tu, consuluit quidem.

Ergo incertum cum sit vtilitérne è vita discesserit, maioribúsque ita sit miseriis liberatus, nécne, non ita grauiter mors eius ferenda est, quasi omnibus amissis, quæ à viuente consecuturos nos esse opinabamur. Et apud poëtam Amphiaraus non ineptè videtur consolari matrem Archemori, ægram animo ob filij infantis mortem admodum intempestiuam:

Ex Cic. 3. Tusc.

Mortalis nemo est, quem non attingat dolor,
Morbúsq; multi sunt humandi liberi,
Rursum creandi: morsq; est finis omnibus,
Quæ generi humano angorem necquicquam adferunt.
Reddenda est terra terræ, tum uita omnibus
Metenda ut fruges. sic iubet necessitas,
Vt ille uiuat, ille non. nihil hæc opu' est
Lugere, naturæ quæ fiunt legibus.
Graue est nihil, homini quod fert necessitas.

Vitæ longitudo.

In vniuersum autem quisque & secum cogitare, & cum aliis seriò commentari debet, non vitam longissimam esse optimam, sed quę virtute maximè administratur. neq; enim qui plurimum fidibus cecinit, aut orauit, aut naues gubernauit, in laude est, sed qui optimè ista fecit. nam pulcritudo nõ in temporis longitudine, sed in virtute & tempestiua moderatio-

deratione collocãda est: hoc beatum & diis gratum censetur. Atque hanc ob causam excellentissimos heroum & à diis prognatos poëtæ nobis proponũt, qui ante senectutem vitam cum morte commutent. quando ille etiam

Quem summo Diuũm genitor complexus amore *Odyss.o,245*
Dilexit, Phœbo neque carior exstitit alter,
Non potuit senij supremum limen adire.

Videmus enim quavis in re priores partes tribui nõ ætati longæ, sed maturitati. nam & inter plantas eæ habentur præstãtissimæ, quæ plurimum fructus minimo tempore ferunt: & inter animalia, ex quibus non longo temporis spacio plurimum vtilitatis vita nostra percipit. Præterea si cum æternitate compares vitæ tempus, nihil inter breue & longum invenies discriminis. nam de Simonidis quidem sententia anni CIↃ aut CCIↃↃ punctum quoddam sunt infiniti, aut minima potiùs puncti portio. Iuxta Pontum animalia quædam memoriæ traditum est nasci, quorum vita vnius diei termino includatur, cum manè nascantur, meridie vigeant, vesperi consenescant viendíque finem faciant. censésne, si his animus hominis & ratio inesset, eodem quo nos more affecta fore, eadémve illis evẽtura? scilicet vt quæ ante meridiem morerentur, luctus & lacrymarum causam præberent? quorum autem totum diem durasset vita, beata prædicarentur? Mensura enim vitæ est non longitudo temporis, sed honestum. Has verò exclamationes, Non opportuit adolescẽtem adhuc ætate abripi, inanes esse & à magna proficisci fatuitate censendum est. Quis enim diceret oportuisse? sed & alia facta sunt, fiunt, fiéntque postmodò multa, quæ dicere aliquis possit nõ debuisse fieri. Non enim ea lege in hanc vitam venimus, vt ei leges ipsi præscribamus: sed vt iis obtemperemus, quæ decreta sunt ab vniuersi gubernatoribus diis, *Fatum tolerandum.*

& constituta à fato ac providentia. Quid, qui ita im maturè mortuos lugent, suáne id tandem, an verò mortuorum causa faciũt? si enim sua id causa faciũt, quòd ademta ipsis est voluptas, aut vtilitas quam ex ipsis capiebant, aut quòd in senectute sua se ab illis alitum iri frustra sperauerãt, certè sui ipsorum amori doloris præscriptionẽ adhibent: liquebítq; non defunctorum eos desiderio, sed suarum cõmoditatum teneri. sin mortuorum causa lugent, excutient facilè mœrorem, si cogitare apud se velint nullo eos in malo esse: veteríq; & sapienti adsentientur sententiæ, quæ præcipit vt bona quàm maximè amplificemus, mala autem summoperè extenuemus. Ergo si in bonis numerandus est luctus, quàm copiosissimũ eum faciamus & maximum: si, quod veritas rei dictat, malis eum annumeramus, comprimamus eum pro virili & diminuamus atque deleamus. Quod quàm sit facilè, exemplo consolationis proposito illustre efficiam. Accepimus quendam philosophorum priscorum ad Arsinoam reginam, quæ tum filij lamẽtabatur mortem, accessisse, & huiusmodi vsum sermone. Quo tempore Iupiter honores inter dæmones distribuit, fortè tum Luctum abfuisse, ac omnibus iã diuisis supèrueniſſe. cúmq; sibi quoq; tribui aliquid honoris postularet, Iouem omnibus iã in alios insumtis honoribus, Luctui largitũ esse dolorem & lacrymas quæ mortuis impenduntur. Tum sic intulisse: Sicvt ergo alij dæmones eos diligunt à quibus coluntur: ita ad te quoq;, regina, Luctus nó accedet, si nullo honore ipsum afficias. quod si iis eum honoribus, qui ipsi sunt attributi, studiosè venereris, (lacrymis inquam & lamentis) diliget te, sempérque aliquam tibi suppeditabit materiam, ob quam abs te continenter honoretur. Atque hac oratione ille vsus mirabili arte feminam eam à luctu & lamẽtatione deduxit. Deniq; vt in summa dicam, quærere liceat ex lugente, statuerit ne finem aliquando

Luctus vt sit diminuẽdus.

quãdo ægritudini imponere, an verò existimet eam sibi per omnem vitam esse continuãdam. Hoc enim (dicerem) si decreuisti, omnibus absolutam numeris miseriam acerbissimámq; infelicitatem tibi ipsi ob animi tui ignauiam atque molliciem imponis. sin est vt aliquando finẽ facere luctui statueris, cur non iam nunc mutas, téq; ipsum miseria exsoluis? quibus enim rationibus ad liberandum te decurso aliquo tempore vtéris, iis ipsis in præsentia animum aduerte exoneráq; te molestia. quando etiam in corporis affectionibus quæ ratio maturrimè malum tollit, optima ducitur. itaq; quod eras tempori tributurus, id rationi ac doctrinæ deferens exime teipsum malo. At inquiunt, præter spem mihi hic casus & exspectationem evenit. Enimverò oportebat exspectare, præmeditatum animo incertitudinem vilitatémq; rerum humanarum: ne nunc imparatus velvti ab hostibus repente ingruentibus opprimereris. Præclarè enim Theseus ille Euripideus videtur ad id genus eventa fuisse præparatus, sic loquens:

Insperati casus.

Nam qui hæc audita à docto meminissem uiro,
Futuras mecum commentabar miserias,
Aut mortem acerbam, aut exsulij mœstam fugam,
Aut semper aliquam molem meditabar mali:
Vt si qua inuecta diritas casu foret,
Ne me imparatum cura laceraret repens.

Ex Tullio 3. Tusc.

Sed degeneri qui sunt ingenio & exercitatione nulla vsi, nunquam eo convertunt animum, vt vlla de vtili ac decora re cogitent: ad extremas tantùm exorbitant miserias, innoxium corpus adflictantes, & quæ ægrota non sunt, secundum Achæum, vnà dolere cogentes. Ideò admodum rectè videtur præcipere Plato, vt in huiusmodi casibus quiescamus: cũ neq; cõstat bonúmne an malum acciderit, neq; proficias quicquam ægrè ferendo. dimoueri enim dolorem consultando, de eo quod factum est. itaque

iubet vt in talorum iactu quidquid casus tulerit, id eo ponere, vbi maximè videbitur esse commodum. non debere ergo nos sicvbi offendimus, pueros imitari qui manibus læsæ parti iectis vociferãtur: sed adsuefacere animos nostros, vt quamprimùm eiulationem medica arte abolentes, sanandæ restituendæque parti affectæ operam demus. Eum qui Lycius leges posuit, aiunt mandasse ciuibus, vt in luctu veste vterentur muliebri: significare volẽtem rem eã muliebrem esse: neque convenire viris moderatis & liberali doctrinæ deditis. est enim re vera muliebre, imbecillisq; & degeneris animi luctus: & vt ad eum mulieres viris, ita barbari Græcis, ac deteriores præstantioribus sunt propensiores. ac de ipsis barbaris si qui luctum exercent, nõ animosissimi hoc Celtæ, non Galli, aut qui alij generoso pleni sunt spiritu id faciunt, sed Aegyptij, Syri, Lydi, aliique horum similes. Horum quosdam ferunt in foueas certas sese per dies complures abdere, neque solis lumen videre sustinere, quo is quem lugent priuatus sit. & Ion tragœdię scriptor vt qui aliquid de stulticia hac inaudiuisset, quandam introducit sic loquentem:

Lex de luctu.

Barbarorũ luctus.

Nutrix ego uestra, & uestræ prolis exij,
Scrobibus relictis ad luctum quas feceram.

quidam verò barbarorum etiam corpora sua naribus, auribus, aliisve partibus amputandis fœdant gratificari se aliquid defunctis putãtes, cùm in hoc genere à natura constitutam mediocritatem excedant. Sunt porrò, qui nobis sic occurrunt, non quanvis mortem lugendam dicentes, sed immaturè sublatorum: quòd hi nullo eorum potiti sint, quæ vitæ nostræ bona putãtur: nuptias intellige, doctrinam, perfectionem, honores in republica, magistratus. hæc enim potissimùm dolorem afferre iis, quibus morte alicuius immatura calamitas accidit, cùm se spe sua ante tempus excidisse sentiant. Hi verò

verò ignorant, præproperam mortem, quod ad naturam rerum attinet, nihil ab aliis differre. Sicut enim proposita in communem patriam perfectione omnibus necessariò & citra recusandi licentiam incumbente, aliis præcedentibus aliis sequentibus omnes tãdem eódem conveniunt: ita etiam nobis ad fatale persoluendum debitum tendentibus, nihilo plus obtingit his qui seriùs, quàm qui citiùs eò pervenerunt. Quod si qua mors intempestiua dici debet, maximè id nomen competet in puerorum aut infantium, magísq; etiam recèns natorum obitum. quem tamen facile & bono animo ferimus: iniquè & lugubriter iam ætate aliquò provectorum: ob vanas spes quas nobis finxeramus, putantes iis, qui eò ætatis pervenissent, certam iam esse ac permãsuram incolumitatem. Porrò si ætas hominis specio XX annorum determinaretur, natum annos XV putaremus iam nõ immatura morte decedere, sed ad iustæ ætatis mensuram progressum: qui autem vigesimum annum aut impleuisset, aut ad eum terminum proximè accessisset, omnino eius fortunas laudaremus, vt vita felicissima ac perfectissima functi. Sin C C annis definiremus curriculum, vtique deploraremus eum qui annos natus centum exspirasset, planè immaturam eius mortem iudicãtes. Liquet ergo cùm ob hæc, tum ea quæ superiùs disseruimus, eam quoq; mortem, quæ intempestiua dicitur, consolationem admittere. Verissimum enim vtique est, minus lacrymasse Troilum, quàm Priamus erat ploraturus, si mortuus fuisset florente etiamnum regno & opibus, quas amissas defleuit. Vide enim qualia sunt quæ ad filium suum Hectorem dicit, hortans eum vt se à prœlio adversus Achillem subducat: *De morte immatura.*

Intra nunc urbis, mi fili, mœnia, serues
Troadas ut, Troésq;, nec eximium decus addas
Pelidæ, suauis spoliatus munere uitæ. *Iliad. χ. 56.*

Præterea miserare tuum, dum uiuo, parentem
Me miserum, in senij Iupiter quem limine durus
Aduerso perimet fato, mala plurima passum.
Occidi postquam natos, natásq; uidere
Raptari, excindi thalamos, duraeq; miscllos
Allidi infantes terræ me cernere adegit
Excidio in patriæ diro. mea deniq; membra
Postremi, cùm quis iactu, uel comminus ictu
Infelici anima gelidos exsoluerit artus,
In primis foribus raptabit sæua canum uis.
Id uerò nimis est homini miserabile uisu,
Cùm canum caput, & canum mentum atq; pudenda
Occisi fœdare canes senis aspiciendum est.
Sic ait euellens manibus de uertice canos
Longæuus. mentem sermo tamen Hectoris iste
Non flexit. —

Cùm itaq; habeas exempla permulta huius rei, intelligere debes morte non paucos à magnis fuisse ac difficilibus seruatos calamitatibus, in quas omnino deveniendum ipsis fuerat, si vixissent. quæ ego exempla, ne nimium extendatur oratio, contentus his quæ retuli omitto: sufficientibus demonstrare, non debere nos vltra quàm natura & mediocritas ferunt, ad inanes luctus & degeneres eiulatus exorbitare. Crantor ait, vacare culpa in calamitatibus maximũ esse solatium. Ego ad liberandos dolore animos habere id vim vel maximã dicere nõ vereor. Ad hæc, amare & bene velle ei, qui mortuus est, non in hoc positum est vt tibi ipsi dolorem inferas, sed vt dilecto aliqua commodes ratione. quod præstiteris, si eum bona memoria honoraueris. Nemo enim bonus lamentis, sed hymnis dignus est & laudationibus: non luctu, sed honorifica recordatione: neque lacrymis à dolore extortis, sed primitiis quibusdã scitis. siquidem is qui inter mortales esse desiit,

Vera in mortuos benevolentia.

desiit, diuinioris cuiusdam vitæ factus est consors, liberatus seruitute corporis, & ærũnosis istis solicitudinibus atq; casibus, quos necesse est vt perferãt quibus mortalis hæc vita obtigit, donec conficiant fato destinatum ipsis vitæ curriculum. quam quidẽ vitam nobis natura nõ vt perpetuam possessionem concesit, sed pro fati legibus vnicuique certa ratione attribuit. Qui ergo sana sunt mente, non debent ampliùs quàm natura & mediocritas postulãt, animo in luctus invtiles & barbaricos efferri, idque exspectare, quod multis evenit, vt prius ærumnosæ vitæ suę finem, quàm lugendi faciant, inque lugubri (quem propter alios ceperunt) habitu, infelici sepulturæ ipsi mandentur: eáque obruantur simul & mœrores isti, & mala quæ sua sibi parauerunt imprudentia. de quibus Homericum illud commodè vsurpari posit.

Luctus finis.

Hos lamentantes atra nox obruit umbra.

Proinde in tali re sæpe nos ipsos ita compellemus: quid igitur faciemus? an per omne vitæ tempus miseriæ continenti tempus prorogabimus? an potiùs lugendi aliquando finem faciemus. Nam infinitum velle luctum facere, extremæ est insaniæ. cùm videamus qui in summo grauissimóq; fuerunt mœrore, sæpissimè fuisse temporis progressu adeò demitigatos, vt apud monimenta, quæ sine acerbo eiulatu & pectoris plãctu antè nõ visebant, iam conviuia musicis aliisque ad læticiam excitãdam facientibus rebus adhibitis celebrarent. Insani ergo est, secum statuere velle se in luctu perseuerare. Si verò decreueris aliquando eum desinere, simul & hoc reputato, tempus esse quod leniturum sit ægritudinem. Etenim quod factum est, infectum reddere ne deus quidem potest. ergo quod nobis nunc præter spem opinionémque evenit nostram, id ipso facto nobis demonstrauit quid plerisque accidere soleat. Quid ergo? an nulla nos discere doctrina,

neque ratiocinari possumus, quòd

Terra malis scatet, aduersis pelagusq; redundat.

item illud:

Tales circum mortales miseriæ
Fundunt, tótq; fatalia mala,
Quibus nec in lucem hanc uacat exitus.

Sileni de vita humana iudicium.

Multi quippe, vt ait Crantor, iíq; sapientes viri non nunc primùm, sed pridem deplorauerunt res humanas, supplicium iudicantes vitam hanc esse, & summæ calamitatis loco ducentes, nasci hominem. Hoc ipsum Aristoteles ait Silenum, cum captiuus ad Midam adduceretur pronunciasse. cuius hæc sunt (præstat enim opinor ipsa apponere) in Eudemo siue libro de animo verba. Itaque, inquit, præstantissime omnium & beatissime, cùm felices censemus esse & beatos qui vita hac defuncti sunt, tum nefas putamus quicquam de iis falsò aut cõtumeliosè dicere: quippe qui melioris iam præstantioríque naturæ facti sint compotes. Atque hæc nostra sententia ita vetusta est, vt eius & initiũ & autor prorsus ignorentur, sed ab infinita vsque æternitate continenter ea sic est propagata. Ad hæc, vides in ore hominibus esse omnibus iam inde à multis annis tritum illud. Quódnam? inquit ille. Quod (ait) omnium optimum est non nasci: præstat autem mori quàm viuere: eiúsque rei multis sunt diuinitus perhibita testimonia. Atq; huc pertinet quod narratur Silenũ à Mida isto captũ, & à venatione ei sciscitanti quídnam optimum homini, maximéque expetendum esset, principiò respondere noluisse, vocémque compressisse. tandem cum vrgendi vt aliquid diceret finem nullum Mida faceret, in hæc inuitum erupisse verba. Aerumnosi genij, & difficilis fortunæ semen in diem durans, quorsum me cogitis ea vobis dicere, quæ vobis nescire erat melius. maximè enim vacantes dolore viuunt, qui sua ignorant mala. Hominibus

nibus autẽ omnino optimum est non nasci, neq; participem fieri præstantioris naturæ. optimum enim omnibus vtriusque sexus hominibus hoc est. proximum huic, & inter ea quæ consequi homo possit primum est, quàm celerrimè mori. Manifestum verò est, sic eum pronunciasse, quòd melior sit mortuorum quàm viuorum conditio. Sexcenta alia, rursúsque totidem alia similia adferre ad huius capitis demonstrationem possem: sed opus non est protrahere orationem. Proinde lugendi non sunt qui in florẽte ætate mortem obeunt, quasi spoliati iis, quæ in diuturna vita pro bonis censentur. incertum est enim, vt aliquoties iam diximus, bonísne an malis priuati sint, cùm multo plura sint mala quàm bona: quorum hæc difficulter, & multis impensis curis cõ sequimur, illa vel facillimè obtingunt. ferunt enim mala esse teretia ac continua inter se, invicémq; sese multis de causis insequentia: bona verò deiuncta, & quæ difficulter sub ipsum vitæ terminum coëant. Itaque videmur obliti esse nostræ sortis. Non enim tantùm, vt est apud Euripidem,

Homini nihil propriũ.

Non propriæ sunt, quas homines tenent, opes:

sed in vniuersum nihil homo possidet proprium. ac de singulis vsurpare hoc licet,

Res procuramus à Diis nobis creditas,
Arbitrio reposcunt illi quas suo.

Quapropter iniquiùs ferre non debemus, si repetunt quorum nobis exigui temporis vsuram concesserant. quando ne mensarij quidem, nisi animũ prauum gerant, indignãtur vbi apud eos deposita sors reposcitur. & non promtè reddenti dicere possis haud iniuria, Oblitúsne es ea te hac conditione accepisse, vt redderes? Idem verò omnibus vsu venit hominibus. Vita nobis contigit, diis eam apud nos fatali deponentibus necessitudine, neque certus est definitus terminus ad quem reddendum illud sit

depositum: sicvt ne mensarij quidem scire possunt, quando reposcenda sit apud eos deposita sors. Qui ergo vel ipse moriturus, vel liberis morientibus nimis indignatur, nónne perspicuum est eum oblitum esse mortalem se natum fuisse, & mortales genuisse liberos? neque enim sani est hominis, ignorare hominem animal esse mortale, & ad hoc natum vt moriatur. Itaque si, vt in fabulis est, Niobe hanc sententiam in promtu habuisset, quòd

Non semper flore liberûm
Vitæq; cursu prospero
Onusta suaue solis intuens iubar,

moritura esset: nunquam profectò eò indignationis prolapsa fuisset, vt & vitam cuperet abiicere ob calamitatis molem, & deos precaretur vt se ad quamvis grauissimam perniciem abriperent. Duæ sunt Delphis inscriptæ sententiæ, maximè ad vitę humanæ vsum necessariæ, Nosce teipsum, & Ne quid nimis. Ex his dependent reliqua omnia: ipsa autem inter se concinunt, alterúmque alterius videtur vim declarare, alterúmque vicissim in altero inest. Itaq; Ion sic de his cecinit:

Sui cognitio, & Modus.

Breuis est, Teipsum fac nôris, sententia:
Præstare solus rem sed nouit Iuppiter.

& Pindarus:

Sapientes hanc uocem, Ne quid nimis,
Affatim collaudauerunt.

Hæc ergo aliquis animo infixa tenens tanquam Apollinis Pythij oracula, facilè se ad omnes quas fert vita res accommodare poterit, eásque dextrè ferre, cùm in suam intuens naturam, tum operam dans vt ne amplius quàm conuenit vel arrogantia efferatur ob fortunæ eventa, vel animum abiiciat, ínque luctus & eiulatus, ob fortunæ vel animi potiùs imbecillitatem, nobísque insitum mortis metum, profectum

ctum ab ignoratione eorum quæ nobis in vita necessitatis fative decreto contingere solent. Egregiũ est Pythagoreorum præceptum:

Iniungent diuina tibi quos fata dolores,
Hos, ut ut eueniant, animo fer leniter æquo.

& tragicus Aeschylus:

Virtute præditorum est, & sapientium,
Non succensere in rebus aduersis deo.

& Euripides:

Necessitati qui cedit mortalium,
Sapiens apud nos, & diuorum gnarus est.

atque alibi:

Euenta quisquis rectè fert mortalium,
Mihi modestus is uidetur, & optimus.

At plerique omnia vituperant, & quidquid eis præter spem evenit, existimant malignitate fortunæ ac geniorum accidere: itaque ad omnes casus eiulãt & ingemiscunt, ac de suæ quæruntur adversitate fortunæ. quibus hoc dicto occurrere nõ ineptè liceat,

Non tibi deus nocet, sed ipse tu tibi

officis, & tua malè instituti væcordia. Hæc scilicet falsa & fallax opinio facit, vt quodvis mortis genus incusent. Moritur aliquis in peregrinatione: cum gemitu hæc adferunt:

Ah miser, haud illi genitor, uenerandáq; mater Iliad. λ, 452, alibi.
Compressere oculos. —

Moritur in patria, & apud parentes: lamentantur quòd è manibus abreptus nihil præter sui luctum iis reliquerit. Moritur silens, neq; vlla de re mandauit quicquam: inter plorandum proferunt hoc:

— neque te suprema uoce monentem Iliad. ω, 770.
Audiui, semper quæ condita mente tenerem.

Si collocutus ante excessum fuit, extremam eam vocem velvti alimentum doloris semper habent in promptu. Tollitur cita morte: deplo-

rátes dicunt eum esse abreptum. tollitur lenta morte: quiritantur excarnificatum contabuisse. denique nunquam deest prescriptio luctus & lamentationes excitandi. Hęc poëtæ introduxere, primúsque adeò Homerus, ita canens:

Iliad. ψ, 222 *Vt genitor nati lamentans concremat ossa*
Sponsi, qui infando miseros mœrore parentes
Affecit.— atq; hæc quidem an rectè deplorẽtur, nondum liquet. Vide autem quid adiiciat,

Iliad. ι, 478. *Vnicus in senio natus, magnas parentum*
Possessurus opes. —

Quis autem nouit, an Deus paterna quadam prouidentia & procuratione humani generis, cernẽs quæ eventura essent, nonnullos immatura morte tollat? vt nihil iis accidisse sentiendum sit, quod fuerit abominandum.

Graue est nihil enim, homini quod fert necessitas:
siue adeò id præcedente ratiocinatione contingat, siue consequatur. multíq; matura morte calamitatibus grauioribus subtracti sunt. & vtile fuit quibusdam vt ne nascerẽtur quidem: aliis vt nati illicò extinguerentur: aliis vt aliquantisper viuerent, aliis vt in vigore ætatis morerentur. Hæc ergo omnia mortis genera boni sunt cõsulenda, cum sciamus fatum esse inevitabile. éstq; hominis probè instituti præmeditatum esse quòd qui videntur ante tempus naturæ debitum persoluisse, exiguo nos tempore præcesserunt: cùm vel lõgissimum tẽpus exiguum punctique instar sit, si cum infinita æternitate comparetur. & quòd multi eorum qui luctui indulsissent, paulo pòst subsecuti sunt eos quos luxerant, cũ nullam ex luctu percepissent vtilitatem, sed sponte sua miseriis sese afflictauissent inanibus. Iam cùm peregrinationi in hac vita nostra breuissimum tempus sit præscriptum, non debemus profectò in squalidis luctibus infelicissimóque mœrore nosmetipsos

ipsos doloribus conficere, corporáque nostra doloribus diuturnis excruciare: sed conari potiùs, vt humaniorem sectemur meliorémque viuendi rationem, iisque studiosè nos adiungamus hominibus, non qui se luctus nostri socios præbeant, eúmque adulando excitent, sed qui generosa ac graui consolatione dolorem leniant. Et audire debemus, animóque tenere Homerica illa, quibus Hector Andromachæ respondet, eámque consolatur: *Consolatio quærenda.*

Infelix, animum nimio ne confice luctu.
Nemo equidem iniussu potcrit me occidere fati.
At fatum nemo mortali semine cretus
Euitare suum potuit bonus aut malus unquam. *Iliad. 5, 486.*

quod fatum alibi sic expressit:

Stamina neuit ei nascenti qualia Parca. *Iliad. v, 128.*

Hæc in animum nostrum inducentes, vano & inutili luctu supersedebimus, præsertim cum admodum breue supersit viuendi tempus. cui parcendum est, ne id lugubribus mœroribus conturbemus, & luctus insignia deponenda sunt, habendáque corporis ratio, & eorum qui nobiscum viuũt salutis. Conducit etiam memoria repetere, quibus aliquãdo rationibus vsi simus apud cognatos vel amicos in simili calamitate versantes, cum consolaremur eos & hortaremur vt communes vitæ casus communiter ferrent, ac humana humaniter. neque enim committere debemus, vt cùm ad aliorum animos dolore leuandos fuerimus satis instructi, nobis nihil profit istarum consolationum recordatio. Ergo partem animi quæ in dolore est, statim pæoniis rationis remediis sanare conemur: cum in quavis re, quàm in vacuitate doloris quærẽda, commodiùs dilatio admittatur. Cum enim tritũ illud apud omnes dictũ, Dilatorem quacunque in re pronunciet cum exitio conflictari: multo (opinor) magis hoc quadrabit in eum, qui animi molestis ac difficilibus perturbatio-

nibus amolliendis tempus prorogat. Intuendum est etiam in eorum exempla, qui generosè magnóq; animo filiorum mortes placidi pertulerunt. quales sunt Anaxagoras Clazomenius, Demosthenes Athenienſis, Dio Syracusanus, rex Antigonus, complurésque alij qui vel maiorum vel nostra vixerunt memoria. De his Anaxagoram narrant cùm rerum naturalium causas auditoribus explicaret, intérq; differendum de filij morte nũcium sermone cuiusdam acciperet, paululũ oratione inhibita iis qui vnà aderant dixisse, Sciebam filium me genuisse mortalem. Pericles, qui ob excellentem eloquentiæ & sapientiæ vim Olympius est vsurpatus, cùm filios suos amborum, Paralum videlicet & Xanthippum, inaudiuisset extremum diem obiuisse, qualem se gesserit, Protagoras his verbis exponit. Cum filij, inquit, eius ætate florentes atque egregij intra nonum diem vita decessissent, casum illum absque luctu sustinuit. Erat enim animi trãquillitate instructus: vnde in singulos dies magna percipiebat emolumenta ad felicitatem, doloris vacuitatem, & parandam apud ciues gloriam. quicunque enim videbat eum suos casus ita obfirmata mẽte tolerare, magnanimum eum fortémque iudicabat, ac multo quàm ipse esset præstantiorem, probè sibi conscius suæ in tali re imbecillitatis: contrà Periclem statim post acceptum de morte filiorum nuncium, nihilominus pro patriæ consuetudine, albísque indutum vestibus verba ad concionem habuisse, bonorúmque fuisse consiliorũ principem, & Athenienses ad suscipiendum bellum animasse. Xenophontem Socraticum historiæ tradunt, cùm sacrificanti ipsi nuncium è bello allatum esset, Gryllum filium in pugna periisse, fortum capiti detraxisse, & quónam modo cecidisset perquisiuisse. cúmq; responderetur, eum generosè fortitérque præ cæteris prœliantem, multis hostium interfectis occubuisse: exiguo admodũ temporis sumto inter-

Exempla eorum, qui suorũ mortem moderatè tulerunt.

intervallo, dum ratione motum animi compesceret, rursus imposita capiti corona reliquum sacrificij absoluisse, nunciisque hoc respondisse: Non vt immortalem, aut longæuum filium meum redderet, à diis postulaui: (cùm incertum sit an hoc expediat) sed vt probum ac patriæ amantem: cuius quidem nunc voti sum damnatus. Dio Syracusanus (ita enim accepimus) cum sederet consultâdarum rerum causa cum amicis, & domi tumultus magnáque vociferatio extitisset, sciscitatus quid causæ esset, edoctúsque filium de tecto lapsum periisse, nihil consternatus, corpusculum mortui iussit tradi mulieribus vt id sicvt consuetudines ferebant sepelirent: ipse autem deliberationem institutâ prosecutus est. Hunc imitatus fertur Demosthenes orator, cùm vnicam & dilectissimam sibi filiam amisisset. qua de re Aeschines ita eum accusat: Septimo à morte filiæ die, ante quàm luctu defunctus esset, aut mortuę iusta persoluisset, coronatus albatúsque rem sacram fecit, legésque violauit improbus, vnica amissa filia, & quæ prima eum patrem appellarat. Hæc Aeschines oratorio more protulit, cũ vellet criminari Demosthenem: neque animadvertit se eum laudare potiùs, qui luctu reiecto studium in patriam suum misse ratione domesticorum antiquius sese habere ostenderit. Antigonus rex, vt accepimus, audita morte filij sui Alcyonei, qui in prœlio cecidisset, constante animo in nuncios calamitatis intuens, paululúmq; vocem moratus, & vultu ad mœsticiam composito: ô Alcyoneu, inquit, seriùs opinione nostra occubuisti, adeò securè in hostes irruens, & neque tuæ salutis, neq; nostrarum admonitionum rationem habens. Hos quidẽ viros nemo non admiratur ob animi magnitudinem atq; prædicat: imitari autem facta eorum ob imbecillitatẽ malè instituti animi non possunt. Cæterùm cùm extent permulta in historiis & Græcis & Romanis exempla eorum qui præclarè

& decenter mortes necessariorum tulerunt: quæ ego retuli, sufficient puto ad permouendum te, vt omnium rerum molestissimam luctum deponas, supersedeásque inani, quæ in eum nulla vtilitate proposita insumitur, opera. Nam quòd homines virtute præstãtes, in prima ætate mortem obiuerint deorum, quibus cari erant, benevolentia, & iá antè monui in superiore orationis nostræ parte, & nunc denuò quàm breuissimè indicabo, testimonium ferès insigni huic Menandri dicto:

Iuuenis relinquit uitam, quem dij diligunt.

Sed fortassis, Apolloni carissime, ita nobis occurres: fuit Apollonius meus fato ad hoc constitutus, oportuitque me vita defunctum ab ipso funerari. Fateor sanè ita naturam nostram, id est humanam, ferre. sed alia est ratio providentiæ vniuersum gubernantis, & ordinis quo totus mundus est dispositus. Illi enim beatitatem nunc adepto filio tuo secundũ naturam non conueniebat diutiùs quàm præstitutus ei tẽporis ferebat terminus in hac vita commorari: sed ita postulabat natura, vt hoc expleto fatale iter conficeret, revocante eum iam ad se natura. Dices immatura morte abreptum esse. atqui eo felicior est, qui tot mala non senserit. verè enim dixit Euripides:

Hæc uita nomine uita est, ipsa re labor.

Enimverò Apollonius tuus in pulcerrimo flore ætatis decessit, perfectus iuuenis, suspiciendus & æmulandus omnibus æqualibus suis: cum & in patrem matrémq; fuisset pius, & domesticorum studiosus, philosophiæ deditus, denique (vt vno dicam verbo) prorsus humanus: vt qui seniores non aliter quàm parentes reuereretur, & æquales sodaléſq; amaret, & præceptores veneraretur, & cùm peregrinis tum hospitibus mansuetissimus esset, & vultu gratioso, comíque humanitate omnibus suauis carúsq;. Ergo

ille

ille tuæ ſuæq; pietatis comitante eum fauſta acclamatione, ante nos ad æternitatem ex hac mortali vita digreſſus eſt: tãquam è conviuio abiens priuſquã in errorem ex temulentia aliquem incideret, quales in longa ſenectute accidere ſolent. Iam ſi, vt probabile eſt, vera ſunt quæ veteres poëtæ ac philoſophi perhibuerunt, piis poſtquam vitam hanc cum morte commutauerunt, eſſe ſuos quoſdam honores, digniorémque in conſeſſu tribui locum, deſtinatámque eſſe piis animis certam in qua degãt regionem: bene tibi ſperandum eſt de beato tuo filio, qui inter eos viuet. De ſtatu piorum apud inferos Pindarus poëta lyricus in hanc ſententiam differit:

Fulget illis iubar Titanis,
Cùm terras nox obumbrat,
Pratáq; punceis ornata roſis
Eorum ſunt ſuburbium,
Thuriferis arboribus,
Et aureos ferentibus fructus opacum.
Exercent alij ſeſe equitatu,
Alij fidibus oblectant.
Floret apud illos læta rerum
Omnigenûm copia.
Regioq; amœna ſemper
Fragrat uariis in ignem
Odoribus conjectis lucidum,
Diuûm ſuper aras.

& paululum progreſſus in alia lamentatione, vbi de animo loquitur, hæc habet:

Felix ſors obtigit ommibus,
Vitæ exſoluens laboribus
Mors, & calamitatibus.
Vis ſumma lethi corpora deſtruit:
Supereſt imago uiua at æui,
A diis quæ ſola propago ducta eſt.

Hæc dormit membris laborantibus,
Eiq; somnia monstrant
Quæ comitetur uoluptas
Bene facta, quæue pœnæ
Maneant incestos actus.

Diuinus verò Plato de immortalitate animi multa in libro qui Phædo seu de animo inscribitur, non pauca etiam in libris de republica, Menone, Gorgiâ, aliisq; sparsim disputauit dialogis. Sed quæ in dialogo de Animo sunt ab eo scripta, ea, sicvt petiisti, seorsim ad te mittam commentario meo illustrata. Nunc ea adducam, quæ huius loci sunt, vtiliterq; hìc poni possunt, Socratis ad Calliclem verba Athenienſem, ſocium & discipulũ Gorgiæ rhetoris. So-

Platonis ex vltimo Gorgia. de mortuorum statu.

CRATES. Audi ergo sermonem perelegantem, quẽ tu, puto, fabulam arbitraberis esse, ego verum censeo. nam pro veris tibi dicam, quæ sum expositurus. Diuiserunt, vt est apud Homerum, acceptum hæreditate patris regnum inter se Iupiter, Neptunus, &
« Pluto. Fuerat autem de hominibus regnante etiam
« Saturno hæc lex, valuítque semper etiamnúmq; ob-
« tinet apud deos, vt quicunque hominum vitam suã
« iustè piéque exegisset, is ea defunctus in Beatorum
« insulas proficiscereturibíque omnis mali expers in
« summa viueret felicitate. qui verò vixisset iniustè &
« impiè, is in vindictæ ac Iusticiæ carcerem, quem Tar
« tarum appellant, abiret. De his sub Saturno, & pri-
« mo imperij Iouis tempore iudicabant viui viuenti-
« bus, ea ipsa die sententiam ferentes, qua rei erant
« mortem obituri. quo fiebat, vt iudicia malè exerce-
« rentur. Itaque & Pluto & procuratores ex insulis
« Beatorum ad Iouem se contulerunt, questíque sunt
« vtroque indignos commeare· Ne in posterum ergo
« hoc fiat, efficiam ego, inquit Iupiter. Nunc quod
« malè feruntur sententiæ, causa est quia rei amicti ad
« tribunal adducuntur, dum adhuc viuunt. Multi e-

nim

nim prauos gerẽtes animos, veſtiti ſunt pulcris corporibus, natalium nobilitate, & diuitiis: & quando iudicio ſiſtuntur, multi veniunt qui teſtimonium ipſis vitæ iuſtè actæ perhibeant. Iudices igitur cùm his rebus percelluntur, tum ipſi quoque amicti iudicant, cùm animi eorum oculis, auribus, dentibus, toto denique corpore obvelati ſint. itaque omnia hæc ipſis impedimento ſunt, cùm ſui tum reorum amictus. Primùm ergo eximenda hominibus eſt mortis prænotio. nunc enim terminum vitæ provident. éſtque à nobis Prometheo iniunctũ, vt efficiat ne porrò id poſsint. Deinde in iudiciũ venire debent, exuti iſtis rebus quas dixi omnibus. mortui enim ad tribunal venire debent. Sed & iudices de iis cognoſcent nudi ipſi & vita defuncti, vt ipſo animo animũ cuiuſque ſimulac is vita deceſsit contemplentur, cum is deſertus omnibus à cognatis omnem iſtum ornatum in terra reliquerit. ſic enim iuſtè pronunciari poterit. Quæ ego cum mecum priùs conſtituiſſem quàm à vobis ſum admonitus, iudiciũ commendaui filiis meis, duobus Aſianis Minoi & Radamantho, vni Europæo Aeaco. Hi ergo poſtquam viuendi in terra finem fecerint, iudicia obibũt in prato, in triuio, vbi itinerum eſt divortium, vno ad inſulas Beatorum, altero ad Tartarum pergente. In Aſia itaque mortuos iudicabit Radamanthus, in Europa Aeacus. Minoi primariam iudicandi poteſtatem concedam: vt ſi quid alterum eorum fugerit, ipſe ſententiis eorum examinandis diiudicet, itáque iuſtiſsimo iudicio decernatur, vtrum cuique hominum iter ſit ingrediendum. Hæc ſunt, Callicles, quæ ego auditu percepta, vera eſſe arbitror, indéque ſic ratiocinor habere rem. mors, mea quidem opinione, aliud nihil eſt, quàm duarum rerum, animi ſcilicet & corporis, à ſeſe invicem diſſolutio.

Hæc ego collecta, Apolloni cariſsime, accuratiſsimè compoſui, orationémque hanc conſolatoriam

tibi confeci, apprimè necessariam & ad luctum præsentem excutiendum, & molestissimo dolori finem imponendum. Complexus sum etiam eũ honorem, quem abs me deferri diis acceptissimo filio tuo Apollonio consentaneum fuit: quo honore nihil optabilius est iis, qui fausta memoria sui perennique famæ prosperitate consecrati iam sunt. Tui est officij, obtemperare doctrinæ nostræ, filióque eum te, quem par est, præbere, repudiatáque invtili illa corporis animíque tui adflictatione & corruptela, ad consuetam tibi, & naturalem vitæ rationem reverti. Cùm enim filius tuus, nobiscum adhuc communis huius lucis vsura fruens, illibenter planè mœstos te matrémve viderit: iam cum diis agens, eorúmq; consuetudine potiens, vtique hunc vestrum viuẽdi modum probare non potest. Proinde animum boni, generosi, liberósque suos amantis viri recipe, & teipsum, matrémque adolescentis, cognatósque & amicos miseriæ isti eximе: tranquilliorémque vitæ amplectere formam, quæ cùm filio gratissima tuo erit, tum nobis omnibus, quibus tu quantæ convenit es curæ.

PLVTARCHI

De tuenda sanitate præcepta.

Personæ dialogi sunt Moschio & Zeuxippus.

MOSCH.

CAlcum tu Zeuxippe medicum aversatus es heri, cùm is de philosophicis rebus nobiscũ vellet colloqui? ZEVXIP. Equidem neque eum aversatus sum ego, mi Moschio, neque nobiscũ ille philosophica tractare volebat. fugi autem hominem,

minem, quod nolebam contentioso ansam digladiã di præbere. Est enim in rebus quidem medicis, qualem Homerus esse vult,

—multis dignus componier unus: Iliad. ν. 514.

sed erga philosophiam animo est parum amico, sem pérque asperitatem quandam in differendo & morositatem vsurpat. ac tum quoque adversum nobis se ferebat, eminus vociferans, nos qui aggressi essemus de salubri vitæ ratione disputare, confundendis artium finibus facinus neque paruum neque æquum commisisse, distinctáque inquiens esse philosophica à medicis: perinde ac si de limitibus Phrygum & Mysorum statuendis ageretur. quinetiam à nobis quædam neque seriò & non tamen inutiliter dicta in ore habebat atque laniabat. MOSCH. Ego verò, Zeuxippe, cum hæc tum alia lubenter animóque promto audiuerim. ZEVX. Philosophico nimirum, Moschio, es ingenio, & succenses philosopho qui studiosus rei medicæ non sit: indignéque fers, si existimet magis sui esse officij vt videatur geometriæ, dialecticæ & musicæ deditus, quàm vt inquirere ac discere cupiat, in suo corpore, hoc est

Medicinæ Studiũ decere philosophum.

Aedibus in propriis quid rectè, quid malè fiat. Odyss. θ. 392.

Atqui plures ad spectaculum confluere solent, vbi publicitus pecuniæ aliquid inter spectatores distribuitur: sicvt fit Athenis. Et verò medicina de reliquis liberalibus artibus nulli nitore, copia, iucunditatéque cedens, sui studiosis præmium spectandi porrò largitur incolumitatem corporis atque sanitatem. Non itaque intentandum id crimen philosophis de sanitate disputantibus est, quasi verò limites trãsilierint. immò id potiùs vitio esset dandum, si non sublatis omnino terminis locum hunc sibi cõmunem cum medicis ducerent, in eóq; suauitatem cum necessitate iunctam egregio studio consecta-

rentur. MOSCH. Proinde missum faciamus Glaucum, qui ex sese perfectus ob affectatam quandam vult videri grauitatem,& philosophia nihil opus habere ad suam professionem. Tu autem Zeuxippe, totam nobis narra disputationem.&,si libet,ea primo loco, quæ ais cum non prorsus seriò essent dicta,reprehensa à Glauco fuisse. ZEVX. Aiebat ergo socius noster,auditum abs se esse quendam, qui diceret si semper calerent manus, neque finerentur frigere, non leuiter hoc ad sanitatem conducere. contrà extremitatum refrigerationem, qua calor introrsum cogitur, quasi consuetudinem quandam & affectationem febris ingenerare. qui calor salubriter foras in omnes partes eliciatur ad differendam ac distribuendam materiam. atque hoc quidem motum præstare, vbi aliquid manibus agimus, vt ad eas evocetur,ibíque contineatur calor. quando autem nullum opus manibus facimus, tunc nequaquam nos debere ad extremas corporis partes frigus admittere.Hoc vnum fuit ex iis, quæ risu excepta sunt. Secundum, si rectè memini, fuit de cibis quos ægrotantibus exhibetis. Hos ille interdum volebat sumi à nobis & gustari, vt iis nos sani etiamnum adsuescentes, neque puerulorum instar formidantes invisámve habentes victus illam rationem,sed paulatim appetitui nostro familiarem reddentes,ægrotantes olim non ab iis tanquam medicamentis abhorreamus, neque molestè feramus cibum nobis apponi simplicem, & sine condimentis ac nullum culinæ nidorem referentem. Eandem ob causam etiam aliquando illoti capere cibum non verebimur,aut aquam vino præsente bibere,tepidúmve æstate,cùm ad manus sit nix. Atque hic ad ostentationem factæ & sophisticæ talium rerum abstinentiæ vitandæ sunt,& earum iactationes.ipsi apud nosmetipsos condocefaciamus appetitum,vt non inuitus vtilitati pareat, eminúsque animum avertamus

Manus calidæ.

Cibis ægrotorum sano adsuescendum.

ab

ab illiberalibus propter victus rationem in morbis parum lautam quærelis ac lamentis, quibus alij deplorant suas fortunas, à magnis iucundisque voluptatibus ad sordidum detrusi abiectúmque alimentorum genus. Præclarè dictum est, Vitam delige optimam, dulcem eam consuetudo efficiet. Verùm hoc vtile est etiam in singulis vitæ partibus conari, maximè in victus ratione, vt maximè sani consuetudine nobis familiaria ista naturæq; nostræ non aduersantia redigamus: memoria tenentes quid nonnullis vsu veniat in morbis, qui ægrè aut ne vix quidem ferre possunt aquam aut sorbitionem vel panè si calida exhibeantur, impura hæc & molesta, impuros & importunos qui vti iis cogunt appellantes. Multos etiam lauacra perdiderũt cùm ab initio malum non fuisset magnum, tantum eo quod non possent neque sustinerent cibum capere nõ loti: è quorum numero etiam Titus fuit Imperator, vt affirmant qui ægrotum curauerunt. His additum fuit illud, semper ea corpora saniora esse quæ tenuiora essent: maximè verò fugiendam redvndantiam, crapulam, deliciarúmque vsum, cùm præ manibus est festiuitas aliqua, aut amicorum conviuium, aut epulæ à rege vel duce exhibendæ, aut vbi aliàs largiùs sese inuitaturi sunt cibis & poculis, ita vt tibi detrectare non liceat. tum enim velvt trãquillo cœlo corpus tenue & leue præparandum est aduersum ventũ & vndas ingruentes. Difficile enim est in conviuiis mediocritatem consuetámq; edendi ac bibendi rationem ita tueri, vt nõ omnibus aliis molestus, iniucundus, importunúsque videare. Ne igitur crapula crapulæ, vino vinum, tanquam ignis igni (vt in proverbio est) superaddatur, seriò imitandum est quod Philippus ioco satis elegante egit. Inuitarat eũ rure quidam ad cœnam, paucos habere secum comites opinatus: cum autem modicè apparatam ad cœnam Philippus plures adduceret, perturbabatur: quod

Repletio corporis vitanda.

vt sensit Philippus, ad singulos amicorum submisit qui moneret, vt locum placentæ relinqueret. ita amicis obtemperantibus, placentámque expectantibus, ac ideò parciùs vescentibus appositis cibis, omnibus cœna ea suffecit. Sic ergo præparare nos debemus ad necessarias istas inuitationes, vt obsonio, bellariis, adeóque etiam ebrietati locum relinquamus in corpore, nouúmq; ad ea & paratum adferamus appetitum. Cùm verò talis nos subitò invadit necessitas, vt corpore onusto & ad edendum bibendúmque inepto ob præsentiam principum virorum aut hospitum pudor videatur nos cogere potare cum probè ad potandum affectis: ibi tum maximè armatum esse oportet contra ineptam istam verecundiam, quę magna adfert hominibus damna, vsurpandáque illa sunt Creontis in tragœdia:

Inepta verecundia.

Præstat inimicum fieri hospes tibi me modò,
Quàm gemere postea, nunc agam si molliùs.

Fugiendo enim rusticitatis opinionem in laterũ dolorem vel insaniam se coniicere, revera agrestis est & væcordis hominis, qui rationem cum hominibus citra pocula & nidorem versandi ignoret. Ipsa enim recusatio, si dextrè fiat & vrbanè, non minus gratiosa est quàm obsequium. & si quis ab iis quæ apponũtur in conviuio se tanquam à sacra re abstinens, ad pocula interim mensámque alacriter & hilariter aliquid in seipsum ludat aut dicat, iucundior videbitur vnà se inebriante aut obsonia vorante. Ac mentionem faciebat socius ille noster ex vetustate Alexandri Magni, qui postquam abbibisset liberaliùs, Medio præ pudore non ausus adversari hortanti, & ad nouam trahenti compotationem, denuò merum potauit, ex eóque periit. ex iis qui nostra vixerunt ætate, Rigli pancratiastæ, qui prima luce ad balneũ vocatus à T. Cæsare, venit vnáque lauit, cúmque semel inde bibisset, apoplexia correptus subitò vitam finiit.

finiit. Hæc nobis per risum exprobrabat Glaucus ad pœdagogos dicens pertinere. neque ad reliqua audienda ille animo promto erat, neq; dicenda nos illo præsente putabamus, neque enim singula consi-
derabat. Iam primùm Socrates hortabatur vt caueremus à cibis qui non esurientes ad edendum invitant, & potu, qui non sitientes ad bibendum pellicit. non vsu eorum in vniuersum ille interdicens, sed docens tum vtendum esse cum est necesse, voluptate quæ inde percipitur ad necessitatem accommodata. vt cum ciuitas pecuniam aliâs spectaculis impendi solitam in vsus militiæ convertit. Quod enim suaue suapte natura est, id dum nutritioni inseruit, vsurpare convenit. esurientésque frui debemus necessario aut suaui alimento, non communi appetitui vbi satisfactum est, inuitamentis nouos ciere. Sicvt enim ipsi Socrati exercitatio corporis non iniucunda erat saltatio: ita cui bellaria pro cibo sunt, minus is læditur. id summopere cauendum est, ne cum pro naturæ modo satis accepimus, ac saturi sumus, ista appetamus. Studio voluptatis ingluuiéque circa has res non minùs vitanda est ambitio, & modi decorique imperitia, quibus sæpe adducuntur homines vt quædam edant non esurientes, & bibant non sitientes: dum illiberales planè & intempestiuæ illæ subiiciuntur opiniones, absurdum scilicet esse si rara re & preciosa apposita non fruaris, vt vbere, fungis Italicis, placenta Samia, niue in Aegypto. Hæc enim sæpenumerò impellunt ad vescendum nobilibus rebus & raris, animo vanæ gloriolæ quasi nidore quodam illecto, corpúsque nulla eius necessitate ei inseruire cogente, vt aliis narrare possint quòd vesci ipsis obtigerit rebus paratu difficilibus & supervacaneis, eóque scilicet nomine in admiratione sint. Quo modo etiam nonnulli cubantes in lecto cum suis vxoribus, caris etiam & dilectis, Venere abstinent:

Vtendum, non abvtẽdum suauibus.

Phrynæ aut Laidi persoluta mercede, corpus malè paratum ad coitum vana opinione ducti exstimulant & ad libidinem iritant. Ipsa quidem Phryne ætate iam grauior dicebat, se fœcem pluris vendere propter suam nobilitatem. Mirum profectò est, & incomparabile hoc commodum, si quis concessis corporis quas naturæ exigit necessitas voluptatibus, immò autem diu corporis desideriis in actionibus obluctatus, ac obsequi cunctatus, difficultérque admodum eius necessitati gratificatus, aut vt Plato ait mordenti atque vrgenti obsecutus tandem, illæsum se potest conseruare. Vicissim cupiditates quæ in corpus ex animo descendunt, idque suis cogunt inseruire & comitari motibus, fieri non potest quin post obscuras & languidas voluptates maxima ac vehementissima illata damna relinquant. Minimè verò animi concupiscentia ad voluptatem permoueri corpus sinendum est: ipsum enim principium naturæ repugnat. & sicvt axillarum titillatio risum ab animo elicit non lenem aut placidum, sed convulsionis similem & molestum: ita quas compunctum ab animo corpus voluptates & turbatum concipit, eæ à natura alienæ sunt, & ad statum eius convellendum atque tumultibus exagitandum faciunt. Cum ergo vescendum offertur rarum aliquid aut nobile, abstinendo potiùs quàm fruendo quærenda est gloria. cogitandúmque sicvt Simonides dixit, nunquam se propter silentium, sæpe propter sermonem pœnitentia fuisse correptum: ita nobis nunquam pœnitudinem obortam fuisse ob repudiatum aliquod obsonium, aut haustum aquæ Falerno prælatum, sed contrà. Cæterùm tantum abest vt vis facienda sit naturæ dum vesci aliqua re cupimus, vt appetentem etiam plerunque debeamus ad vulgaria & nobis vsitata avertere, vt adsuefaciamus eum & condocefaciamus.

Voluptatibus corporis vt moderãdum.

Abstinentia.

Nam

Nam si uiolandum est ius, regnandi gratia
Violandum est: — inquit Themanus ille, improbè quidem. nos rectiùs sic dicemus, si quæren da est gloria, optimè quæretur continentia ad sanitatem conducibili. Veruntamen sunt, quos sordes & tenacitas eò adigunt, vt cupiditates suas domi cõ primentes atque attenuantes, apud alios precioſis alimentis perfruantur, iisque se impleant non secùs quàm si ex hostico commeatum nulla cum parsimonia auferrent. deinde malè affecti domum redeunt, viaticum ingluuiei in diem subsequentem habentes cruditatem. Crates quòd censeret non minimam causam, propter quam in ciuitatibus seditiones existerent & tyrannides, esse luxum & nimios sumtus, iocosè hortabatur ciues, ne vltra lẽtem subinde augendis patinis seditionum causas præberent. Quisque verò seipsum hortetur, ne identidem vltra lentes augendo patinas, præteritóque nasturtio & olea ad * thrium & piscem pergendo, corpus in tumultum ac fluxiones ventris ex redvndantia coniiciat. Vulgares enim cibi appetitum intra naturę modum continent: coquorum & opificum artes, & callidissimæ istæ aromatibus conditæ cupediæ, vt appellat Comicus, semper fines voluptatum proferunt, vtilitatémque supplantant. Ac nescio quo modo fiat, vt vxores cùm suos maritos veneficio & poculis amatoriis adoriuntur, execremur averseműrque: interim mercenariis & seruis permittamus vt cibos & obsonia tantùm non lenocinio commendent atque veneficio. Ergo tametsi acerbius videri potest Arcesilai dictum in adulteros ac libidinosos, Nihil differre anticáve an postica corporis parte cinædus aliquis sit: nostro tamen proposito non malè congruit. Quid enim interest, si veritatem rei spectes, satyrii sne aliquis libidinem provocet, aut gustatum odoribus & condimentis iritet, ac scabiosæ partis alicuius instar pruritu semper titillationéque

Tullius ex Phœnissis Euripidis. I. Offic.

Voraces alienæ domi.

**Vide Suidam de hoc edulio.*

indigeat. Fortasis suus locus erit aliàs, vbi aduersus voluptates dicamus, & quę pulcritudo ac dignitas continentiæ per se sit demonstrabimus. In præsentia autem multis magnísque voluptatibus nostra patrocinatur oratio. Non enim tot actionibus, conatibus, peregrinationibus aut ludis morbi nos priuant, quàm multis voluptatibus nos spoliant. vt qui maximè voluptates consectátur, minimè iis expediat sanitatem negligere. Sunt quibus in aduersa valetudine, liceat tamen philosophari, atque etiam imperia gerere & regnare. at corporis voluptates aliæ omnino exístere in morbo non possunt, aliæ vt oboriantur, parum habent genuini ac sinceri, sed multis alienis confusæ contaminatæque affectionibus velvti ex æstu & tempestate emergunt. Non enim in redvndantia corporis Venus locum habet, sed carnis quasi sereno & tranquillo statu Venerem, cibúmque & potum voluptas subsequitur. & sanitas voluptatibus, velvti serenitas alcyonibus, commodum tutúmque ortum præbet. Eleganter quidem dictum est à Prodico, omnium condimentorum suauissimum esse ignem. Sed verissimè dixeris, sanitatem condimentum esse diuinissimum & iucundissimum. Elixa quippe, assata, & cocta nullam voluptatem afferunt, neque grata sunt ægrotantibus aut crapula nauseáve laborantibus: sano corpori sincerus & integer appetitus omnia facit dulcia, & quæ (vt Homerus ait) auidè rapiantur atque sumantur. Verùm sicvt Demades de Athenienſibus intempestiuo belligerandi studio deditis dicebat, nunquam nisi atratos pacem decernere: ita & nos nunquam tenui & temperante victus de ratione cogitamus, nisi cùm à medicis vrimur, & medicamenta nobis impinguntur. quo quidem nostro statu delicta nostra valdè supprimimus, memoriæ eorum reluctantes. & vulgus imitamur hominum, qui intemperantiam & nimium volu-

Voluptas corporis nulla, eo nõ sano.

Odyss. ξ. 110.

voluptatis ſtudium ſuum diſsimulantes, regionem morbo obnoxiam, aut luem publicè graſſantem cauſantur. Lyſimachus apud Getas ſiti eò redactus, vt ſe cum toto exercitu in poteſtatem hoſtium dederet, poſteà cum frigidam bibiſſet, Dij boni, inquit, quàm ob breuem voluptatem ſummam amiſi felicitatem. Nos quoq; in morbis nobiſcum reputemus, ob frigidæ potum, aut intempeſtiuum balnei vſum, aut obſequium in conuiuio præſtitum nos multas noſtras perdidiſſe voluptates, actionéſq; honeſtas, & iucundas oblectationes. morſus enim huiuſmodi ratiocinationum memoriam ſauciat, vt quaſi cicatrix reliqua in ſanitate nos cautiore vti moneat victus ratione. Non enim nimis vehementes appetitiones in corpore ſano exiſtent, neque contumaces, neque inſolentes aut quæ coërceri non poſſunt. ſed obfirmandus eſt animus contra concupiſcentias iſtas vbi inter fruendum ſeſe efferunt & exſultant, tenendúmque querimonias earum & eiulatus viles eſſe ac pueriles, & horum finem fore ſublata menſa: ac proinde appetitus iſtos nulla iniuria affectos, nihil nobiſcum conqueſturos, ſed contrà puros ac hilares, non moleſtos aut faſtidioſos, craſtinam diem expectaturos. Huc pertinet quod Timotheus cùm pridie in Academia cœnæ Platonis philoſophicæ ac frugali interfuiſſet, dixit: Qui cum Platone cœnarent, eos poſtridie etiam ſuauiter viuere. Sed & Alexandrum Magnum narrant dixiſſe, cùm Adę cocos relegaſſet, Meliores ſe habere quos ſecum ducat: nempe nocturnum iter quod ei prædium, & exilitatem prandij, quæ cœnam faceret dulcem. Non ſum neſcius febres hominibus, & ob defatigationes, & ob nimios cùm æſtus tum algores accidere. Sed tamen ſicvt florum odores imbecilles ſuapte natura, quando oleo admiſcentur, vires vigorémq; nanciſcuntur: ita externis cauſis atq; principiis redvndantia humorum in corpore velvti ſubſtantiam

Plenitudo morborum cauſa.

& corpus ſuppeditat.abſq; hac nihil mali cauſæ illæ inferunt,ſed elangueſcunt diſsipantúrque facilè, ſanguine tenero & ſpiritu puro motum excipiente: vbi autem redvndantia eſt humorum, ibi velvt cœnum quoddam exagitatur impurum, omniáq; difficilia reddit & pertinacia. Non igitur imitari debemus bonos nauiculatores, corpúſque ſubinde impletum & oneratum, purgando rurſum & proluédo evacuare:ſicvt illi ob auariciam multa in naues cum ingeſſerunt,adſiduo deinceps aquam exhaurire coguntur. ſed corpora noſtra habilia & expedita ſeruare,vt etiam ſi aliquando premantur,ob leuitatem ſuberis inſtar ſurſum ſeſe efferant. Maximè autem præcauendum eſt in præſenſionibus morborum. Non enim omnes morbi invadunt nos, ſicvt Heſiodus ait,

Præſenſio morborum.

Muti nam uocis priuauit Iuppiter uſu:

ſed plerique tanquam prænuncios habent & præcurſores ac præcones ſuos, cruditatem & motus difficultatem. Grauitas membrorum, inquit Hippocrates, & defatigationes ſponte orte, morbum indicant.nimirum ob plenitudinem ſpiritu neruorum compreſſo & obſtructo. Sed tamen multi,reluctante tantùm non ipſo corpore & in grabatum atque ad quietem trahente, ob gulam & luxuriam ſeipſos in balnea coniiciunt, & ad propinationes feſtinant, velvti obſidione imminente commeatu ſe inſtruentes, metuentéſque ne impranſos febris corripiat. Qui videri volunt elegantiores, hac ratione non peccant. ſed ſtolidè admodum, dum pudet crapulam aut cruditatem confiteri & in lecto diem exigere aliis ad gymnaſium euntibus & ipſos eodem vocantibus, ſurgunt & exercitationibus ſeſe quoque dant, eadémque cum ſanis agunt. Plurimos intemperantiæ & molliciei ſpes patrocinium à proverbio quærens, quod vinum vino, crapulam crapula pelli & diſcuti ait, mouet, perſuadétque vt omiſſo lecto audacter

2. Aphor. 5.

audacter ad consueta redeant pocula. Cui quidem spei Catonis illa opponi debet cautio, qua is dicebat magna imminui, parua omnino aboleri: tenendúmq; est, quod præstat frustra abstinuisse & quiescere, quàm sanitatem ad balneum aut cœnam se proripiendo in periculum coniicere. etenim si mali aliquid subest, non cauisse, non se inhibuisse nocebit: si nihil suberat mali, non obest corpori abstinentia illa, qua factum est purius. Puerilis autem ille, qui veretur ne se ob repletionem aut crapulam male affectum amici aut famuli sentiant: dum hodie pudet cruditatem confiteri, cras fatebitur fluxionem, aut febrem, aut tormina.

Turpiter inopiam, eius si te pudet, feres:

inquit ille. multo turpiùs feres cruditatem, grauitatem corporis & redvndantiam, si corpus in balneũ trahas, velvt nauim putridam rimísque hiantem in mare. Sicvt enim qui nauigantes sub tempestatem dum in litore tempus terere pudori habent, deinde in altum provecti turpissimè vociferando & nauseando se gerunt: ita in suspicione morbi corporéq; non bene affecto qui parum decorum putant vnam diem in lecto consumere cibóque abstinere, turpissimè per plures inde dies decumbunt, dum purgantur, & medicamentis oblinuntur, medicíque adulantur, & demerentur vinum petentes aut frigidam, turpiáque multa & abiecta facere ac dicere ob dolorem & metum sustinent. Et verò qui propter voluptates sibi ipsis non imperant, sed cupiditatibus suis aguntur aut inclinantur, docendi sunt & admonendi, maximam sui partem voluptates ex ipso sumere corpore. Et quemadmodum Spartani coquo acetum & salem dantes, reliqua in ipso quod mactandum erat animali iubebant quærere: ita in corpore eius quod huic exhibetur condimenta præcipua insunt, si sano ei exhibetur, atque puro. Quòd enim cibus potúsve

Corpore nõ sano voluptas nulla sincera.

aliquis dulcis est, quòd precioſus, id à ſua natura habet, & extra corpus fruentis. ſuauis autem fit & iucundus ita demum, ſi fruentis corpus ſecundum naturam affectum eo delectetur. qui verò eum averſantur, aut ebrij vel ægroti ſunt, apud hos iſta omnem ſuam gratiam venuſtatémque amittunt. Itaque non conſiderandum eſt, an recens ſit piſcis, an purus ſit panis, an balneum calidum, an ſcortum formoſum: ſed an qui his frui vult, nauſea vacet, corporis tranquillo ſit ſtatu, non heſterna crapula vexetur, non perturbatus ſit. alioqui ſicvt comeſſatores ebrij in domum lugentium invadétes, non lætitiam aut delectationem adferunt, ſed fletus excitant: ita venus, obſonia, balneum, vinum corpori adhibita contra naturam affecto, pituitam bilémve concitãt, tumultúque illato etiam ſanas adhuc partes corrumpunt: ſperatæ autem voluptatis & delectationis cõferunt nihil. Enimverò accuratiſsima illa & ad vnguem (vt aiunt) explorata victus ratio, corpus reddit admodum meticuloſum & periculis obnoxiũ, ipſiúſq; animi alacritatem retũdit, omnibus de rebus, omni tam laboris tractatione quàm voluptatis fruitione ſuſpicantem finiſtri aliquid, nihílque confidenter aggredientem. Oportet autem corpus naualis inſtar veli neque ſereno & tranquillo cœlo nimis cõtrahere aut comprimere: neque cùm aliquis ſubeſt metus, nimis paſſo & laxato eo vti. ſed concedendũ eſt aliquid corpori, alleuandúmq; eſt, neque eò vſq; differenda cura, dum cruditates iam, & fluxus alui immodicus, aut æſtus torporéſve ingruant: quibus nonnulli vix tandem tanquam à nunciis aut apparitoribus admoniti febrim eſſe ante fores, conturbantur, & moderari ſibi incipiunt: cùm debuerint eminùs ante tempeſtatem ſibi præcauere, velvti qui obſeruant Boream (vt ille ait) ad maritimum promontorium flatu impingẽtem. Eſt enim abſurdum, cùm crocitationibus coruorum, gallinarum cantillatio-

Accuratiſſima victus ratio invtilis.

Morborum prænotio.

lationibus, ſuúmque furioſis in cœno volutationibus, vt appellat Democritus, ſtudioſè animum attendamus, ventorum inde & imbrium præſagia ſumentes: motus nos corporum noſtrorum, & iactationes, affectionéſque morbum antecedentes non obſeruare, non præcauere, neque indicia futuræ in nobis tempeſtatis præcipere animo. Ergo non ad nutritionem modò corporis quod attinet, & exercitationes notandum eſt, an iis corpus ſegniùs minorí ve cum alacritate, quàm conſueuerat, vtatur, & an ſolito amplius fame ſitíve tentetur: ſed ſomnus quoque ſi continuus aut lenis non ſit, verùm inæquabilitatem habeat & divulſiones, ſuſpicionem nobis morbi iniicere impendentis debet. atque ipſa adeò ſomnia abſurda ſi ſint, viſaque nobis per quietem offerantur non legitima neque conſueta, multitudinem aut craſsiciem humorum internam, ſpirituúmve conturbationem deferunt. Ipſi etiam motus animi ſignificant interdum corpus ad morbum eſſe procliue. nulla enim cauſa extante oboriuntur aliquando ſubitæ mœſticiæ & metus, repente ſpes animo conceptas exſtinguentes. ſtomachus quoq; facilè quibuſdam mouetur, iráſque & dolores celeriter minutiſsimas ob res ſuſcipiunt, lacrymántque & animi ſeſe angunt, cùm vapores exhalationéſque vitioſè coëuntes, animi (vt ait Plato) permiſcentur circuitionibus. Quibus ergo hæc acccidunt, ij perpendere ſecum ea debent, & ſcire ſi ſpiritalis nulla ſit cauſa, ſubeſſe corpoream aliquam, quam compri mi aut contemperari oporteat. Magnopere autem conducit, vt cùm inviſis ægrotátes amicos, diligenter de cauſa morbi ſciſciteris: non ſophiſtarum hoc more & ſupervacanea curioſitate, vt inſtantias, incidétias, cómunitates in ore habeas, & medicarum vocum litterarúmque peritiam oſtentes: ſed vt vilia hæc & vulgaria non obiter audias, redvndantiam, defectum, defatigationem, inſomnia: maximè autem

Ex aliorum morbis ſumenda vtilitas.

eam victus rationem, qua is vsus in febrim incidit. Deinde, sicvt Plato solebat aliorum peccatis animadversis digressus secum disquirere; an non ipse quoque eodem esset in vitio: ita exemplum ex aliis capias quid tibi vitandum sit, memoriáque tenendum, ne in idem incidas malum, & affixus lectulo dignam gloriatione sanitatem cum desiderio prædices: sed alterius casus tecum te doceat perpendere quanti faciunda sit valetudo bona, quantáque sit attentione & parsimonia eius conseruationi studendum. Expedit etiam in suam ipsius vitæ rationem inquirere. Si enim biberimus, ederimus, laborauerimus, aliúdve quicquá præter ordinem fecerimus, neq; vllum indicium aut præsagiũ mali accepti corpus præbeat: nihilominus obseruare nosmet ipsos debemus, ac nos præmunire, si vsi sumus re venerea, aut lassati, quiete & somno: si vino liberaliùs vsi, aquæ potu: maximè autem si alimentis solidis, carnosis, aut variis indulsimus, cibi paucitate, ne quam superfluorum copiam in corpore relinquamus. nam cùm ipsa per se excrementa multorum sunt causa morborum, tum aliis causis materiam viréſq; suppeditát. Est enim optimè dictum, saluberrima esse hęc, Alimenti citra satietatem vsum, alacritatem impigram ad labores, naturæ seminis conseruationem. intemperantia enim coitus, eò quod maximè eam facultatem debilitat qua nutrimentum conficitur, excrementorum gignit copiam. Verùm de his singulis repetito exordio disseramus. Primùm de exercitationibus quæ studiosis litterarum conveniát, hoc dicimus. sicvt is qui se nihil scribere iuxta mare habitantibus de curatione dentium aiebat, vsum marinæ aquæ hoc ipso docuit: ita & nos profiteri possimus, non esse cur litterarum studiosis de exercitationibus aliquid præscribamus. Vsus enim sermonis voce pronunciati quotidianus, mirum dictu quam vtile sit genus exercitationis, non ad sanitaté dunta-

Correctio peccatorum in victu & similibus.

De exercitationibus philologorum.

Sermonis mirifica vtilitas.

duntaxat, sed etiam ad vires: non quidem athleticas eas, aut quæ carnes augeant & extremas corporis, tanquam ædificij partes condensent: sed quia principibus corporis membris, penes quæ vitæ facultas potissimum est, naturale robur, vigorémque verum ingenerat. Ac spiritu quidem augeri robur, aptæ demonstrant, qui athletis præcipiunt, vt fricationibus renitantur, eásque subinde intercipiant, obseruatis semper partibus quæ contrectantur, & oleo ac puluere obducuntur. Sed vox cùm sit animę motus, non in superficie, sed intimis in visceribus tanquam fonte invalescens, calorem auget, sanguinem tenerũ reddit, omnes expurgat venas, omnes aperit arterias, coire & concrescere humorem nullũ supervacaneum patitur, aut tanquam fæcem subsidere iis in vasis quæ alimentũ excipiunt ac conficiunt. Itaq; cõtinenter orando debemus nobis familiarẽ hanc facere exercitationẽ: vel si suspicio insinuet, corpus imbecillius esse aut aliquanto lassius, legendo vel colloquendo. quod enim gestatio est si cum exercitatione conferatur, id lectio præstat vice colloquij, tãquam vehiculo orationis alienæ vocem molliter mouens atque differens. colloquium concertationem & vehementiam adiicit, animo conatum corporis adiuuante. Omnino autem vitãdæ sunt vociferationes nimiis animi motibus expressæ, vocémque per vim quandam extorquentes. inæquales enim spiritus eruptiones & contentiones, rupturas gignunt ac convulsiones. Qui legerit aut disputauerit, is ante deambulandum læui atque tepida vtatur fricatione carnis & mollitione, quantum fieri potest viscera tangens, spiritúmque leniter complanans ac vsque ad extremitates diffundens. modus fricandi sit sensui gratus, ac citra dolorem. Qui enim sic composuit tumultum in profundo corporis ac contentionem spiritus, ei excrementa nihil afferunt molestiæ: & si intempestiuũ sit

Lectio. Colloquiũ.

deambulare, aut per occupationes non liceat, nihil est incommodi. natura enim id accepit, quod ei debebatur. Itaque neque nauigatione, neq; diversorio excusandum prætexendúmve est silentium: sed exercenda vox, etiam si ab vniuersis derideare. Quo enim in loco turpe non est cibum capere, vtique etiam exercere ibi corpus inhonestũ non est: sed turpius fuerit metuere ac pudore affici ob nautarum agasonum, cauponúmque risum, non quòd pila ludas aut vmbram pugnæ exhibeas te deridentium, quàm quod inter dicendum simul aliquid doceas, quæras, discas, in memoriam redigas exercẽdo. Socrates dixit, ei qui saltando exercere corpus velit, opus esse domo vel septem lectorum capaci. qui cãtu aut sermone, ei sufficere se exercenti, stanti, cubantíque quemvis locum. Id vnum cauendum est, ne conscij nobis repletionis, rei venereæ, aut defatigationis, vocem asperiùs contendamus: quod multis rhetoribus ac sophistis vsu venit, cùm ad certamen dicendi vel gloria & ambitione, vel spe mercedis aut propter ciuiles contentiones protrahi se sinunt alieno tempore. Niger sanè noster oratoriam artem in Galatia docẽs, forte fortuna spinam piscis deglutiuerat, cùm subitò foris supervenit alius quidam rhetor, ac declamare cepit. ibi Niger, ne spe- cie concedentis silentio præberet metuens, etiamnum spina in faucibus hærente declamauit & ipse. sed orta inde magna ac dura inflammatione, impatientia doloris exsecari sibi spinam introrsum profundè vulnere adacto passus est. per quod vulnus exemta quidem est spina: verùm ipse eo ex vulnere, quod sanatu difficile esset, humoréque affluerent parti læsæ copiosi, mortuus est. Sed de his inferiùs erat commodior monendi locus. Ab exercitatione lauari, frigida quidem aqua, plus habet oftentationis quàm ad sanitatem vtilitatis. Videtur sanè hoc præstare, vt minùs facilè ab externis rebus corpus

Frigida lauacra.

pus lædatur, duriciémque corpori aliquam conciliare. Maius tamen internis partibus damnum adfert, meatibus obsistens, humoréque cogens, & vapores condensans, qui semper laxari & digeri suaptæ natura cupiunt. Præterea qui frigida lauantur, necesse rursum est vt eam, quam nos fugimus, prorsus accuratam præciséque nimis statutam vitæ rationem sectentur, sempérq; curam adhibeant ne quid in eam delinquât: quod nunquã non vel quodvis peccatum acerbè castigetur. Vsus balnei calidi multo plus veniæ meretur. Non enim tantum vigoris roborísque aufert, quantum ad sanitatem conducit eo, quòd exordia concoctioni præbet, eáque lenia: ac iis quæ concoctionem effugiunt, nisi planè sint cruda & in summo suspensa maneant, diffusiones dolorem nullum afferentes comparat, occultásque membrorum defatigationes demitigat. Veruntamen vbi natura præbet mediocriter satísque cõmodè affecti corporis sensionem, omisso balneo ad ignem invngi præstat, si tepore corpus indigeat. Sic enim conseruatur magis insitus ac dispensatur calor. Sole neque magis neque minus vtendum est, quàm temperies aëris ab eo profecta permittat. Atque hæc quidem de exercitationibus sufficiãt. Ad cibum porrò sumendum quando acceditur, siquidẽ effecerunt aliquid ea quæ antè à nobis de appetitu demulcendo & mansuefaciendo disputata sunt, restat vt aliud deinceps præceptum subiungamus. Quod si eum tanquam vinculis solutum tractare, & contendere adversus ventrem auribus, vt Cato dicebat, carentem difficile fuerit: danda est opera, vt ciborum qualitate copiam minus molestam reddamus. Itaque eos cibos, qui solidi sunt, multúmque habent nutrimenti, (carnes putà, caseos, ficus aridas, oua assa, & qui horum sunt similes) quãdo semper aversari vix possumus: tenues & leues arripiamus interim, cuius generis olera sunt pleraque, &

Balneum.

Vnctio.

De cibis philologorum.

aues,& piſces non pingues. Licet enim his veſcentem & gratificari appetitui,& corpus non affligere.
Carnis eſu. Maximè autẽ cruditates metuendæ ſunt ab eſu carnium. nam hæ & initiò ſtatim valdè prægrauant, & reliquias poſt ſe malas relinquunt. Ac optimum quidem erat, ita corpus adſuefacere, vt nullum id carnium requireret eſum. non enim ad nutriendum modò largiter ſufficiẽtia tellus producit, ſed etiam ad dectationem voluptatémque faciẽtium copiam: quibus partim nullum apparatum alium requirentibus veſci poſsis, partim ſexcentis modis miſcere & ſuauia redigere. Sed quando conſuetudo, non quidem omnino naturæ ea adverſa, in naturam iam abiit, carnibus veſcendum eſt ſanè: non tamen ad explendum appetitum, vt lupi faciunt ac leones: ſed cùm eas tanquam fundamentum quoddam & munitionem qua reliqui cibi contineantur ingeſſerimus, alij deinde cibi atque obſonia addantur, quæ & naturã corporis noſtri propiùs attingant, & mentem minùs hebetent noſtram, velvti ex tenui & facili materia incenſam. De liquoribus, lac quidem
Potus. Lac. vſurpandum pro potu non eſt, ſed vt cibus vim validam, & ad nutriendũ copioſam habẽs. De vino id
Vinum. pronunciabimus, quod de Venere Euripides:

Adſis mihi, ſed mediocris:
Neque me deſtituas.

Eſt enim vinum & potuum vtiliſsimus, & medicamentorũ ſuauiſsimum, & de obſoniis omnibus gratiſsimum appetitionibus noſtris, ſi occaſionem magis etiam quàm aqua ſit probè temperatum. Aqua,
Aqua. & vino ſi miſceatur, prodeſt: & quæ pura inter diluti vſum bibitur, ipſum dilutum reddit minùs noxiũ. Itaque in quotidiano victu adſuefacere nos debemus, vt duo vel tria pocula aquæ ebibamus. hæc & vſum vini emollient, & corpori familiarem reddent aquæ potum, ne cùm ea pota opus ſit, inſolentia rei offen-

offendamur ac recusemus. Nō enim desunt, qui quo tempore maximè aqua erat bibenda, ad vinū ferantur: vt cùm Solis calore vsti sunt, cùm horruerunt, cùm vehementiùs perorauerunt, cùm maiore animi contentione de aliqua re cogitauerunt. deniq; à defatigatione & contentione vinum existimant bibi debere, quòd ipsa videatur natura quandam corpori bonam affectionem, & post labores mutationem exposcere. Atqui non voluptatē (siquidem hoc bona affectione intelligi velis) natura requirit, sed mutationem quæ medio inter voluptatem & dolorem loco constituat. Quapropter in his casibus & cibi aliquid detrahendum est, & vinò aut abstinendum omnino, aut vtendum diluto interim multa aquæ potatione. cùm enim natura sit vinum impetuosa & acri, conturbationes corporis intendit, atque exasperat, & partes affectas irritat, demitigationem desiderantes ac læuigationem. quām rem aqua præstare optimè potest. Etenim si etiam non sitientes aquam bibamus tepidam à defatigatione, contentione virium, & æstu: sentimus internas partes relaxari & leniri. placida est enim aquæ humiditas, & quieta: cùm vini humiditas impetuum habeat multum, vimq; recētibus affectionibus nequaquam amicam aut æquam. Sin verò est, qui acrimonias illas & acerbitates metuit, quas nōnulli dicunt inediam ingenerare, aut sicvt pueri miserum putat si febre imminente malum præsagiens nō occupet cibo vesci: limes est inter has res optimè congruens, aquæ potus. nam ipsi etiā Baccho sæpenumerò sacra Nephalia, id est sobrietatis, peragimus: rectè nosmet ita cō parantes vsu, vt non semper merum desideremus. Minos quidem luctus causa tibiā sacrificio ademit & coronam: cum tamen sciamus animum qui in dolore sit neque coronis lædi neque tibiarum cantu. Corpus autem ita validum est nullum, cui conturbato & inflammato vinum adhibitum non adferat

A vocatio animi à nimiis appetitionibus cibi.

aliquid damni. Lydos aiunt fame premente alternis diebus cibum sumendo, & ioco se lusúque oblectando tempus contriuisse. Sed hominem litteris Musisq; deditum, sicvbi tardiùs cœnare oportebit, proposita aliqua geometrica descriptio, aut libellus, aut cithara, non patientur à ventre agi ac ferri: sed ad hæc subinde convertens à mensa & transferens cogitationes, Musarum ope concupiscentias velvti harpyas quasdam abiget. Scythæ cùm poculis indulgent, subinde arcum tangunt, neruóque sonitum edentes animum crapula dissolutũ revocant: & homo Græcus metuat irridentes ipsum, quòd immodestiam pertinacémq; cupiditatem libris & litteris paulatim emollit atque demulcet? Apud Menandrum leno quibusdam adolescentulis insidiatur, introducẽdis formosis & sumtuosis scortis: sed eorum quisque, vt ibi dicitur,

Edebat, in sese intuens, bellaria,

scilicet metuens inspicere scorta, idque cauẽs. eruditi verò, pulcras, multas, eásq; iucundas habẽt res in quas à gulæ iritamentis animum oculósq; divertant, si aliter non possunt apposita mensa compescere cupiditatum impudentem ferociam. Iam alíptarũ & pedotribarum voces subinde inculcantium alimentum disputationibus in cœna litteratis corrumpi, capútque grauari: tum pondus habere sinamus, cum Indum, fallaciam illam sophisticã, cœnantes dissoluturi, aut de cornuta, quam vocant, ratiocinatione sumus disputaturi. Cerebrum Phœnicis dulce admodum est, sed dolores capitis inducere fertur. At dialectica in cœna bellariũ est nequaquam dulce, interim tamen caput vehementer lędit ac fatigat. Quod si isti nihil etiam aliud sub cœnam quærere ac philosophari nobis permittũt de iis rebus, quæ pulcræ iuxtà sunt, & vtilem præbent oblectationem: iubebimus, vt molestiam nobis facessere desinãt, inq; Xysto & palæstris apud athletas disputent,

An in cœna vel post cœnam disputandum.

tent, quos à libris abalienatos, totos dies facetiis & scurrilibus iocis exigere adsuefaciunt, & vt scitè Aristo dixit, similes columnarũ in gymnasio, nitidos scilicet lapideósq; fecerunt. Nos autẽ medicis pareamus, qui monent semper inter cœnã & somnum faciendã aliquam intercapedinẽ: ne cõgestis in corpus cibis & oppresso spiritu, cõfestim crudo ac feruido alimento aggrauemus vim concoctricem, sed respirationem & relaxationem concedamus. Ergo sicvt qui mouenda post cœnam corpora affirmant, non cursu aut pancratio id faciũt, sed lentis ambulationibus, & choreis modificatis: ita nos quoq; existimabimus à cœna animos nostros exercẽdos esse, non sanè negociis, non curis, neq; sophisticis concertationibus, quæ ad ostentationẽ aut animorum motus concitãdos tendunt. Sed multæ de rebus naturalibus quæstiones faciles ac probabiles suppeditant: multæ narrationes quæ ad disputationẽ de moribus faciãt, non eã asperam sed vt Homerus appellat menoeikea, id est, animũ demulcere quæ possit. & historicæ ac poëticæ quęstiones non ineleganter quidam litteratorum hominũ secundas mensas dixerunt. Sunt & narrationes non molestæ, & fabularũ recitationes, & de tibia aliquid lyráve colloqui facilius est quàm ea ipsa audire. Terminus autem tẽporis hic præfigitur, vt iam alimento sensim subsidente ac conspirante superior esse ídque elaborare possit concoctio. Porrò Aristotelis de sentẽtia cœnatorũ exsuscitat ambulatio, somnus à cœna statim captus suffocat calorem: alij aũt quiete adiuuari cõcoctionem, motu perturbari digestionẽ nutrimenti putant. ideóque aliis vt à cœna statim deambulent, aliis vt quiescant persuasum est. Vtriusq; consilij videtur scopũ non ineptè attingere, qui fouens à cœna quietúmq; seruans corpus, animum non illicò ocio det, sed (vt dictũ est) dicendo & audiẽdo ea quæ blanda sunt & neq; mordent neq; grauant, spiritus

Iliad. 1, 227. alibi.

Ambulatio à cœna.

De vomitu & purgationibus medicis.

digerat atque attenuet. Vomitus & purgationes ventris per medicamenta, turpia redvndantiæ remedia, sine magna necessitate non debent vsurpari, quod vulgo faciunt, vacuationis causa replentes corpus, & rursum repletionis gratia exinanientes, contra naturam nõ minùs repletionis quàm vacuitatis intolerantes: immò prorsus & plenitudinem vt impedimentum fruitionis molestè ferentes, & vacuando subinde receptaculum voluptatibus parantes. cum quidem evidens sit, quid damni inde sequatur: vtroque enim corpus conturbatur & convellitur. Hoc peculiare vomitui est malum, quod * insatiabilitatem auget atque alit. Fit enim fames velvti concussis alueis aspera & turbulenta, attrahitúrque vi alimentum, non citra dolorem: appetitúsque excitatur non alimentum requirentis famis sitísve similis, sed inflammationi quæ medicamentorum haustum applicationémve requirat. inde voluptates nascuntur celeres & imperfectæ, multum habentes pulsus atque exagitationis atq; stimulorum: quibus succedunt cõtentiones & ictus meatuũ, & spiritus includuntur, qui non expectare possint naturalis evacuationis tempus, sed in superficie corporum versentur, eáq; similia faciant nimis oneratarum nauium, in quibus mercium iactura, nõ rerum supervacanearum opus est. Alui autem conturbationes, vbi medicamentis corrumpuntur atq; liquãtur certi humores, plus adduntsuperflui quàm educunt. & sicvt Græcus grauissimè erraret, qui Græcæ in vrbe turbæ multitudinem molestè ferés, Arabibus & Scythis convenis vrbem impleret: ita nonnulli longissimè à recta ratione absunt, qui eiiciendorum è corpore redvndantium humorũ causa, qui familiares corpori sunt & consueti, in corpus iniiciunt coccos Gnidios, Scammoniam, aliáque medicamenta à temperie corporis aliena & sæua, ac quæ expurgari debeant potiùs, quàm corpus purgare

gare posſint. Hac igitur in re optimum eſt, moderata & temperante victus ratione corpus ita comparare, vt vltrò ſit ad evacuationes & repletiones rectè compoſitum. Quod ſi tamen aliquando neceſsitas efflagitet, vomendum eſt, citra tamen medicamenti vſum & nimiam operam, nulla corporis cum conturbatione: ſed iis quæ redvndant ſponte ſua per gulam foras redeundi permittenda cruditatis vitandæ cauſa facultas. Sicvt enim lintea quæ ſaponibus aut nitro detergentur, mundiora redduntur quàm ſi aqua eluerentur: ita medicati vomitus corpori noxam perniciémque inferunt. Vbi autem adſtricta fuerit aluus, nullum ad eam laxandam medicamentum ita valet, vt cibi nonnulli, qui & molliter eam iritant, & ſoluunt placidè. quorum & peritia familiaris, & vſus doloris vacuus eſt. quibus tamen ſi non moueatur, adhibenda eſt aliquot dierum potio aquæ, aut inedia, aut clyſter potiùs, quàm conturbantia ac corrumpentia corpus medicamenta iſta, quæ nonnulli arripiunt, quo modo libidinoſę mulieres abortum aut fœtus interitum efficientia pharmaca, vt impleri rurſum & voluptates poſsint percipere. Verùm hos omittamus. Alij ab altera parte ſunt nimis accurati, & qui ſtatis tempo rum converſionibus inediam ſibi imperant. non rectè ij naturam nulla eius vrgente neceſsitate cogentes ob conſuetum temporis articulum defraudare ſeipſam, & neceſſario, cum opus non ſit, alimento ſuo priuari. Præſtat autem his corporis caſtigationibus vti liberis, ita vt non præſentiantur antè, aut earum ſuſpicio ſubſit: ac totam victus rationem ita inſtituere, vt ad quaſvis mutationes obediens corpus, non obligatũ mancipatúmve vni ſit formulæ, aut præceptis animo dierũ numeris ſiue circuitibus. Nam neque tutum, neque facilè, neque ciuile, neque homini, ſed conchylio conveniens eſt aut trunco, genus viuẽdi illud immutabile & coactum:

In ſtatas inedias.

vbi quis in vmbratilem sese, ociosam, solitariam, & amicorum expertem obscurámq; vitam quàm longissimè à republica abdens, cibis & abstinentia, motibus ac quiete vteretur necessitate quadam sibi vltrò imposita præscriptis. idq; nullo mihi modo probatur. Non enim ocio ac inertia vænalis est sanitas: quæ duo maxima sunt malorum morbos comitantium. & si quis bonam valetudinem quiete & actionũ abstinentia putat se paraturũ, perinde facit, ac si quis nihil dispiciendo oculos, aut vocem nó loquendo conseruare instituat. quid enim ad tam multas & hominis officio cõsentaneas actiones proderit ei sanitas? Proinde desidiam salubrem esse, minimè putandum est. qui enim nihil agunt, sani nó possunt verè dici: cùm cuius rei causa sanitas expetitur, eam ignauia perimat. Neq; verò ocio sanitatem Xenocrates quam Phocion, aut Theophrastus quam Demetrius Phalereus maiorẽ est consecutus. & Epicuro, eiúsq; sectatoribus nihil ad tritam illam corporis bonam affectionem cõtulit adiumenti omniũ feriarum & ad gloriam pertinentium actionum fuga. Equidem omnis generis curis conseruanda est corporis naturalis constitutio: cùm nullum vitæ genus vicissitudini bonæ aduersæque valetudinis non sit obnoxium. Sed præcipuè in republica versantibus præcipiendum est contrario atque adolescentulis Plato consuluit modo. Solebat is quoties è schola discederet dicere: Videte pueri, vt ocio ad honestam aliquam rem vtamini. nos autem illis mandabimus, vt labores in res pulcras necessariásque insumant, neque ob vilia aut exigua negocia corpus fatigent. Multi enim quavis de causa seipsos afflictant vigiliis, peregrinationibus, circuncursitationibus, nulla proposita vtilitate, nullo fine laudabili: sed quia aliis nocere cupiunt, invident, contentiosè adversantur, aut sterilem inanémq; sectantur gloriolam. In quos ego præcipuè existimo

Ocium non facere ad sanitatem.

existimo competere dictum illud Democriti: Animum, si damni infecti postularetur à corpore, damnatum crimine eo iri. Apparet quidem Theophrastum à vero non aberrasse, cùm translatione verborum quadam vtens pronunciaret, Grandem pro cõducto domicilio mercedem corpori animum depẽdere. Sed tamen plura ob animum eveniunt corpori mala, si hoc ille non secundum rectæ rationis præscriptum vtatur, neque quantam convenit eius curam gerat. Solet enim animus, dum in suis priuatim est affectionibus, conatibus & institutis, corpore nimium abvti. Iason sanè Pheræus ille, nescio qua ratione adductus, iniustè quædam minuta agenda aiebat: vt iustè possent magnæ res confici. Nos rationi convenienter ciuilem hominem hortabimur, vt in rebus paruis remissionem admittat, ibique ocio & quieti indulgeat: si quidem velit ad præclaras & honestas rationes afferre corpus non lassatum laboribus, non hebes, non succumbens oneri, sed in ocio (sicvt in naualibus naues solent) refectum: vt animũ ad vsus necessarios vocantem,

Quando ocio & delectationi indulgẽdum.

Lactens equum pullus velut posit sequi.

Eam ob rem concedentibus negociis recreare nosmetipsos debemus, ac neque somno defraudare neque prandio corpus, sed eam cõsectari corporis gratam affectionem, quæ inter voluptariam sit & doloribus infestatam media. quem limitem non obseruãtes quidam, mutationibus corpus adflictant, modò nimis pressum duratúmque laboribus, ferri instar quod è flammis aquæ immersum duriciem accepit, rursus voluptatibus immodicè colliquantes & atterentes, modò dissolutũ venere & vino emollitúmq; in forum, aulam, aliúdve negocium quod feruente & contento opus habet studio coniicientes. Heracletus aqua laborans intercute, à medico postulabat vt imbrium abvndantiam in siccitatem converteret. At plerique in summo versantur errore, qui

eum defatigatio,labor,indigentia vſu venerũt,tum maximè corpora ſua voluptatibus humectanda (ſic dicere liceat) & colliquanda exhibent:rurſúſq; à voluptatibus ad labores convertũt & intendunt. Non enim hãc compenſationem natura exigit. quippe cùm hoc modo illiberalibus & libidinoſis motibus animi à grauibus laboribus ad voluptates deliciáſque impudenter converſis,rurſúmque poſt voluptates perceptas animo corpus ad labores negociationéſque protrudente, natura non poſsit eam, quam maximè deſiderat conſtitutionem & (vt nautica vtar locutione)tranquillitatem adipiſci, inæqualitate iſta ſemper turbante & tempeſtates concitante. At enim qui ſana vtuntur mente, ij nequaquam corpori voluptates conciliant,dum in labore eſt.quippe omnino eas tum temporis non requirunt, neque meminerunt animo honeſtati actionis intento, eiúſque lętitia & ſeriis cogitationibus alias cupiditates opprimentibus.Quod enim Epaminondas ioco dixit, viro præſtante circa Leuctricæ pugnæ tempus morbo exſtincto: Dij boni,quomodo in tantis negociis vacauit huic mortem obire? id verè vſurpare poſsis de viro vel actionem ciuilem,vel philoſophicam aliquam diſputationem præ manibus habente: Vnde huic homini nunc ſuppeditauit ocium crudítate laborandi, vino ſe obruendi, aut veneream libidinem exercendi? Defuncti autem iidem laboribus, nactíque ocium, corpus quiete reficiunt, non tam invtiles labores, quàm non neceſſarias voluptates, vtpote naturæ inimicas, vitantes atque fugientes.Auditu accepi, Ti.aliquando Cæſarem dixiſſe,Ridiculum eſſe virum eum, qui annum vitæ egreſſus ſexageſimum,manum medico porrigat.Hoc quidem mihi dictum aliquanto videtur proteruiùs. Ita autem ſentio, debere vnumquenque & cognitas habere pulſuum ſuis in arteriis proprietates, (multæ enim ſingulis ſunt differentiæ) neque ignorare,

Cuique ſui corporis debere eſſe notas proprietates.

rare, qua temperie corpus sit caloris aut siccitatis, quibúsve rebus iuuetur aut lædatur, se ipsum enim non sentit, suóq; in corpore cæcus inhabitat ac surdus, qui hæc ex alio cognoscit, & medicum percunctatur, æstaténe an hyeme meliùs valeat, commodiúsne humidis quàm siccis vescatur, naturáne crebrum habeat an rarum pulsum. Hæc & vtile est habere cognita, & facilè percipiuntur studio atque vsu. Expedit etiam ciborum habere noticiam, vtiliũ potiùs quàm suauium, peritúmque esse ventriculo convenientium potiùs quàm adversantium stomacho, & quæ concoctionem non perturbent, quàm quæ gustus sensum valdè titillent. è medico quærere, quid sibi facile sit aut difficile concoctu, quid vẽtri inimicum aut amicum, nõ minùs turpe est quàm scisitari, quid sit dulce, amarum, austerum. Nunc vulgò coquorum corrigunt errata, peritè sentientes ipsi sicvbi plusquam oportuit dulcedinis aut salcedinis aut austeritatis cibo sit admixtum: ignorantes interim quomodo temperari is debeat, vt corpori citra molestiam prosit. Itaque in iure quidem condiendo apud eos rarò peccatur: seipsos autẽ vitiosè condientes quotidie, multum negocij medicis exhibent. Non enim id ius putant optimũ, quod sit dulcissimum: sed & amara multa, acriáq; admiscent. in corpus verò multa voluptatem conciliantia ad fastidium vsq; iniiciunt: siue ignari siue obliti naturã salubribus & vtilibus voluptatem molestiæ expertem stabilémque addere. Itaq; cùm memoria tenere debemus quæ cognata & vtilia sint corporibus nostris, tum cõtrà in mutationibus tempestatum anni aliísque circumstantiis subinde victus rationem cõvenientem vsurpare. Iam quæ multi damna sibi ipsis ob sordes & illiberalitatem inferunt, ob fructuum collectiones & conseruationes pervigiládo, ac hinc inde curitãdo malè affectas corporis partes vitiúmque intus alentes in apertum cõiicientes morbum:

Ciborum noticia.

metuendum non est ne eveniant litteratis & in republica versantibus viris, de quibus suscepta est hæc nostra disputatio. sed alia his cauenda est nimis anxia minimorum etiam momentorum cura in litteris & disciplinis versantibus, quæ eos eò necessitatis adigit interdum, vt rationem corporis non habeant, neq; parcant succumbenti laboribus, sed cogant mortalem immortali, ac terrestrẽ æthereæ parti in elaborando æqualem præstare industriam. Cæterùm vt camelo vsuvenit, quod ei bos prædixerat, cùm eidem seruirent domino, & parte oneris leuare ipsum camelus recusasset, Fore vt paulo pòst & ipsum, & totum onus cogeretur gestare: (mortuo enim boue id impletum est) ita animo quoque cõtingit, vt dum defatigato corpori & quietem flagitanti nullam remissionem concedere vult, paulo pòst febri orta aut vertigine, libris & disputationibus omissis cogatur vnà ægrotare ac dolere. Rectè itaq; Plato consulit, neque corpus esse absque animo, neque sine corpore animum mouendum: sed quãdam esse velut iunctorum ad bigas equorum debere mo mentorum æquabilitatem. vt quo maximè tempore corpus animi conatus laboréque adiuuat, eo id maximè etiam curemus atque foueamus, pulcrámq; ei illam & amabilem sanitatem præstemus: idque nobis summum ab eo bonum, omnium quæ potest, exhiberi existemus, cùm in cognitione virtutis vsúque in dicendo & agendo nullum nobis obiicit impedimentum.

Parcendũ corpori.

Coniu-

Coniugalia præcepta.

PLVTARCHVS POLLIANO & Eurydicæ S. P. D.

POst patriam legem, quam vobis in cõiugialem thalamum conclusis antistita Cereris imposuit, arbitror etiam orationem nostram vtile aliquid legíq; consonum facturam, si vos vnà compellet, hymenæúmque concelebret. De musicis modis vnus Hippothorus appellatus fuit quòd scilicet eo equi ad coitum excitarentur. Sed cùm multę sint in philosophia pulcræ disputationes, nulli eorum postponenda videtur esse nuptialis oratio, quæ ad vitæ societatem coniungentes sese demulcens, placidos mutuò sibi cicuréque reddit. Itaque eorum, quæ vos in philosophia educati sæpe audiuistis, capita similitudinibus quibusdam breuibus complexus, vt eo faciliùs memoria teneri possent, commune ambobus donum mitto, Musas comprecans, vt adesse Veneri, eíque operam suam dare dignentur: non enim tam lyrę aut citharæ quàm coniugij & rei familiaris concentum ab iis instrui oratione, cõcinnitate, & philosophia convenit. quando etiam prisci Mercurium iuxta Venerem collocabant, vt ostenderent matrimonij voluptatem maximè orationis indigere: itémque Suadam & Gratias, vt docerent coniuges invicem quę vellẽt impetrare debere persuadendo, non pugnando, aut rixando. Solon iubebat sponsam cum sponso concubituram priùs mandducare malum Cydonium: innuens ea re, primam quæ ore & voce mitur gratiam concinnam debere esse & suauem. In Bœotia sponsam velantes aspharagonia coronãt. Hæc enim planta dulcissimum ex asperrima spina fructum edit: & sponsa non fugienti aut aspernanti quod primò insuauem se & diffici-

Prima consuetudo.

lem ipsa præbet, mansuetam ac dulcem vitæ sociam se præbet. Qui verò primas virginum dissensiones non sustinent, nihilo saniores iis sunt qui immaturę offensi vuæ sapore, maturas aliis relinquunt. Multæ etiam recès nuptæ à maritis ob primas actiones abalienatæ animis, eadem sunt conditione qua qui ictum apis pertulerunt dimisso fauo. Sunt autem inito matrimonio præsertim principiò cauendæ dissensiones & offensæ: considerandúmq; est vasa quæ ex partibus compinguntur, initio facilè quavis allisione divelli: vbi verò temporis progressu compages firmata est, solidéque coaluerunt, vix igni & ferro dissolui. Sicvt ignis in paleis aut pilis leporum facilimè exardescit, mox autem extinguitur, nisi materiam quæ ei sustinendo & nutriendo sit apta inveniat: ita amor recens coniunctorum à forma corporis incensus, durabilis & stabilis non est putandus, nisi in ipsis animis defixus mentémque occupans viuam nanciscatur affectionem. Quemadmodum pisces medicamentis celeriter capiuntur, sed esui inutiles fiunt: sic mulieres quæ amoris poculis & veneficiis viros captant, voluptatéque in suam potestatem redigũt, stupidos eos, væcordes, corruptósque deinceps vitæ socios habent. nam Circæ quidem nihil profuerunt ij quos veneficio mutauerat, neq; vllam ad rem eis vsa est cum in canes & asinos degenerassent: Vlissem autem prudentem virũ, prudentérque secum versantem supra modum dilexit. Quæ verò malũt fatuis imperare viris, quàm obtemperare prudentibus: eorum sunt similes, qui in via cæcos ducere malunt, quàm videntes & itineris peritos sequi. Non credunt mulieres Pasiphaen cùm regis esset vxor, bouem adamasse: cùm tamen videat quasdam, quæ austeros & temperantes non ferunt, intemperantibus & libidinosis, velvti canibus quibusdam aut hircis, libentiùs cõsuescere. Qui ob imbecillitatem aut molliciem non possunt insilire in equos,

Amor verus.

quos,illos condocefaciunt vt se submittant ac inge niculent.eodem modo quidam ducendis nobilibus vel opulentis vxoribus,non sese meliores redigunt, sed illas deprimunt, vt humilibus faciliùs imperare posſint.cum oportuerit ratione habita vt magnitudinis in equo, ita dignitatis in muliere, fræno vti. Lunam videmus cum longe à Sole distat illustrem esse ac lucidam, obscurari autem cùm ei appropinquat.cótrà pudica mulier maximè cerni debet cum suo marito,eo autem absente domi se continere & abscondi.Non rectè est ab Herodoto dictum, simul cum tunica mulierem verecundiam exuere. quæ enim casta est,posita veste verecundiam eius loco induit,maximáque verecundia coniuges tessera maximi invicem amoris vtuntur. Sicvt cum sumuntur duæ consonæ voces,cantus grauiori adscribitur:ita in familia rectè instituta omnes res geruntur quidem consensu coniugum, viri tamen vel imperium vel consilium elucet.Sol Aquilonem vicisse aliquando traditur. cùm enim ventus adimere homini pallium vellet copioso flatu, arctiùs hic id cótraxit atque tenuit. Sole autem post ventum calidis radiis eum vrente, præ æstu simul cum pallio tunicam exuit.Hoc modo plurimæ agunt mulieres.maritis vi luxum eripere conantibus repugnant & irascuntur: placidis verbis suadentibus missum eum faciũt,mediocritatémque seruant. Cato senatu mouit eum qui præsente filia osculatus erat vxorem. seueriùs fortasis æquo.Sed tamen si est(vt profectò est)turpe coniuges in præsentia aliorum blandiri, oscylari,& amplecti sese invicem: quî non sit turpius coram aliis rixari & cóvicia mutua iácere? & cum quæ ad amorem pertinent agantur in occulto, quî conveniens sit maritum in castiganda,reprehendendáve coniuge libertate vti aperta & omnibus conspicua? Sicvt speculum auro & gemmis ornatum nihil valet, nisi similem exhibeat rebus imaginem:

Imparum coniugium.

Verecũdia.

Viri imperium.

Vxor maritisimilis.

sic diuitis mulieris nullus est vsus, vitam viro simi-
lem, moresque consonos non gerentis. Vitiosum est
speculum & prauum, quod læti imaginem tristem,
tristis ac tetrici lætam atque renidentem præbet. ita
& vxor inutilis ac intempestiua est, quæ lusum que-
rente oblectationémque viro toruum tuetur, serias
res agente ludit ac ridet: quorum alterum insuauis
est, alterum contemnentis maritum. Sed quemad-
modum geometræ dicunt lineas & superficies non
seipsis moueri, sed motus corporum comitari: ita
vxor debet non proprias habere affectiones, sed ma
riti seria, ioca, austeritatem vultus, risúmque subse-
qui. Qui vxores secum edere ac bibere molestè fe-
runt, condocefaciunt eas vt solæ sese impleant: sic
qui non hilarè cum vxoribus suis viuunt, iocisq; &
risui socias non adhibent, docèt eas seorsim sibi vo-
luptates quærere. Persarum regibus in cœna ac con
uiuiis adsident reginæ: verùm vbi ludendi & ine-
briandi incessit voluntas, eas amandant, & musicas
pellicésque aduocant. rectè hoc quidé, quod ebrie-
tatis & libidinis suæ participes fieri vxores nolunt.
Ergo siquis priuatus libidinis incontinens & malè
moratus aliquid scorto aut ancilla abvsus deliquerit, non indignari vxor aut iniquè ferre debet: sed
existimare maritum veritum sua libidine & temulē-
tia ipsi esse iniuriosum aliò diuertisse. Reges si musi-
cam ament, multos efficiunt musicos: si litteras, lit-
teratos: si athletas, exercitationibus corporis dedi-
tos. ita vir si corporis cultui studet, vxorem ornan-
di corporis studiosam reddit, si voluptatibus indul-
get, libidinosam & meretriciá, si honestatem & pul-
cras res sectatur, temperantem ac modestam. Iuuen
cula quædam Spartana interrogata an iam cum vi-
ro rem habuisset, Non, inquit, sed vir mecum. hic
modus, ni fallor, matronam decet, vt neque fugiat
neque morosam se præbeat viro aliquid tale inceptante, neq; ipsa initium faciat: hoc enim meretri-

cium

cium est & proteruum, illud superbum & ab amore alienum. Mulier amicos peculiares habere non debet, sed viri amicis vti. Ergo cùm ex amicis primum potissimúmque locum dij sibi vindicent, eosdem quos maritus nosse deos & colere solos vxor debet, supervacaneis autem religionibus & alienis superstitionibus fores occludere. nulli enim deûm grata sunt sacra, quæ mulier clanculum & furtim facit. Ait Plato felicem beatámque eam esse vrbem, in qua hæ voces, Meum, non meum, rarissimè audiuntur: quòd ibi ciues rebus, quæ alicuius sunt momenti, quàm maximè vtantur communibus. E coniugio multo magis tolli istæ voces debent. Etenim sicvt medici aiunt ictus sinistrorum in dextris partibus sentiri: ita affici iis quæ viro eveniunt mulierem par est, atq; adeò vicissim. vt sicvti vincula alternis nexibus robur mutuò accipiunt, ita communitas coniugum reciprocam benevolentiam vtrinq; vsurpantium constet. Ipsa enim natura miscendis corporibus nostris vtrinq; partem sumit eásque confundit, vt amborũ commune sit quod producitur, neutríq; liceat quid suum, quid alienum sit discernere. Proinde talis opum communitas maximè coniugium decet, vt in vnam omnia congerant commisceántque substantiam, neque pars habitus alia propria, alia aliena habeatur, sed omnia propria ducantur, nihil alienum. Sicvt vinum aqua temperatũ, tametsi aquæ adsit plus, vinum tamẽ vocamus. ita rem familiarem æquum est viri appellari, quanvis maiorem partem attulerit mulier. Inhiabat opibus Helena, voluptatibus erat addictus Paris. contrà Vlisses prudens, pudica Penelope. itaque horum coniugium fuit beatũ & dignum æmulatione: illorum coniunctio Iliadem malorum Græcis barbarísque intulit. Romanus ille amicis castigátibus, quòd pudicæ, diuiti, formosæq; vxori nuncium remisisset: pede porrecto, Hic quoque, inquit, calceus pulcer adspectu est ac nouus,

Communitas rerũ in coniugio.

Lib. 5. de repub.

Aemilij Pauli est.

Mulier omnia in se repoſita debet habere.

ſed nemo ſcit vbi me premat. Ergo non doti, non natalibus, non pulcritudini fidere debet matrona, ſed iis rebus freta eſſe, quibus maximè maritum tangit: conſuetudine inquam, morum comitate, & obſequio: vt ea in ſingulos dies non dura, neque moleſta, ſed concinna & grata iucundáque præſtet. Quo enim pacto medici febres ex occultis cauſis paulatímque collectis ortas periculoſiores iudicant iis quæ illuſtribus & manifeſtis de cauſis exſiſtunt: eodem quæ pleroſque fallunt exiles, continétes quotidianæque offenſæ coniugum grauiùs divellúnt lædúntque convictum. Rex Philippus deperibat Theſſalicam quandam mulierem, quæ veneficio eum circumveniſſe dicebatur. operam dedit Olympias, vt eam in ſuam redigeret poteſtatem. cùm in conſpectum ea reginæ veniſſet, neque forma tantùm videretur egregia, ſed & collocuta eſſet neque abiectè neque imprudenter: Faceſſant, inquit Olympias, calumniæ. tibi tua in teipſa ſunt repoſita venefícia. itidem eam benevolentiam mariti nulla res poteſt abolere quam vxor moribus & virtute ſibi parauerit, dotem, genus, medicamenta, ipſúmque adeo Veneris ceſtum in ſeſe ipſa collocans. Rurſum Olympias cùm aulicus quidam adoleſcens formoſam, ſed malè audientem duxiſſet vxorem: Hic, inquit, ſi ratione eſſet præditus, nunquam profectò oculis matrimonium coiuiſſet. Enimverò non oculis, non digitis iſta res agenda eſt: quod faciunt nõnulli, dotem ſupputantes ſponſæ, non explorantes qualis in convictu ſit futura. Socratis eſt præceptum, adoleſcentes, ſi in ſpeculum intueantur, turpes formæ vitium debere morum virtute corrigere, formoſos adhibere diligentiam, ne pulcritudinem prauitate morum contaminent. Sic matrona etiam in manibus ſpeculum vbi erit, ſic ſecum loquatur, deformis ſi eſt, Quid eſſem, ſi deforet pudicicia? ſin elegante forma, Quanti fiam ſi accedat

Speculi vſus.

dat pudicicia? maius enim decus adfert deformi amor moribus conciliatus probis, quàm si ob pulcritudinem diligeretur. Lysander cùm Siciliæ tyrannus filiabus eius vestes cincinnósque precioſos mitteret, dona ista repudiauit: quòd diceret hoc ornatu filias suas dedecoratum potiùs quàm ornatum iri. Sed prior Lysandro id docuit his versibus Sophocles: *Ornatus.*

Non hæc ornatus, sed deformitas, tuæ
Mentis (miser) putabuntur q; insania.

ornatus enim, vt dicebat Crates, est id quod ornat. præstant autem hoc ea, quæ decentiorem faciunt mulierem. non autem id aurum potest, aut smaragdus, aut coccina tinctura, sed quæ grauitate, modestia, ac verecundia informant. Qui Iunoni nuptiali seu pronubæ sacrificant, ij fel non cum reliqua conficiunt victima, sed exemtum apud altare abiiciunt. quo instituto legis autor obscurè significauit, coniugio nunquam debere bilem irámque interesse. nam matrisfamiliâs austeritatem esse oportet, vt & vini, vtilem suauitatéque conditam: non aloes in morem acerbam, & quæ medicamenti instar ingrata sit. Xenocratem Plato, virum bonum & honestum alioqui, sed moribus aliquanto seuerioribus, hortatus est vt Gratiis sacrificaret. existimo autem pudicæ mulieri apprimè apud virum gratiis opus esse, vt, quod aiebat Metrodorus, suauiter cum eo vitam degat, neque pudicicia sua stomachum ei moueat. nam neque mundicies frugali, neque blandiciæ ei quæ maritum diligit, negligendæ sunt: cùm morositas insuauem reddat modestiam, itémque sordes simplicitatem. Quæ arridere viro metuit, aut aliquid aliud id genus facere, ne videatur proterua & audax, nihil ab ea distat, quæ vt nō videatur vnguento caput habere delibutum, etiā oleo abstineat, & ne fucare faciē putetur, *Ira.* *Venustas.*

ne lauet quidem eam. Videmus verò poetas atque oratores, qui genus loquendi plebeium, illiberale, ac malè affectatum vitant, rebus ipsis & earũ dispositione ac sententiis artificiosa industria comparatis delectare ac mouere auditores. ita sanè matrona etiam rectè faciet, si omnia supervacanea, meretricia, & ad pompam pertinentia fugiat atque repudiet: in eóque operam ponat, vt moralibus & ad vsum vitæ pertinentibus officiis maritum demereatur, pulcritudinique vitæ cum voluptate coniunctę eum adsuefaciat. Si qua tamen natura est austera, nihílque iucundi admixtum habet ingenio, neque vsu vitæ suauior reddi potest: æquo animo id ferre maritum decet. & sicvt Phocion Antipatro respondit, parum honestam à se rem petenti, Non potes me & amico vti & adulatore: ita iudicare de pudica & austera matrona, Non posse cum eadem se & vt vxore & vt scorto viuere. Aegyptię mulieres maiorum instituto calceis non vtebantur, vt domi meminissent tempus exigendum. hodie domi mansuræ sint pleræque, si aureos calceos, & armillas, & periscelides, & purpuram atque vniones auferas. Theano tunica se amiciens cubitum exeruit. & dicenti cuidam, Pulcer hic cubitus est, respondit: Atqui non est publicus. cæterùm pudicæ non cubitus solùm, sed & sermo publicus esse non debet, vocéque ad alienos, tãquam parum conveniente denudatione, abstinendum ei est. in voce enim insunt indicia omnis generis animi affectionum. Eleorum Venerem Phidias fecit, quæ testudinem calcaret: quo signo mulieres domi sibi degendum esse, seruandúmque silentium monerentur. nam aut viro, aut per virum mulieri loquendum est, neque indignè ferendum, si vt tibicen aliena lingua vocem edit propria grauiorem. Diuites & reges cum philosophos in honore habent, & se & eos ornant. philosophi diuites si demerentur, non gloriam illis addunt, sed sibi ipsis auferunt. Simili

Ornatus.

Silentium.

mili ratione mulieres laudem merentur, cùm se maritis submittunt: imperium affectantes, plura contra decorum agunt, quàm ipsi viri qui dominium hoc sustinent. Imperare autẽ maritus mulieri debet, non vt dominus rei quam possidet, sed vt animus corpori, iisdem affectibus obnoxius, & benevolẽtia devinctus: vt autem animi est curam corporis gerere, non tamen voluptatibus eius inseruire ac cupiditatibus: ita lætum esse debet & officiosum mariti imperium. Corporum philosophi alia aiunt ex partibus deiunctis constare, vt classem, exercitum, alia ex compactis, vt domum, vt nauim, alia ex vnitis & in vnam naturam concretis, vt animalium. id si huc accommodare libeat, coniugium quoque mutuò amantium, ex vnitis constat: dotis liberúmve gratia cohærens, ex compactis: concubitu solo iũctorum, ex deiunctis, quales contubernio vti quàm vitæ cõmunitate rectiùs cẽseas. Sicvt autem humores physici dicunt totos totis permisceri, ita oportet matrimonium contrahentium, corpora, opes, amicos, familiarésque invicem confundi. Etenim Romanus legislator lege cauit, ne coniugum alter alteri donaret quicquam: non vt nullius rei participes fierent, sed vt omnia communia iudicarent. Lepti, quæ Afrícæ vrbs est, moris est patrij, vt postridie nuptiarum sponsa ad socrum mittat petitum ollam. illa verò negat, neque se habere ait: vt nouercalem socrus animum initio statim sponsa experta, si quid postmodò contingat asperius, non ferat iniquiore animo. Hoc nosse conuenit mulierem, & obviam ire offensarum occasioni. petitur autem hæc ex æmulatione benevolentiæ, cui mederi hac vna ratione potest, si peculiarem sibi mariti cõciliet benevolentiam, eam qua is matrem prosequitur non avertat aut deminuat. Filios matres magis amare videntur, quod ab his se adiuuari posse putant: filias patres, vt suo præsidio indigentes. & qui se mutuò honore afficiunt,

Communitas.

Socrus.

operam dant vt quod alteri maximè familiare est,id alter gratum habere, eóq; apprimè se delectari præ se ferat. Verùm id fortasse aliquid diuersitatis habet.Illud scitum est,si mulier mariti parentibus conspiciatur plus honoris tribuere quàm suis,& si quid moleſtum accedit,suos id celans ad viri deferat parentes.fidem enim nobis paramus apud eos,quibus nos confidere ostendimus,& amorē apud eos,quos diligere credimur. Cyri militibus duces mandauerunt,vt hostes cum vociferatione irruētes taciti exciperent, tacentibus autem eis ipsi sublato clamore occurrerent.Prudentes itidem matronæ viris ex ira vociferantibus tacent, silentes alloquio demitigāt. Rectè Euripides incusat eos qui lyra vterentur ad vini potum.erat enim musica ad sedādas iras luctúsque potiùs vocanda, quàm ad eneruandum eos qui iam antè erant in voluptate.Vos quoque existimate perperam cōiuges facere,qui voluptatis percipiendæ gratia concumbunt,cùm verò aliquid iræ & dissidij obortum est,secubant: neque tum potissimùm Venerem advocant,quæ his malis optimè solet mederi. quod & Homerus alicvbi docet, Veneri hunc sermonem tribuens:

Medea: verba nutricis.

Irarum remedium.

Iliad ξ.205

Dissidiis quorum longis imponere finem,
Et thalami insueto iamdudum iungere nexu
Constitui. —

Semper quidem & vbique locorum cauendæ sunt cōiugibus offensiones mutuæ, maximè autem ne in concubitu incidant opera danda.Quædam cum vrgeretur doloribus partus instantis, reclinantibus ipsam in lectum dixit:Et quî possit mederi lectus his malis,in quæ in lecto incidi?sed quæ in lecto nascuntur dissensiones, iurgia,iræ, difficulter possunt alio loco & tempore aboleri.Hermiones videtur verum esse hoc verbum:

Eurip. Andromacha.

Me perdiderunt ad me uentitando mulieres malæ.

verùm

verùm id non simpliciter fit, sed cùm discordiæ & obtrectationes adversus maritos talibus mulieribus non fores duntaxat, sed aures etiam patefaciũt. Itaque tunc maximè quæ sapit aures occludet susurris istis, ne ignis igni addatur. habebítq; in prom tu Philippi illud, qui fertur amicis in Græcos eum concitantibus, quòd beneficiis ab ipso affectos maledicere ei dicerent, respondisse: quid ergo agent, si malè ipsis fecero? & cùm mulierculæ calumniatrices dicent, Amantem sui te & pudicam vir iniquè tractat: Quid ergo, dicet, fiet si odisse eum & iniuriis afficere inciperem? Fugitiuum quidam seruum aliquanto pòst tempore cum vidisset, & insequeretur, ísque in pistrinum profugisset, Non erat, inquit, locus vbi te mallem invenire, quàm hîc. Ita mulier quoque discidij libellum meditás ob obtrectationem: séque afflictans, ita secum dicat: quid verò riualis mea maiore cum voluptate cernat, quàm sic me excruciari, & cum viro disidere, domúmque eius & thalamum deserere? Athenienses tres arationes sacras obeunt. vnam in Sciro, antiquissimæ segetis monimentum: secundam in Raria, tertiam sub ipsa vrbe, quam à iugo boum Buzigium nuncupant. His omnibus sanctior est aratio atq; satio procreandorum liberûm. & Venerem Sophocles præclarè vocauit fertilem Cytheream. itaq; huic maximè cum cautione est danda opera viro & mulieri, abstinendúmque incestis & contra leges pugnantibus consuetudinibus, neque seminandum vnde nihil nasci velint, aut si quis existat fructus, eius pudeat & occultetur. Gorgia oratore Olympiæ orationem recitante, qua concordiam Græcis suadebat, Melanthius: Hic, inquit, nobis de concordia consiliũ dat, qui sibi ipsi, vxori, & ancillæ, tribus duntaxat priuatim hominibus, concordiam non persuasit. videbatur enim amare ancillam Gorgias, & ancillæ ea de causa obtrectare vxor. Ergo probè concinnatam

Susurri cauendi.

Liberûm procreatio.

habeat familiam oportet, qui concionem aut amicos concinnare conatur. faciliùs enim mulierũ peccata vulgus fallant, quàm quæ ipsi adversus eas delinquimus. Felem aiunt vnguentorum odore ad insaniam redigi. eodem modo si vnguentis mulieres afficerentur, flagitium vtique esset non abstinere vnguentis viros, sed exiguæ voluptatis causa tantam pati illis evenire miseriam. Quando igitur mulieres ad insaniam adigit non vnguenti vsus, sed maritorum cum meretricibus coitus: profectò iniustum est, voluptatis gratia paruæ tantum doloris atque perturbationis vxori inferre: ac non potiùs purum intactúmque ab omnibus aliis mulieribus ad vxorem accedere: sicvt ad apes solemus, quas creditum est iritari & pugnare, si quis re cum muliere habita aggrediatur. Qui ad elephantos accedunt, splendido, qui ad tauros, puniceo vestitu non vtuntur, quòd his coloribus animalia ista in rabiem vertuntur. tigres traditum est tympanorum circùm pulsatorum sonitu omnino in furorem coniici ac divellere seipsas. Cùm itaq; viri quoque sint, quibus coccinæ & purpureę vestis cõspectus sit molestissimus, aut qui cymbala & tympana ægrè ferãt: quid habet difficultatis abstinere his mulieres, neque perturbare aut iritare maritum, sed placidè & constãter cum eo degere? Mulier quædam Philippo inuitam se trahenti Missam me fac, ait: sublata enim lucerna quævis mulier cuiusvis est similis. id rectè dictum est in adulteros & libidinosos. Matrona verò maximè extincta lucerna debet non cuiusvis mulieris similis esse: sed cùm corpus cerni nequit, elucere pudicicia eius, vnius viri studium, modestiáque & amor.

Verecũdia. Plato senes hortabatur, vt coram adolescentibus verecundè agerent, vt sic revereri senes illi discerent. vbi enim inverecundè se gerunt senes, ibi nullam censebat adolescentibus verecundiam ingenerari posse. Hoc memoria tenere maritus debet, neque

vllibi

vllibi magis quàm apud vxorem verecundiam adhibere, sentiens ei thalamum scholam esse aut modestiæ aut impudicitiæ. Qui autem ab iis voluptatibus vxorem avertit, quibus ipse fruitur, perinde agit ac qui iubeat mulierem contra hostes depugnare, quibus sese ipse dediderit. De ornatus verò studio, te quidem, Eurydice, legere, ac memoriæ mandare velim quæ ad Aristyllam scripsit Timoxenes. *Ornatus.* tu autem, Polliane, noli putare vxorem sibi à cultu supervacaneo & sumtuoso temperaturam, si in aliis rebus videat te sumtui indulgere, & gaudere auro inducendis poculis, ædibus pictura, mulis & equis phaleris ac tegminibus preciosis ornando. Non enim potest gynæceo luxuria sumptuosa eiici, quæ in medio obversatur virorum conclaui. Ac tu quidem ætate iam ad philosophiam matura, iis quę demonstrantur ac cum apparatu docentur mores exorna tuos, & eam ob rem cum iis, ex quibus vtilitatis capere potes aliquid, versare ac colloquere. apũ verò instar optima quæque vndique colligens, tecúmque domum ferens, mulieri tuæ imperti, colloquendóque amica ei & familiaria optima quæque dicta reddito.

Namq; es ei pater & frater, uenerandáq; mater: *Iliad. ζ. 429.*

vt illa apud Homerum de suo marito dicebat. ego autem sic iudico, non minùs facere ad dignitatem viri, si mulier eum suum præceptorem, philosophũ, magistrúmq; appellet, rerum quidem diuinissimarum ac pulcerrimarum. Huius enim modi disciplinæ id præcipuum habent, quod ab ineptis rebus studiisque animos mulierum abducunt. pudebit nimirum saltationis mulierem geometriæ gnaram, & magicis incantationibus se capi non patietur, Platonicis Xenophonteísque incantata disputationibus. Quod si qua erit, quæ se de cœlo Lunam detracturam polliceatur, stulticiam imperitiámque deridebit mulierũ, quæ ista sibi persuaderi passæ sint.

Litteræ mulieribus vtiles.

quippe non rudis astrologiæ, & quæ auditu percepe-
rit, quo pacto Aganice filia Hegetoris Thessali
perita pleniluniorum in quibus deficit lumine luna,
cùm præcepisset ratiocinatione quo tempore luna
in vmbram illapsura foret, imposuerit mulieribus,
persuaserítque se lunam cœlo detrahere. Equidem
nunquam auditũ est mulierem absq; viri consuetu-
dine prolem edidisse. informes autẽ fœtus ac carnis
moles quæ ex corruptis humoribus in vteris coëũt,
molas vocant. quod vitij cauendum est ne in animis
mulierum contrahatur: qui nisi semina honestæ do-
ctrinæ concipiant & instituantur virorũ opera, ipsi
ex sese opiniones absurdas, affectúsque prauos mul-
tos gignunt. Tu verò Eurydice in id maximè incũ-
be, vt sapientum præstantiúmq; hominum scitè di-
cta tibi reddas familiaria, sempérque in ore habeto
voces istas, quas virgo etiamnum è nobis percepi-
sti, vt & virum exhilares, & apud alias mulieres ob
ornatum ita multiplicem, ita decentem in admira-
tione sis, præsertim nulla partum impensa. Nam di-
uitis alicuius mulieris vniones, aut alicuius peregri
næ sericas vestes adipisci iisque te ornare non pos-
sis, nisi magna emas pecunia. sed Theanus ornamẽ-
ta, & Cleobulinæ, & Gorgus quæ Leonidæ fuit v-
xor, & Timoclææ quæ Theagenis soror, & Claudiæ
illius priscæ, & Cornelię Scipionis sororis, aliarúm-
que illustris famę mulierum gratis licet tibi sumere,
iisque te condecorare, vitámque viuere glorioſam
atque felicem. Si enim Sappho ob carminũ quæ pan
gebat elegantiam tam magnificè de seipsa sensit, vt
ad diuitem quandam sic scribere non dubitauerit:

Te simul lethum rapiet, iacebis,
Nec suo quisquam celebrabit ore:
Particeps non es quoniam rosarum
Pieriarum.

cur non altiores tibi liceat ducere spiritus, quæ non
rosa-

rosarum, sed fructuum compos facta sis, quos Musæ ferunt largiuntúrque iis, qui doctrinam & philosophiam magni faciunt.

PLVTARCHI
Septẽ sapientũ Conviuium.

DIOCLES.

MAgnas nimirum tenebras, Nicarche, ingentémq; obscuritatẽ rebus offundet tẽporis longinquitas, quãdo iam nunc falsis sermonibus compositis de rebus quarum recens adhuc memoria est, fides adhibetur. Nam neq; septem tantummodo illi, sicvti vobis narratũ fuit, conviuio interfuerunt, sed numerus hominũ duplo istius maior, quorum vnus ipse quoq; fui, ob artis vsum familiaris Periandro, & Thaletis (qui iussu Periandri apud me diverterat) hospes: & quicunque fuit qui sermones conviuarum retulit, (quem quidem satis apparet non fuisse in conviuio præsentem) malè rem is exposuit. Sed quoniam ocio abvndamus, neque senectus idonea cauere sponsione de differenda in aliud tempus narratione potest, ita vobis cupientibus rem totam ab initio enarrabo. Conviuium Periander apparauerat non in vrbe ipsa, sed in cœnaculo quod in Lechæo est iuxta templum Veneris, cui etiam sacrificabatur. Cùm enim ab eo tempore, quo ipsius mater ob amorem è vita sese subduxerat, Veneri rem sacram nunquam fecisset: tunc primùm quibusdam Melissæ adductus somniis eam sacrificio placare instituerat. Proinde vocatorum vnicuique bigæ præclarè exornatæ adducebantur. æstas enim tum erat, totámque vsque ad mare viam ob curruum hominúmque multitudinem puluis tumultúsque occupabãt.

Periander Veneri sacrificat.

Cæterùm Thales bigas apud ostium conspicatus, leni cum risu dimisit. Itaque ambulauimus via per agros diuersa tranquillitatem consectati, tertiúsq; vnà nobiscũ Neloxenus Naucratites, vir egregius, & cui in Aegypto cum Solone ac Thalete fuisset familiaritatis vsus. is tum denuò ad Biantem erat missus, neq; causas legationis suæ ipse norat, nisi quod in libello suspicabatur se ei alteram quæstionem sigillo munitam portare: mandatum enim erat, vt si Bias abnueret, sapientissimis Græcorum aperiret. Ac mihi quidem, aiebat Niloxenus, codicilli hi (simúlque libellum nobis ostẽdebat) insperatum hoc lucrum opportunè obiiciunt, vt hoc in loco vniuersos vos inveniam. defero enim, vt vides, ad cœnam. Ibi tum Thales ridens, Si quid, inquit, mali est, Prienam referas. soluet enim Bias, sicvt & priorem soluit ipse quæstionem. Quid, inquam, id erat quæstionis? Victimam, ait Thales, miserat ad eum Amasis Aegypti rex, iubens exemtam ex ea optimam ac pessimam carnem sibi mittere. at noster præclarè, linguam exsectam ad regem perferri curauit. quæ ei res magnam gloriam admirationémq; peperit. Non hoc duntaxat, inquit Niloxenus: sed & id, quod regum quoq; amicicias non refugit, quemadmodum tu facis. Nam cùm te quoque ob alia quædam suspicit, tum verò mirum in modum ei arridet quòd Pyramidis altitudinem absque vllo labore aut instrumento dimensus es: sed scipione ad vmbræ, quam iaciebat pyramis, finem erecto, ac tactu radiorum duobus triangulis constitutis, demonstrauisti altitudinem pyramidis ad scipionis altitudinẽ ea esse proportione, quã vmbra illius ad huius vmbram haberet. Sed, cuius rei mentionem feci, ob odium in reges malè audis apud Amasin, súntque ad eum relata tua quædam contumeliosè in tyrannos dicta: qui interrogatus à Molpagora Ione quidnam vidisses insolens, Tyrannum responderis senẽ: rursúmq;

Bias de linguã.

Pyramidis mensura. Vide Eucli. 6, 4.

Tyrannus.

rursúmque alicvbi de bestiis orta disputatione, pronunciaueris pessimam ferarum esse tyrannum, de cicuribus adulatorem. hæc enim reges tametsi nihil minùs videri quàm tyrâni volunt, auribus nequaquam æquis audiunt. Ad hæc Thales: Isthuc quidem, ait, Pittaci est, ioco aliquando ad Myrsilũ dictum. Ego verò non tyrannum, sed gubernatorẽ nauis si videam senem, pro miraculo sim habiturus. quòd autem ab hoc ad illum trâsfertur hoc dictum, ego id de mutatione hac sentio, quod adolescens ille, qui cùm canem saxo petens nouercam ferisset, ne sic quidem malè cecidisse dixit. Itaq; ergo & sapientissimũ iudicaui esse Solonẽ, qui oblatam tyrânidem recusauerit: & Pittacus si solus dominari nõ fuisset aggressus, nunquã dicturus erat, Difficile est esse probum. Ac Periander mihi videtur tyrannide tanquam paterno morbo circunventus non malè emergere sese, salutaribus adhuc vtens consuetudinibus ac colloquiis hominum prudentum, iisq; obsequens: neque admittens Thrasybuli ciuis mei consilium, qui eum ad oppressionem summorũ hominum hortatur. Nihil enim discriminis est inter colonum qui loco tritici & hordei locustas cõportare velit & aues, atq; tyrannum qui mãcipiis quàm viris malit præesse. Quippe multa mala dominationis vnico hoc compensantur bono, honore videlicet & gloria, siquidem bonis aliquis tanquam melior, & magnis vt maior imperet. qui autem securitatem decoro neglecto quærunt, digni sunt qui nõ hominibus, sed ouibus equis, bobúsq; multis præsint. Verùm enimverò hospes iste in sermones nos coniecit nihil ad rem facientes, dum non curat dicere atque inquirere de iis, quæ congruunt ad cœnam euntibus. nisi fortè non putas sicvt præbitoris, ita etiam inuitati suum esse apparatum. Sybaritæ feruntur toto antè anno mulieres inuitare soliti, vt eis liceret per ocium vestibus auróque ornatis ad

Quomodo ad conuiuium sit accedendum.

cœnam venire. Ego autem plus temporis requirere puto probè cœnaturi legitimam præparationem. quia difficilius est mores decorè componere, quàm corporis curiosum invtilémque ornatum conquirere. Qui enim sapit, is non sese tanquã vas implendum ad cœnam apportans venit: sed vt serio iocóq; aliquid acturus, auditurúsq; & dicturus, provt occasio conviuarum quemque monebit, siquidem velint suauiter vnà esse. Licet sanè obsonium vitiosum aversari, & si vinum non probetur, ad nymphas confugere. at conviua qui caput obtundat, importunus, atq; intractabilis, omnem cùm vini & cibi, tum musicæ gratiam corrumpit atq; perdit. conceptámque molestiam deponere non est facile, cùm nonnullis per omnem vitam inhæreant mutuæ offensæ, velvt crapulæ quidam sensus pridianæ, ortæ ex contumelia inter pocula aut ira. Itaque Chilo rectissimè, qui cum heri vocaretur, non antè cõdixit, quàm eorum qui invitarentur eódem nomina singulatim cognouisset. dicebat enim quibus cum necesse esset vnà nauigare aut militare, eorum etiam molesto comitatu ac contubernio vtendum esse. vltrò autem qualibuscunque admiscere se conviuis, non esse sani hominis. Aegyptij in conviuia inferre solent sceletum, id est exsiccata hominis, atque inter se compacta ossa, hortaríq; conviuas vt meminerint se non ita multo pòst tales fore. is quanquam ingratus & intempestiuus comesator, tamẽ suum habet locum, non ad potum & voluptates, sed ad mutuum amorem dilectionémque cohortans, monénsque vitam breue tempus sortitam non debere malis rebus longam reddi. Inter hos sermones ad cœnaculum pervenimus. Ibi Thales lauare recusauit, quòd vnctum se esse diceret. obiens tamen cursus spatia, & palæstras spectauit, & lucum ad mare probè exornatum: non quòd eorum quicquam admiraretur, sed ne cõtemnere Periandrum, eiúsve despicere videretur magni-

Sceletus Aegyptiorum.

magnificentiæ ſtudium. Cæteros, vt quiſque vnctus lotúſve erat, famuli per porticum in conclaue viris deſtinatum introducebant. Ea tum in porticu Anacharſis ſedebat, & ante eum puella ſtabat cæſariem eius manibus pectens. Hanc Thales ad ſe perquam liberaliter adcurrentem oſculatus, atque ridens: Fac ait hoſpitem nobis pulcrum, ne terribilis adſpectu nobis, ferúſque videatur, cum ſit manſuetiſsimus. Mihi autem quærenti qúænam hæc eſſet puella: Sapientem, inquit, & famoſam non noſti Eumetidem? ſic enim eam pater, vulgo de patris nomine Cleobulinam appellant. Tum Niloxenus: Nimirum, inquit, eam ob ænigmatum peritiam ac ſapientiam laudas. nam & in Aegyptum quædam ab ea propoſitæ quæſtiones pervenerunt. Non ſanè, reſpondit Thales. his enim illa tanquam taxillis vbi ita res fert vtitur, & concertat cum compellantibus. Sed & animi altitudo ineſt ei mirabilis, & ingenium ciuile atque humanum, ac facit vt pater ciuibus humanius popularitérque imperet. Omnino, inquit Niloxenus, ita videtur. idque apparet intuenti tenuitatem in amictu eius atque ſimplicitatem. ſed quid cauſæ eſt, quod Anacharſin ita amãter curat? Quia reſpondit Thales, vir is eſt temperans, multarúmque rerum gnarus, rationémque victus & purgandi, qua in ægrotis curandis Scythæ vtuntur, prolixé ei libentérque tradidit. atque adeò nunc etiam diſcere eam aliquid atque diſputare puto, dum virum tractat iſtum atque mulcet. Cùm iam cœnaculo appropinquaremus, occurrit nobis Alexidemus Mileſius, Thraſybuli tyrãni filius ſpurius, inde perturbato animo egreſſus, iratúſque ſecum quædam, quæ nos percipere nequiuimus, muſitãs. Is vbi Thaletem conſpexit, paululum ſeſe colligés, atque ad ſe reverſus: Atroci, inquit, iniuria nos Periãder affecit, nõ paſſus me ſoluere nauim, cùm quidem id cuperem, ſed vt ad cœnam manerẽ exorans:

Eumetis, ſiue Cleobulina.

& nunc venienti cœnatum ſedem adſignans indigniſsimam, Aeolibus, & inſulanis, ac quibuſvis tandem hominibus Thraſibulo prælatis. ſatis enim evidens eſt, deſpici ab eo patrem qui me miſit, meámque in eum redvndare contumeliam. Itáne verò, ait Thales, metuis, ne quemadmodum Aegyptij ſtellas aiunt viribus pro loci in quem attolluntur aut devehuntur conditione augeri minuíve, ita tibi quoque locus claritatem obſcuritatémve adferat. & Lacone illo deterior es, qui cùm ei in choro quodam vltimum locum præfectus adſignaſſet, Bene, inquit, abs te factum eſt, qui rationem huius quoque loci cohoneſtandi repereris. non enim curandum eſt quo loco aut poſt quos collocemur: ſed vt quibus adſidemus, cum iis bene nobis conveniat, ſtatímq; in nobis ipſis principium ansámque amicitiæ ineſſe oſtendamus, dum non ſuccenſemus locanti, ſed laudamus quod talibus nos adiunxerit. Etenim qui loci cauſa iraſcitur, is magis ei iuxta quem poſitus eſt, quàm collocanti ſuccenſet, & vtrique infenſus fit. Verba hæc ſunt, inquit Alexidemus, ac obſeruaui vos quoque ſapientes honorem ſectari. ſimúlque præteritis nobis diſceſsit. Nobis autem inſolentiã hominis mirantibus, Thales: Ingenio eſt, ait, ſtupido ac monſtroſo. qui etiamnum adoleſcentulus, cùm allatum Thraſibulo eſſet vnguentum præclarum, id in magnam crateram infudit, meróque affuſo ebibit, inimicicia amoris loco perpetrata. Secundum hæc famulus accedens: Iubet, inquit, Periander te vnà cum Thalete venire viſum quid rei ſit quod modò eſt ad eum allatum, temeréne ſit natum, an monſtrum ſit atque prodigium. ipſe enim valdè videtur perturbatus, contaminari ac pollui eo ſacrificium cenſens. hęc locutus, in domum quãdam nos deduxit, vnam ex his quæ circa hortum erant. Ibi adoleſcẽs quidam paſtoralis, vt videbatur, imberbis adhuc, forma non contemnenda alioqui, expli-

Locus.

explicato scorteo sacculo, monstrauit nobis infantem equæ, vt aiebat, partu editum, supernè ad ceruices vsque & manus humana forma, reliquas partes equinas habentem, cæterùm in morem hominũ recèns natorum vagientem. Ac Niloxenus quidem, Dij auerruncent vociferatus, oculos avertit. Thales autem aliquandiu in adolescentem intuitus, deinde subridens, vt solebat identidem de arte mecũ iocari: Núnnam (inquit) Diocles Iustrationem aliquam molieris, negociúmque diis malorum profligatoribus facesses, re terribili scilicet atque magna oblata? Quid ni, inquam ego? certè enim, Thales, portenditur seditio ac disidium, metuóque ne malum in ipsum penetret matrimonium ac posteros, cùm dea priore nondum expiata, alteram hanc, vt cernis, iræ significationem edat. Ad hæc nihil respondens Thales, sed ridens discessit. ac Periandro apud fores obviam facto nobis, scitatóque quid videretur de spectaculo isto, omisso me, manum eius prehendit, & Quæ, inquit, Diocles mandabit, ea tu per ocium perages. Ego autem tibi cõsulo, vt equarum pastoribus non vtaris, aut eis des mulieres. Visus est mihi Pariander his verbis auditis maiorem in modum delectari. nam & risum tollebat, & Thaletem amplexus osculabatur. Tum ille: existimo, inquit, ô Diocles, iam eveniisse quod signo isto portendebatur. vides enim quantum damnum ceperimus, Alexidemo nobiscum cœnare nolente. Postquam intrò pervenimus, maiore iam voce Thales, Et vbi tandem, ait, homo ille indignè tulit se collocari? locóque commonstrato, ibi cùm ipse accubuit, tum nos vnà accumbere iussit, inquiens vel pecunia fuisse se redemturum vt eadem cum Ardalo mensa posset vti. Erat autem Ardalus Trœzenius, tibicẽ ac sacerdos Ardalidum Musarum, quas priscus Ardalus Trœzenius dedicauerat. Ibi Aesopus, qui nuper à Crœso ad Periandrum, ac præ-

Monstrosus fœtus.

terea Delphos ad oraculum missus, humili sella iuxta Solonem supernè accumbentem adsidebat, Mulus, inquit, Lydus suam in flumine contemplatus imaginem, pulcritudinémque & magnitudinem corporis sui admiratus, ferocire & equi in morem procurrere intendit. mox autem recordatus asini se filium esse, inhibuit cursum, ferociámque & spiritus repressit. Ad hæc Chilo Laconica voce, Tu quoq;, ait, tardus es, & muli cursum imitaris. Secundum hæc Melissa accessit, & iuxta Periandrum accubuit. Eumetis autem inter cœnádum sedit. Cæterùm me Thales, qui supra Biantem accumbebam, ita compellauit. Cur non significasti, Diocles, Bianti, Naucratitam hospitem iterum ad eum venire cum quæstionibus à rege propositis, vt sobrius & cautus eas percipiat. Ille verò, inquit Bias, iampridem me istis adhortationibus territat. Ego autem noui Bacchũ cùm aliàs validum esse, tum à sapientia cognomentum Lysij (quasi Soluentem diceres) inuenisse. itaque non metuo ne plenus eius ad certamen minus animi sim habiturus. His illi invicem verbis inter cœnandum ludebant. Mihi verò cõsideranti cœnam vsitata ratione nonnihil frugaliorem, subiit apud animum meum cogitare, sapiẽtum & bonorum virorum conviuia non augere impensas, sed minuere potiùs, dum supervacanei obsoniorum apparatus omittuntur, & vnguenta peregrina ac bellaria, vinorúmque precioſorum diffusiones. quibus cum Periander quotidie vteretur, vtpote in tyrannide, opibúsque & rebus tantis, tum sese istis viris tenuitate & frugalitate commendabat. nam non aliarum duntaxat rerum, sed vxoris quoque demens atque occultans consuetum mundum, frugaliter eam & modicè ornatam ostendebat. Sublatis mensis, sertísque à Melissa distributis, nos quidem libauimus: & tibicina, cùm paululum ad vota nostra cecinisset, è medio abiit. Tunc Ardalus Anacharsin allocutus,

Muli fabula.

Vini vis.

Frugalitas doctorum.

tus, interrogauit an apud Scythas tibicinæ essent. qui ex tempore respondit, Ne vites quidem apud Scythas esse. Rursúmque Ardalo dicente, Atqui dij sunt Scythis? omnino, inquit Anacharsis, iíque intelligentes humanæ linguæ. neque Scythæ putant, quod Græci: qui quanquam Scythis eloquio præstare se censent, tamen Deos osium & lignorum sonos quàm humanam vocem libentiùs audire opinantur. Quid, intulit Aesopus, si videres ô hospes, nostri temporis fistularum fabros, qui ossa hinnuleorum abiiciunt, & asininis vtuntur, meliùs sonare hæc dicentes. qua de causa etiam Cleobulum tibia hinnulea ad fistulam Phrygiam impulit mirari aurem cornigeram ictus gratia. vt mirari subeat, asinum animal crassissimum & à musica alienissimum, tamen ossa tenuissima & maximè canora suppeditare. Hìc Niloxenus, nimirum, inquit, hoc est quod nobis Naucratitis Busiritæ vitio vertunt, qui asininis iam vtimur tibiis, cùm ipsis etiam tubam audire nefas habeatur, quia eius sonus asininæ voci est similis. nostis autem asinum apud Aegyptios propter Typhonem in infamia esse. Facto deinde silentio, Periander cernens Niloxenum cupere quidem, sed tamen non audere sermonis facere principium, Ego verò, ait, ciuitates magistratúsque laudo, qui priore loco hospitibus, deinde ciuibus responsa dant. itaque placet, vt in præsentia nostri sermones, quippe indigenæ & familiares, aliquantulum cessent, & quasi in concionem aditus permittatur Aegytiis istis ac regiis quæstionibus, quas optimus hic Niloxenus ad Biantem adfert, Bias autẽ vult vnà nobiscum excutere. Et Bias: vbi enim, aut quibus cum malit quisquam de his experiri, si ita vsus ferat, quæstionibus soluendis? præsertim cùm rex mandauerit, vt à me principium fiat disputationis, & ea ordinè per vos omnes circumeat. Ad hæc verba codicillos Bianti porrexit Niloxenus, iussítq;

De fistulis & ossibus.

Asinus.

apertos coram omnibus legere. eorum quæ continebantur scripta, hæc erat sententia. Amasis rex Aegyptiorum, Bianti Græcorum sapientissimo S. Certat mecum Aethiopum rex de sapiẽtiæ præstantia: victúsque aliis in rebus, vltimo loco absurdam à me & immanem rem postulat, mare me iubens ebibere: ídque ea conditione, vt si præstem, multi eius pagi multæque vrbes meæ fiant ditionis: sin verò, oppida quæ circa Elephantinam sunt amittam. Tu quo pacto id fieri possit dispice, & statim nos remisso huc Niloxeno doce. Si quid à me ciues amícique tui desiderabunt, non deero iis. Vale. His recitatis, non multum temporis cunctatus Bias, sed paululum secum meditatus, & paucula cum Cleobulo, qui ponè accumbebat, collocutus, Quid narras, inquit, Niloxene? tot hominum rex Amasis, tantúmque ditionis præstantissimæ possidens, ebibere mare volet obscurorum & vilium pagorum gratia? Tu verò, inquit Naucratites, tuo arbitrio perpende quid fieri possit. Indicet ergo, ait Bias, Aethiopum regi, debere eum interim dum ipse mare quod nunc est ebibit, in mare exeuntes fluuios inhibere. nam de eo quod nunc est mari, non de futuro mandatum fuit. Quæ simulatque dixit, Niloxenus præ voluptate non continuit se, quin amplecteretur atque oscularetur hominem. Reliquis autem responsum Biantis laudantibus atque approbantibus, ridens Chilo: Hospes, inquit, Naucratita, antequam mare ebibatur domum nauigans Amasidi indica, nõ esse ei quærendum quomodo tantum salsuginis exhauriat, sed potiùs vt potabile ac dulce subditis regnum suum faciat. harum rerum callentissimus, optimúsque magister est Bias, quibus perceptis Amasis nihil opus habebit aurea ad lauandos pedes pelui qua terreat Aegyptios, sed omnes ipsum demerebuntur atque diligent ob virtutem, etiam si millies esset quàm nunc videtur inuisior. Est verò,

De mari ebibendo.

inquit

inquit Periander, operæprecium vt vniuersi viritim (vt Homerico more loquar) Amasidi tales contribuamus primitias. Sic enim & illi additamentum ipsa negociatione præstabilius fiet, & nobis singulis aliquid vtilitatis accedet. Tum Chilo, Principium, inquit, dicendi Solon æquum est vt faciat, non tantùm quia natu omnibus reliquis est grandior, & primo accumbit loco, sed maximum ac perfectissimum quia gerit magistratum, Athenienſium legislator. Ibi tum Niloxenus submissa ad me voce: Profectò, inquit, multa falsò creduntur, multíque sunt qui siniſtris rumoribus de sapientibus viris delectantur, quos vel ipsi sibi confingunt, vel ab aliis promtè accipiunt. quomodo etiam ad nos in Aegyptum renuntiatum fuit, Chilonem amiciciæ atque hospitij ius resignasse Soloni, quòd hic leges mutabiles esse dixisset. Ridicula, inquam, narratio. ita enim primus Chiloni erat repudiandus Lycurgus, qui vnà cum legibus totam convellit atque immutauit rempubl. Lacedæmoniorum. Cæterùm Solon paululum moratus, Mihi, ait, videtur hac ratione maximè gloriam consecuturus siue rex siue tyrannus, si vnius imperium in popolarem reip. statũ ciuibus convertat. Subiecit Bias: si primus pareat legibus patriæ. Post hos Thales pronunciauit, eum sibi principem videri beatum, qui naturæ ordine senex moriatur. Quartus Anacharsis: si solus sit prudens. Quintus Cleobulus: si familiarium nemini fidat. Sextus Pittacus: si subditos princeps ita contineat, vt non ipsum, sed ipsius causa metuant. Vltimus Chilo: principem nihil meditari debere mortale, sed omnia immortalia. His dictis à Periandro postulauimus, vt ipse quoque diceret aliquid. Ille verò vultu non admodum hilari, sed ad seueritatem composito: addo ergo, inquit, dictas sententias omnes ferè sanæ mentis hominem ab imperio gerendo deterrere. Et Aesopus, vt erat repræ-

Odyſſ. 7. initio.

Sapientum dicta de principe.

hendendi ſtudioſus: Hæc igitur, ait, oportebat nos ſeorſim tractare, ne dum conſiliarij volumus eſſe & amici principum, eorum fiamus accuſatores. Huius caput tangens Solon ac renidens, Non, inquit, videtur tibi moderatiorem principem ac tyrannum æquiorem reddere, qui ei perſuadet præſtare non imperare quàm imperare? Quis verò reſpondit Aeſopus, tibi malit credere, quàm Deo? cuius ſententia ex hoc tibi dato oraculo apparet,

Felix urbs, uocem præconis quæ unius audit.

Et Solon: enimverò, inquit, nunc quoque Athenienſes vnicum audiunt præconem, nimirum legem, quamquam penes populum reip. ſit poteſtas. Tu autem coruorum graculorúmque voces audire peritus, tuam ipſius vocem non accuratè exaudis: ſed qui vrbem de Apollinis ſententia beatiſsimam fore putes quæ vnum audit, conviuij hanc laudem eſſe cenſes, vt omnes differant ac de omnibus. Tu enim, infert Aeſopus, nullam legem poſuiſti, ne inebrientur ſerui, ſicut Athenis ſeruis amoribus & ſica vnctione interdixiſti. Cum riſiſſet Solon, Cleodemus medicus: atqui ſiccæ vnctioni, inquit, ſimile eſt, vino rigatum loqui. eſt enim ſuauiſsimum. & Chilo id ſic excepit: itaque eo tanto magis abſtinendum eſt. Rurſum Aeſopus, Et quidem, ait, Thales viſus eſt dicere, fore vt celerrimè conſeneſcat. Hic ridens Periander, ſic eſt locutus. Meritò quidem nos, Aeſope, pœnam dedimus, qui prius quàm Amaſidis ſermonem reliquum in mediũ proponeremus, in alias incidimus diſputationes. Tu itaque Niloxene reliquum Epiſtolæ inſpice, viríſque his præſentibus vtere. Tum Niloxenus hæc. Equidem poſtulatũ illud Aethiopicũ nihil aliud quàm, vt eſt apud Archilochum, ſcuticam confractam appellare quis iure poſsit. Tuus autem hoſpes Amaſis in hoc quærendi genere humanior eſt & elegantior.

Variæ quæſtiones.

gantior. Iusit enim eum explicare quid sit vetustissimum, quid pulcerrimum, quid maximum, quid sapientissimum, quid communissimum, atque adeò quid vtilissimum, quid damnosissimum, quid fortissimum, quid facilimum. Quid, inquit Periander, respondítne, & soluit singula isthæc? Audietis, ait Niloxenus, quomodo, & vestrum erit iudicium. Summam enim in hoc rex noster impendit operam, vt neque calumniari responsa possit dici verè, neque lateat & non arguatur si quid erratum est respondendo. Recitabo autem vobis quo modo respondit. Quid antiquissimum? Tempus. Quid maximum, Mundus? Quid sapientissimum? Veritas. Quid pulcerrimum? Lux. Quid communissimum? Mors. Quid vtilissimum? Deus. Quid damnosissimum? Genius. Quid robustissimum? Fortuna. Quid facilimum? Quod suaue est. His ita recitatis, Nicarche, factóque silentio Thales, Niloxenum interrogauit, an has solutiones probasset Amasis. Respondentéque eo, quasdam admissas ab eo fuisse, quasdam improbatas, Et verò, inquit Thales, examinandæ sunt: omnes enim vitia magna errorésq; habent. quale est, (verbi gratia) quod tempus omnium rerum vetustissimum dixit. quod quî potest esse verum? cùm pars eius præterierit, alia sit præsens, alia futura: & quod post nos erit tempus, rebus hominibúsque qui nunc sunt recentius esse quivis videat. Iam quod veritatem putat esse sapientiam, tantundem mihi videtur ac si lumen oculum vocaret. Quod si lumen, ita vt est, pulcrum esse censuit, quomodo factũ est vt ipsum Solem præteriret. De cætero quod respondit de diis ac geniis, id audax atq; periculosum est responsum: valdè etiã à ratione alienum est, quod de fortuna dixit: non enim ea tã facilè mutaretur, si ita validissima rerũ esset atq; robustissima. Sed neq; mors cõmunissimũ est, quæ nihil ad viuos pertinet. Cæterùm ne videamur in

aliorum pronunciata inquirere, noſtra cum eorum dictis componantur. & ſi Niloxeno ita videtur, primum ego me offero qui de ſingulis interrogetur. Exponam deinceps quid quæſitum: quid reſponſum fuerit. Quid eſt antiquiſsimum? Deus, inquit Thales. ortu enim caret. Quid maximum? Locus. reliqua enim mundus continet, ab hoc continetur. Quid pulcerrimum? Mundus. omnes enim eius partes ordine aptæ ſunt. Quid ſapientiſsimum? Tempus. id enim alia invenit, reliqua inveniet. Quid communiſsimum? Spes. quibus enim reliqua omnia deſunt, hæc adeſt. Quid vtiliſsimum? Virtus. hæc enim reliqua etiam rectè vtendo vtilia facit. Quid damnoſiſsimum? animi vitium. huius enim præſentia plurima bona corrumpuntur. Quid validiſsimum? Neceſsitas. ea enim ſola eſt inſuperabilis. Quid facilimum? Quod eſt naturæ conſentaneum. nam voluptates etiam ſunt, quæ ſæpenumerò reſpuantur. Cùm Thaletis dicta omnes approbaſſent: Cleodemus, Huiuſmodi, inquit, Niloxene, quæſtiones proponere & ſoluere regibus convenit. barbarus autem iſte, qui mare Amaſidi propinabat, breuitate ſermonis refellendus fuit ea, qua vſus eſt adverſus Alyatten Lesbiis ſcripto ſuperbè aliquid inſolens mandantem Pittacus. nihil enim reſpondit aliud quàm debere eum cepas & calidum panè edere. Hunc eius ſermonem ſic excepit Periander. Enimverò priſcis quoque Græcis in more poſitum fuit, Cleodeme, huiuſmodi inter ſe quæſtiones proponere. auditu enim accepimus, Chalcidem ad Amphidamantis exequias conveniſſe poëtas, quorum tum inter ſapientes maximè vigebat gloria. Fuerat autem is Amphidamas vir ciuilis, cúmque multum negocij exhibuiſſet Eretrienſibus, in pugnis ob Lilantem commiſsis ceciderat. Sed cùm poëtarum carmina arte elaborata difficilem moleſtámque facerent diiudicationem ambigua victoria,

Aliæ ſolutiones earũ.

Quæſtiones argutas mos inter ſe proponendi vnde?

victoria, & concertatores glorioſi Homerus atque Heſiodus præſui reverentia plurimum arbitris dubitationis afferrent: ventum eſt ad huiuſmodi quæſtiones, propoſuerúntque, inquit Leſches, talia:

Muſa mihi refer hæc, quæ nec priùs euenerunt,
Nec poſt euenient. — & reſpondit Heſiodus ex tempore:

Sed Iouis ad buſtum ſonitu cùm quadrupedante
Frangentur currus ab equis certamine anhelo:

dicitúrque ea maximè de cauſa magni factus ac tripode donatus. Quid verò, inquit Cleodemus, hæc à ſcirpis Eumetidis differunt. quos illam animi iocíque cauſa nectentem, vt aliæ cingula ſolent & reticula, mulieribus proponere fortaſsis indecorum nõ eſt: ridiculum verò, ſi eos vt rem ſeriam tractent viri cordati. Ac Eumetis quidem, cùm, vt apparebat, dicere aliquid adverſus Cleodemum cuperet, præ verecundia ſeſe cohibuit, faciéſque eius tota rubore oppleta fuit. Sed Aeſopus, velvti vlciſcens eam: An verò ait, non magis ridiculum eſt, non poſſe nos iſta ſoluere? quale eſt quod paulò ante cœnam nobis propoſuit·

Igni hominem æs humano in corpore figere uidi. Laſs kõff.

potéſne explicare, hoc quid ſit? Ne ſcire quidèm opus habeo, reſpondit Cleodemus. Et verò, inquit ille, nemo te meliùs iſtã rem nouit aut vſurpat. quòd ſi inficias ire velis, teſtes habeo cucurbitulas. Riſit Cleodemus: nemo enim medicorum ea tempeſtate frequentiùs cucurbitulis vtebatur, ídque remedij propter vſum non parum laudis invenerat. Cæterùm Mneſiphilus Athenienſis ſocius imitatórque Solonis Periandrum ſub hæc ita compellauit. Equidem æquum iudico, vt ſicvt vinum, ita ſermo quoq; non pro cenſu aut præſtantia virtutis, ſed ex æquo inter omnes diſtribuatur, ſicvt in populari ſtatu reipublicæ. At quæ iam à vobis dicta ſunt de domina-

tione,& regno,ad nos, qui populares sumus, nihil pertinẽt.Itaq; censeo debere vos denuò ea de reip. forma,in qua æquali omnes iure viuunt,viritim aliquid conferre,auspicante iterũ Solone. Placuit hæc sententia omnibus. Primúsq; Solon: tu quidem,inquit,Mnesiphile audiuisti cum vniuersis Atheniẽsibus,quis meus sit de rep.sensus. Quando autem nũc quoq; vis audire, videtur mihi ciuitas maximè beata fore & conseruatura popularem statũ, in qua iniuriæ alicuius autorem non minùs illæsi quàm qui læsus est in ius rapiant atq; puniant. Secundus Bias dixit,eum popularem reip.statum esse optimũ, in quo legem vniuersi tanquam tyrannum metuãt. Thales: vbi neq; diuites nimis neq; pauperes sint ciues. Anacharsis:in qua cùm reliqua omnia æqualia habeãtur,virtuti tamen potior,vitio deterior cõditio deferatur. Quintus Cleobulus pronũtiauit populum maximè facturum officium, si ciues repræhẽsionem magis metuãt quàm legem.Sextus Pittacus:vbi magistratum gerere non licet malis,licet bonis. Conversus deinde Chilo:ea,inquit,optima est respublica,in qua maximè leges,minimè oratores audiũtur. Rursum vltimus omnium Periander de dictis horũ ita censuit, videri sibi omnibus his pronũciatis eam commendari popularem reip.formam,quę similima sit optimatum in ciuitate gubernationi. Hac quoq; disputatione finita,postulaui ego,vt domus quomodo regenda sit nobis illi explicarent: quòd regni & ciuitatis gubernatio paucis obveniret, quivis autẽ nostrũm larem domesticum familiámque haberet. Hîc ridens Aesopus: Non ita, inquit,res habet: siquidem in quibusvis illis Anacharsidem numeras. qui non modò non habet domũ, sed & iactat se hoc nomine,quod domo carens,curru vtatur, quo modo Solem aiunt curru circumvehi,aliásq; aliam cœli obire regionem.Respondit Anacharsis:Itaque ergo aut solus deorum liber, aut omnium liberrimus

De popularí reip. statu.

ille

ille est,omnibúsque imperat,nulli paret, sed regnat ac habenas tenet. Verùm Solis currus quàm pulcritudine excellens, magnitudinéque mirabilis sit, te fefellit. alioqui non eras eum cum nostro ioci gratia comparaturus. Videris autem mihi, Aesope, pro domo habere lutea & figlina ista clausstra, perinde ac si testam,non ipsum animal cochleæ nomine afficeres. itaque non iniuria risum tibi mouit Solon, qui cùm domum Crœsi sumtuosè ornatam vidisset, non statim pronunciauit dominum eius beatè ac feliciter habitare:quòd bona in ipso domino sita potiùs,quàm quæ circa ipsum erant, spectare cuperet. Atque apparet te tuæ oblitum vulpis, quæ cùm in certamen de varietate ornatus cum panthera venisset,ea quę intus sibi essent ornamẽta disceptatorem inspicere iubebat:his enim se magis variè,quàm pãthera esset,ornatam. Tu verò fabrorum & lapicidarum opera circumspicis,eáque pro domo habes: nõ ea quæ intus quisque sua habet,liberos,coniugium, amicos,familiam : cum quibus probè compositis si quis vel in fouea formicaria vel in nido aliquo degit,rerúmq; communitate vtitur,domum is bonam & beatam incolit. Hæc ego cùm Aesopo respõnsa volo, tum pro mea stipe Diocli collata. reliqui pro se suam quisque sententiam pronuncianto. Tum Solon: Ea, inquit, mihi optima videtur domus, vbi res est neque iniustè parta, neque in ea vel conseruanda diffidentiæ,vel insumenda pœnitentiæ est locus. Bias:In qua dominus sua sponte talem se gerit,qualem foris propter leges. Thales: in qua plurimum ocij domino conceditur. Cleobulus:in qua plures sunt qui diligant, quàm qui metuant dominum.Pittacus:vbi neque requirũtur supervacanea, neque desiderantur necessaria. Chilon : maximè oportet domum vrbi quæ sub rege est similem esse. adiecitq;,Lycurgum cuidam qui populare imperiũ Spartæ instituere ipsum iuberet, respondisse, Priùs

Domus quid sit.

Familiæ quæ optima.

tu hoc domi tuæ facito. Hoc quoque sermone exacto, Eumetis cum Melissa exiuit. Cum autem Periander Chiloni bene magnum calicem præbibisset, ac Chilo Bianti: Ardalus adsurgens Aesopo ait: Tu verò non huc ad nos poculum trãsmittes, cum videas istos calicem tanquam Bathyclis poculum inter sese circummittere, nemini alteri impertire? Et Aesopus: ne hoc quidem, inquit, publicum esse videtur poculum, ita iamdiu soli adstat Soloni. Tum Mnesiphilum compellans Pittacus: Cur, ait, Solon non bibit, sed versus suos testimonio suo impugnat hosce,

Ebrietas.

Nunc Veneris mihi grata, & læti munera Bacchi,
Musarumq; uiris dant ea læticiam.

Subiecit autem Anacharsis: quia tuam illam duram timet legem, qua si quis per ebrietatem delinquat, duplam eius, quæ sobrio infligeretur, pœnam constituisti. Tu verò, inquit Pittacus, ita contumeliosè in legem meã peccasti, vt & superiore anno, & nunc ebrius, præmium poposceris atque coronam. Quid ni, ait Anacharsis, proposito ei qui plus bibisset prẽmio, primus inebriatus præmiũ victoriæ poscerem? aut vos me docete quis alius sit multũ bibendi merum finis, quàm inebriari? Cùm risissent ad hæc Pittacus, Aesopus talem narrauit fabulam. Lupus cùm videret pastores in tabernaculo ouem comedere, propiùs accedens, Quantus, inquit, tumultus exortus esset, si hoc ego feciſſem? Tum Chilo, Rectè, ait, Aesopus sese vltus est, cui paulo antè cùm os obthurauerimus, nunc videt à nobis Mnesiphilo præripi facultatem respondendi, interrogato cur Solon non biberet. Ibi Mnesiphilus hãc rationem attulit. Scio, inquit, Solonis hanc esse sententiam, vniuscuiusvis artis seu facultatis tam diuinæ quàm humanæ opus esse id potiùs quod ab ea efficitur, quàm quo id cõfit: & finem, quàm quæ ad finem pertinent. Nimirum enim textor suum opus magis dixerit lænam

Finis rerũ.

aut

aut tunicam, quàm radiorum dispositionem, & insubulorum excitationem. ac faber ferruminationem potius, aut securis aciem solidam, quàm aliquid eorum quæ eius gratia necessariò fiunt, vt carbonum succensio, & apparatus ramenti lapidum. sed & architectus multo magis nos reprehendat, si opus eius affirmemus esse non nauim aut domum, sed ligna terebrare, & lutum miscere. Musæ autem omnino indignentur, si putemus ipsarum opus esse citharam & fistulam, non morum institutionem, & affectuum animi moderationem, quę consequuntur qui cantilenis & concentibus vtuntur. Ergo Veneris etiam opus non est concubitus & corporum mixtio, neque vinum & ebrietas Bacchi. sed qui his conciliatur amor, & desiderium, ac mutua consuetudo & familiaritas. Hæc diuina opera Solon vocat, eáque se ait diligere & consectari maxime in senectute. Est autem amoris virorum ac mulierum mutui effectrix Venus, ob voluptatẽ corporibus simul commiscens ac colliquefaciens animos. Multi porrò non admodum inter se noti aut familiares à Baccho vini velvti ignis opera cuiusdam ingeniis emollitis atque humectatis principium aliquod cõtemperationis inter se amiciciæque nanciscuntur. Cęterùm vbi tales conveniunt viri, quales vos Periander convocauit, nihil (puto) est quod calix aut poculum agat: sed ipsæ Musæ proposito in medium sermone, tanquam sobrietatis cratera, cui plurimũ voluptatis, ioci seriæque rei item permultũ adest, eo excitant, rigántque & diffundunt amiciciam: plerunq; sinentes cyathum super cratera quiescere, quod Hesiodus prohibuit fieri apud eos qui bibere potiùs quàm disserere norunt.

Veneris & Bacchi opus.

Nanque vbi se vino criniti forsan Achiui
Largiùs inuitant: plenus scyphus est tibi semper. *Iliad. δ, 261*

Alioqui teneo, apud antiquos moris fuisse vt pro-

Modus bibendi.

pinarent invicem, certáque, vt apud Homerum est, mensura biberent per ordinem, quomodo Aiax partes carnis ei qui iuxtà adsidebat obtulit. Hæc cum dixisset Mnesiphilus, Chersias poëta (iam enim crimine eum Periander absoluerat, inq; gratiam Chilone deprecante receperat) Nónne, inquit, Diis Iupiter, sicvt heroibus Agamemnon, potum fundit dimensum, vt apud eum conviuantes invicem propinarent? Et Cleodemus: Si, ait, palumbes quædam, sicvt vos narratis, Ioui ambrosiam adferunt, volatu difficulter ægréq; superatis saxis concurrentibus, quas Planctas Homerus vocat: non censes etiá nectar ipsum paratu difficile ac rarũ esse, vt parcè depromtum cuiq; deorum tribuatur? Fortasse ita est, respondit Chersias. Sed vellem de re familiari dispu tationem repeti, vt quod ei deest ab aliquo vestrũm explicetur. puto enim omissum esse, quis modus rei faciundæ sit sufficiens. Ad hæc Cleobulus: Atqui, inquit, lex mensuram sapiẽtibus præscripsit. ineptis fabulã narrabo, quam mater mea fratri obiecit. Aiebat enim Lunam à matre petiisse, vt sibi tuniculam congruentem texeret: ac matrem respondisse, Quî possim verò, cum te iam plenam, mox in cornua attenuatam, rursum dimidio orbe videam? Sic etiam, mi Chersia, homini fatuo & vitioso nulla mensura opum est. necessitates enim eius subinde cupiditatibus & fortuitis casibus mutantur, sũntque similes Aesopi cani, quem is ait hyeme sese contrahentem ob frigus ac convoluentem cogitare de domo sibi paranda: ætate autem cum porrectus dormiat, magnum sibi videri, & putare neq; necessariũ & magni laboris opus esse tantam exstruere domum. Nónne enim vides Chersia, eos qui modò humiles, planè in arctum se cogunt, vtpote præcisè ac Laconicè victuri, paulo pòst nisi omnes priuatorum regúmque res possideant, existimare se ob inopiã perituros? Postquam Chersias tacuit, excipiens sermonem Cleodemus:

Odyss. μ, 61

Modus rei familiaris.

demus: Veruntamen, inquit, videmus vos quoque, qui sapientes estis, inæqualibus mensuris, si quis cõparationem instituat, distributa bona possidere. Tũ Cleobulus: Nimirũ, ait, mi homo, lex velvti textor cuiq; cõgruam decentémq; & mediocrem portionem attribuit. nam tu quoq; ratione legis instar in alendis corporibus, victus ratione præscribẽda, adhibendisq; medicamentis vtens, non æqualia omnibus, sed convenientia singulis tribuis. Subiecit Ardalus hæc. númnam ergo etiam sodalem nostrum, Solonis hospitẽ Epimenidem lex aliqua reliquis abstinere cibis iubet, ac tantùm exiguã partem arcentis famem materiæ, Alimum Græci vocant: quam ipse sibi componit voluptatem, sumere ore, itáq; impransum incœnatúmq; perdurare? Hæc oratio cùm omnes conviuas attẽtos tacitósq; reddidisset, Thales iocans, probè facere Epimenidem dixit, qui molendo coquendóque cibos molestias sibiipsi facere nollet: quod Pittaco vsuveniret. se enim cum in Lesbum venisset, audiuisse hospitam sic cantare ad pistrinum: Mole pistrinum, mole: nam & Pittacus molit, rex magnæ Mitylenæ. Solon autem: miror (inquit) Ardale, legem de victus Epimenidis ratione non legisse te in Hesiodi scriptam versibus. is enim est, qui primus Epimenidi semina huius alimenti præbuit, dum eum docuit quærere,

Quanta sit utilitas in maluis asphodelisq;.

Maluæ & albuci vsus.

Existimas verò, inquit Periander, tale aliquid Hesiodo in mentem venisse, ac non potiùs eum, vt est adsiduus parsimoniæ laudator, ad cibos vilissimos nos, quippe dulcissimi qui sint, voluisse adhortari? vtilis enim est maluæ esus, & suauis hastula regia. Ista verò famem ac sitim arcentia, medicamenta potiùs esse audio quàm cibos, recipientia mel & caseũ barbaricum: & multa minimè vulgarium seminum. quomodo ergo non, quod est apud Hesiodum, in fumo poneretur clauus, &

Mulorumq; opera, atque boum iam cuncta perirent.

si tanto opus foret apparatu? Miror autem tuum, Solon, hospitem, si nuper cùm Deliis magnam lustrationem faceret, non obseruauit ab ipsis in templum inferri monimenta atque exempla primi alimenti, cum aliis sponte sua nascentibus, maluam & albucũ: quorum probabile est Hesiodum quoque nobis vilitatem ac simplicitatẽ commendare. Non hæc modò, inquit Anacharsis, sed & vt ad sanitatem inter præcipua conducens vtraque planta laudatur. Rectè dicis, ait Cleodemus. Apparet enim Hesiodum medicum fuisse, qui tam accuratè & peritè de victus ratione, vini temperie, aquæ bonitate, lauacris, mulieribus, coitus tempore, & infantium sessione disseruerit. Mihi autem videtur Aesopus rectius sese Hesiodi discipulum professurus, quàm Epimenides. ille enim pulcræ suæ & variæ ac multarum linguarũ vsu ornatæ sapientiæ initium sumsit ex accipitris ad lusciniam sermone. Cuperem autem Solonem audire. probabile enim est hunc cùm Athenis Epimenide multum temporis vsus sit familiariter, nosse qua de causa quóve instituto is talẽ amplexus sit victus rationem. Quid attinebat, respondit Solon, ex eo causam quærere? cum in promtu sit, proximum à summo & maximo bono esse hoc, quàm minimũ requirere nutrimentum: siquidem rectè creditum est summum bonum esse nullo prorsus alimento indigere. Hoc verò mihi nequaquã videtur, inquit Cleodemus, siquidem licet dicere quod sentio: maximè mensa apposita, quæ alimento sublato tollitur, cum sit diis amiciciæ hospitiique patronis consecrata. Sicvt autem Thales ait igne demto totius vniuersi exstituram confusionem: sic mẽsa abolita necesse videtur esse omnes familię partes deletum iri. simul enim tollitur ignis Vestalis, focus sacer, crateres, cõuiuia, hospitia, quæ prima sunt & humanissima hominum inter se commercia. atque adeò tota vitæ ratio

Nullo nutrimento vti, an summũ sit bonum.

ratio peribit, siquidem à negociis aliquod est homi
nibus ad oblectationes diverticulum, quibus victus
apparatio & vsurpatio plurimum præbet materiæ.
Iam & in agricultură hoc mali redvndabit. qua ces-
sante tellus nobis relinquetur informis, atque incul
ta, ob vacationem operum repleta sterilis materiæ,
& fluuiorum eluuione invndata. vnáq; peribunt ar
tes omnes atque opificia quibus illa præest, funda-
mentúmq; & materiam suppeditat, ac quæ illa remo
ta nihil sunt. Quin & honor diis nullus porrò erit:
qui Soli exiguus, Lunę etiá minor habebitur, vbi ad
homines ab iis præter lucem & teporem nihil redi-
turum sit. Ioui autem pluuio, & Cereri arationis au-
spici, & Neptuno stirpibus prospero, vbi ara erit, v-
bi sacrificium? Aut quomodo gratiarum dator Bac-
chus erit, si nihil eorum quæ largitur ipse require-
mus? Quid sacrificabimus, quid libabimus, quas of-
feremus primitias? Omnia hæc cum summarũ sub-
versione rerum coniuncta sunt. Equidem brutũ est
omnes & vsquequaq; consectari voluptates: fugere
autem omnes, idq; omnino, voluptates, stupidi est.
Esto enim suas quasdam peculiares & pręstantiores
animi esse, quibus is fruatur, voluptates. certè nulla
est corpori alia, qua innocẽtiùs frui possit, quàm ab
alimento voluptas. quod omnibus est compertũ ho
minibus. Mensa enim in medio proposita, communi
cant cœnis. rei venereæ tenebras prætexunt dẽsas.
quia huius voluptatis communicationem belluinã
impudentémq; iudicant perinde, atq; illius abstinẽ-
tiam. Vbi finem dicẽdi fecit Cleodemus, ego succe-
dens in partes eius, Hoc verò, inquã, præteris, quòd
somnus simul cũ nutrimento proscribitur. & somno *Somnia.*
sublato, somnia nulla sunt, ac vetustissima nobis di-
uinãdi ratio aboletur. Ad hæc vita informis erit no-
stra, ac quodámodo corpus animo frustra fuerit cir-
cumdatũ. plurimæ enim eius, & præcipuæ partes ita
sunt factæ, vt instrumẽta sint nutritionis: lingua vi-

delicet,dentes,ſtomachus,iecur: quorum nihil vel fruſtra,vel ad alios comparatum eſt vſus. Itaq; alimento qui nõ opus habet,ne corpore quidem is indiget.quod eſt nihil aliud, quàm ipſum ſeipſo opus non habere:nemo enim noſtrũ ſine corpore eſt. Atque hæc quidem,inquam, ego velvti ſymbolum ad patrocinandum ventri dare volui:ſi Solon,aut alius habet aliquis quod obiiciat criminiſ, paratus ſum audire. Maximè verò,inquit Solon. niſi ſi volumus videri iudicio quàm Aegyptij minùs valere. ij enim mortuum diſſecto ventre Soli oſtendũt, deinde inteſtinis in profluentem abiectis, reliquũ cadauer vt iam purgatum procurant.Re vera enim corporis noſtri cõtaminatio ſunt iſta,atq; orcus velvti apud inferos exitioſis quibuſdam fluminibus & vẽtis ſimul atq; igni confuſis, cadaueribúſq; oppletus. Viuum quippe nullũ viuo nutritur alimento: ſed nos necantes ea,quæ animata ſunt atq; naſcuntur, & vita non carere eo liquet quòd aluntur & augeſcũt,iniuſtè agimus.Enimverò eſu carniũ abſtinere,quod factitaſſe Orpheũ illum priſcũ accepimus, calumnia magis arguta eſt, quàm vera depulſio criminis iniuriarũ à luxu profectarũ. Vnica eſt ratio vitandi ſceleris, & purum ſe prẽſtandi,ſi quis ſe ipſo contentus,nihílq; extra ſe poſitum deſiderans viuat.Quem verò Deus ita comparauit, vt citra aliorum damnum ſuam ſalutem tutari nõ poſsit,huic ille naturã iniuſticiæ principium deſtinauit. Nónne igitur,mi Diocles, æquũ erat cum iniuſticia ſimul exſcindere ventrẽ & ſtomachũ & iecur?quæ mẽbra nullius bonæ rei ſenſum appetitúmve ingenerant: coquorũ autem inſtrumẽtis ſimilia ſunt,cultris puta,lebetibus: tum molitoriis, caminis,& puteorũ foſsioni,paníq; coquendo inſervientibus. Nimirum enim poſsis animadvertere in multis hominibus animam in corpore eſſe tanquam in iſtrino abditam, eius tantum neceſsitatum cauſa hac illac circumcurſitantem. Quemadmodũ profectò

Contra eſum eorum quæ vixerunt.

fectò nos quoq; paulo antè invicem nõ vidimus neque audiuimus, sed quivis nostrûm pronus necessitati nutritionis inseruiebat. nunc mensis remotis liberati, vt vides, sertísque redimiti inter nos disserimus, mutuáq; fruimur consuetudine, & ocio, soluti necessitate expetendi alimenti. Quod si is status, in quo sumus in præsentia, per omnem nostrã duraret vitã, nónne in perpetuo degeremus ocio, neq; paupertatem metuentes, & diuitiarum ignari? Studium enim rerum supervacanearũ statim comitatur necessariorum appetitionem. Iam quod alimentũ debere esse putat Cleodemus, vt mensæ sint, & crateres, posítq; Cereri & Proserpinæ sacrificari: alius eodẽ iure dixerit bella debere esse & pugnas: vt muros, naualia, armamentariáq; habeamus, & centũ hostibus occisis Hecatomphonia immolemus, quam ferũt apud Messenios legem valere. alius etiã sanitatem indignè ferat. scilicet iniquè fuerit comparatum, si nemine ægrotãte lecti mollis nullus sit vsus, nullus culcitræ, neq; Aesculapio sacrificemus, neq; diis auerruncatoribus, & medicina cum instrumentis medicamentísq; suis ingloria & abiecta negligetur. quid enim hæc ab illo differunt? certè enim cibus vt remedium famis sumitur: & curare seipsos dicuntur, qui victus ratione vtuntur certa: quod non voluptatem aut iucunditatem aliquam consectentur, sed naturæ necessitati obsequantur. Etenim molestias quàm voluptates plures enumerare licet à cibo ortas. immò autem voluptati in corpore & locus exiguus, & temporis parum est: cibi apparandi occupatio & difficultas quantis nos impleat turpitudinibus & doloribus quid attinet dicere? Equidem Homerum arbitror eò respexisse, cùm Deos immortales esse eo argumento demonstraret, quòd alimento nullo vterentur.

Cibi incommoda.

Nam neque edunt Cereris, neque Bacchi munera potant:
Hinc immortales, & cæsi sanguine habentur. *Iliad. 1, 341.*

innuit enim nõ viuendi modò, sed & moriendi viaticum esse nutrimentum. Hinc enim morbi corporibus adhæresc unt, quibus repletio sæpiùs quàm inedia causam præbet: ac plerunque maioris est laboris ingestum cõsumere & dissipare alimentũ, quàm comparare. Sed perinde ac si Danaides quærerent anxiè qualem acturæ vitam forent, & quid rei gesturæ, si dolij sui tractatione liberarentur: ita nos percunctamur, si contingeret nobis finem facere tã varia terra maríque conquirendi & congerendi in carnem nostram inexplebilem, quidnam essemus acturi. quia ob imperitiam rerum pulcrarum vitam necessitatibus inseruientem amamus. Quemadmodum igitur qui seruierũt, libertatem consecuti pro sese ac propter se ipsos ea faciunt, quæ olim dominorum obeuntes ministeria fecerant. sic anima nũc quidẽ multis occupata est laboribus in alendo corpore: sed eo ministerio vbi fuerit exonerata, seipsam nimirum libertate potitam alet, viuétque in sese & in veritatem intuens, nemine aliò abripiente aut abducente. Hæc, Nicarche, de alimento fuerunt disputata. Nondum finem dicendi fecerat Solon, cùm introvenit Gorgias Periandri frater, à Tænaro reversus, quò missus fuerat vt oraculis quibusdam ita monentibus rem sacram faceret, ac pompam duceret. Eum à nobis salutatum, Periander amplexus atque osculatus, iuxta se collocauit. Ibi fratri Gorgias seorsim quædam renunciauit, ita audienti, vt satis appareret variè ea narratione affici eum, modò dolentis, mox indignantis, sæpè diffidentis, mox admirantis speciem præbentem. Tandem ridens nos ita affatur: Cupio, inquit, iam nunc vobis narrare quid nuncij acceperim: sed vix audeo, qui meminerim Thaletem aliquando dixisse, efferenda ea esse quæ sunt probabilia, reticenda incredibilia. Sub hæc Bias: Atqui, ait, Thaletis hoc quoque sapienter dictũ est, hostibus etiam vbi credibilia

dibilia narrant fidem derogandam, amicis etiã quæ fidem excedunt credenda esse. inimicos autem ego censeo malos & fatuos, amicos ab eo dici bonos & prudentes. Proinde, inquit Periander, coram vniuersis Gorgia rem expone, aut potiùs ad nouos istos dithyrambos illis, quę affers, recitandis deduc. Tum Gorgias huiusmodi narrationẽ habuit. Cùm sacrificium tribus diebus exactis confeciſſemus, vltimáque solenniter vniuersi noctem insomnem ad litus cum chorea & ioco deduceremus, Luna mare illustrante, nullóque spirante vento, sed malacia ac tranquillitate obtinẽte, eminus horror quidam maris conspectus est versus promontorium vergẽs, incitatione aquæ spumam strepitúmque edente magnum, vt vniuersi non sine admiratione ad locũ quò appellebat adcurrerimus. Priusquàm verò possemus coniicere quid esset quod advehebatur (celeritate enim impediebamur) delphines cõspecti sunt, alij confertim in orbem circumnatantes, alij ad litus quà læuissimum erat præeuntes, alij subsequentes à tergo & agmen claudentes. in medio autem super mare extabat moles quędam vehentis corporis, ignota nobis & indiscreta: donec delphini coëuntes & ad litus vnà applicantes in terram exposuerũt hominem viuentem ac mouentem sese. inde ipsi rursum ad promontoriũ reversi maiore quàm antè saltatione luserunt, præ voluptate (vt apparebat) quadam exsultim lasciuientes. Ibi verò plerique de nostris consternati à mari profugerunt: ego & mecum pauci sumus ausi accedere. Invenimus ergo & agnouimus Arionem citharœdum, qui & nomen suum edebat ipse, & amictu innotescebat: gerebat enim vestẽ qua in certaminibus musicis solebat vti. Hunc nos in tabernaculum detulimus. neque quicquam illi erat mali, nisi quod à celeritate & impetu vectationis defatigatus nonnihil languebat. Audiuimus autem ex eo narrationem omnibus incredibilem,

Arionis fabula.

præterquam nobis, qui finem & exitum rei ſpectauimus. Aiebat enim ſe, cum iampridem ex Italia diſcedere in animum induxiſſet, litteris Periandri vt id maturaret permotum, Corinthiam nauim onerariam fortè tum oblatam conſcendiſſe. cúmque vento veherentur ſatis commodo, animadvertiſſe ſe, nautas ipſi necem machinari, ídque ſe deinde etiam ex rectore nauis cognouiſſe, clanculum monente ſtatuiſſe nautas conſilium ſuum noctu exequi. Tum ſe omni deſtitutum auxilio, & in extremis hærẽtem difficultatibus, diuino quodam animi inſtinctu impulſum vt corpus exornaret, ac veſtem qua in certaminibus obeundis fuiſſet vſus pro funebri ſumeret. & ſub finem vitæ caneret, neque hac in parte oloribus palmam concederet. Sic ergo ornatum ſe dixiſſe nautis, veniſſe ſibi in mentem vt Pythicam cantilenam pro ſua nauíſque & comitum ſalute cantaret: adſtitiſſéque in puppi ad fores, inuocationéque marinorum numinum quadam præmiſſa, inde ad fides ceciniſſe Pythiam odam. Nondum Planè mediũ cantilenæ cum abſoluiſſet, occubuiſſe Solem, cõſpectámque fuiſſe Peloponneſum. Nautis verò nó iam vlteriùs noctem præſtolantibus, ſed ad cædem ſe cõvertentibus, cùm nudari gladios, & gubernatorem caput velare iam videret, ſeſe quàm potuiſſet longiſsimè à naui in altum proieciſſe. Verùm priuſquã totum corpus ſubſideret, delphinis ſubeuntibus elatum ſe fuiſſe, plenum initio anxietatis & ignorationis atque perturbationis. cum autem leniter veheretur, multóſque circa ſe congregari delphinos cerneret placidè, onerique pernices velvti neceſſario & publico ſubire, ſimúlque nauis procul à tergo relicta velocitatem vectationis argueret: tum verò aiebat ſibi neque mortis tantum metum, neque vitæ cupiditatem tantam ad animum accidiſſe, quantum ſibi ſtudium inceſsiſſet, vt ſeruatus & diis charus videretur, & firmam de iis opinionem concipe-

ciperet. Simúlque se cùm cœlum intueretur stellis frequentissimis nitens, lunámque fulgidam & puram exorientem, stante mari tranquillo vndiquaq;, & sine fluctibus cursum velvti semitam sciſſam præbente: cogitasse se cum animo suo, non vnum duntaxat iusticiæ esse oculum, sed his omnibus circumcirca Deum obseruare quæ terra marique agantur. His cogitationibus corporis partes grauatas iam & lassas fuisse recreatas. Tandem cum ad promontorium appulissent delphini, quod sublime erat ac prę ruptum, optimè eius asperitatem eos cauisse ac circumflexisse, ponè adnatantes: donec in terra ipsum, velvt nauim in portum tutum, deposuissent. vt planè senserit, Dei procuratione sic vectum sese fuisse. Hæc cùm Arion exposuisset: ego, addebat Gorgias, percunctatus sum, vbi putaret nauim istam appulsuram. respondit, omnino ad Corinthum, sed multo pòst venturam. nam se vesperi elapsum è naui existimare vectum esse non minus 10 stadiis spacium: & statim malaciam fuisse obortam. Dicebat præterea Gorgias se & naucleri nomine, & gubernatoris, & insigni nauis cognito, emisisse naues, & milites qui loca nauibus appellendis idonea obseruarent, dissimulato quod secum ferret Arionem, ne sontes fuga elabi re cognita possent. omnino autem diuino casui fortunæ hanc rem respondere: simul enim & se huc adveniſſe, & significatum sibi esse nauim in eorum quos emiserat militum potestatem vnà cum negociatoribus & nautis veniſſe. Sub hæc Periander Gorgiam statim surgere iussit, deprehensósq; istos in carcerem compingere, vbi nemo accedere, aut de seruato Arione eos certiores reddere posset. Tum Aesopus: Vos verò, inquit, graculos meos & coruos differentes subsannate porrò, cùm delphini hoc modo iuuenentur. Ego autē: aliud, inquā, Aesope est quod dicimus * hæc enim oratio, cui nos * fidem adhibemus, amplius mille iam annos durauit,

ab Inûs & Athamanthis vsque temporibus. Solon verò hunc excipiens sermonem: Hæc quidem, inquit, Diocles, ad Deos propiùs pertinent, súntque nobis superiora. humanũ est, & ad nos attinet, quod Hesiodo evenit. puto enim te narrari audiuisse. Nõ sanè, inquam. Atqui, ait, auditu digna res est. Milesius quidã, cum quo Hospitij ac convictus vsus Hesiodo intercedebat, apud Locros hospitis filiæ pudiciciam clàm imminuerat: re comperta creditum est Hesiodum ab initio conscium flagitij fuisse, in eóque occultando operam nauasse. cùm quidem hic insons, nulla sua culpa in iram hominum per calumniam & sinistras incidisset suspiciones. Nihilominus eum puellæ fratres apud Locrense Nemæum siue nemus ex insidiis trucidauerunt, vnáque assem clam ipsius Troilum. Cæterùm cadaueribus in mare devolutis, Troili cadauer foras in Daphnum fluuium delatum, apud scopulum aquis ambitũ & non procul à mari disitum detentum fuit, qui scopulus etiamnũ Troilus dicitur. Hesiodi autẽ cadauer, vbi primùm à terra excidit, excipiens delphinorũ grex ad Rium & Molycriã deportauit. Fortè tum Locri solennem conventũ agebãt apud Rium, ac sacris operabantur publicis, quæ etiamnũ splendidè isto in loco peragũtur. Cùm verò cadauer videretur adferri, mirati (vt par erat) ad litus adcurrerunt. cúmq; cadauer recẽs interfecti Hesodi agnoscerẽt, gloria hominis permoti nihil antiquius habuerunt quàm cædis autores quærere. ac citò iis succesit res, invẽtósque percussores viuos in mare præcipitauerunt, & eorũ domum diruerũt. Ipse Hesiodus apud Nemæũ sepultus est. & sepulcrũ eius pleriq; peregrini ignorant. occultatur enim propter Orchomenios, qui id quærũt, & reliquias Hesiodi monitu oraculi cuiusdã auferre, & apud se humare cupiunt. Itaq; si delphini ita sunt adversus mortuos humani atq; familiariter affecti, multo probabilius est viuis eos opem ferre,

De Hesiodi morte narratio.

Delphini hominũ & musicæ amantes.

maxi-

maximè vbi fistulis aut cantu invitantur. Hoc enim iam omnibus nobis compertum est, musica animalia ista delectari, eámque assectari, & iuxta vehentes in tranquillo cum cantu ac tibia adnatare. Natatione etiam puerorum gaudent, certántq; cum nantibus. Itaq; lege non scripta cautum iis est de securitate. nemo enim eos piscatur aut lædit: nisi si quando in retia ingressi piscationi nocent. tunc enim puerorum instar delinquentium verberibus castigantur. Ac memini me de Lesbiis audire, puellam quãdam è mari à delphino fuisse seruatá. Verè, inquit Pittacus, hoc narratum tibi fuit: est enim res nota, & multorum memoria confirmatur. Lesbum condẽtibus oraculum mandauerat, vt cum nauigando ad stationẽ appulissent nomine Mesogæum, quasi Mediterraneum dicas, ibi tum Neptuno taurum, Amphitritæ ac Nereidibus viuam virginem demitterẽt in mare. Septẽ erant duces ac reges, octauus Echelaus princeps deducendæ coloniæ oraculo constitutus, ísq; etiam num cœlebs. Cùm reliqui septem sorte de innuptis liberis cõparassẽt, ea sorori Sminthei obtigit. hanc igitur vestibus & auro exornarũt, erántque cùm loco appropinquassent conceptis votis in mare abiecturi. Erat inter eos qui vnà nauigabant adolescens quidam indolis nequaquam malæ, cuius nomen Enalus perhibetur. is cùm puellæ istius amore teneretur, & studio eius seruãdæ ineffabili duceretur, sub ipsum temporis articulum impetu dato eam complexus, vnà se in mare demisit. Ac statim quidem fama certitudinis expers, sed cui tamen multi de exercitu fidem adhiberent, dicta fuit incolumes eos fuisse in terrã delatos. Postea verò temporis aiunt ipsum in Lesbo fuisse visum Enalũ, ac narrasse, à delphinis se è mari in continentem citra periculũ fuisse evectos. Possem alia his diuiniora, ac multorum animos quà percellentia quà demulcentia commemorare. sed difficile est omnibus

Puella à delphino è mari seruata.

fidem facere. Cùm enim fluctus ingens circa insulam attolleretur, hominésque ad mare accedere non auderent, solum ferunt Enalum accessisse, & secutam eum esse polypodum multitudinem ad templum vsque Neptuni, maximo lapidem gestante, quem Enalus dedicauerit. ísque lapis à nobis Ei dicitur. In vniuersum autem vt verbo dicam, qui inter id quod fieri nefas est, & id quod invsitatum est distinguere possit, intelligátq; aliud esse à vero, aliud ab opinione hominum alienum, is ô Chilo tuum illud Ne quid nimis seruans, modum in habenda derogandáque fide tenebit. Post hæc Anacharsis ita locutus est. Cùm rectè senserit Thales in omnibus præcipuis mundi partibus ac maximis animam esse, admiratione dignum non est quòd pulcerrima quæque diuino nutu efficiuntur. Corpus enim animæ, anima instrumentum est Dei. & sicvt corpus à sese multos habet, plurimos verò & optimos motus ab anima: sic rursum anima alia suopte instinctu agit, in aliis deo sese vtenti præbet dirigendam atque eius arbitrio mouendam, cum sit omnium instrumentorum pulcerrimum. Iniquè enim fuerit comparatum, si ignis instrumentum sit, & ventus, & aqua, & nubes, & pluuiæ, quibus multa Deus seruat & alit, multa perdit atque abolet: animalibus eum ad nullum prorsus suum opus vti. cùm rationi magis consentaneum sit animalia suspensa à vi diuina, ei subseruire, motúsque eius subsequi, quàm Scythis arcus, Græcis lyras & tibias obtemperare. Deinceps Cherſias poëta cùm aliorum mentionem intulit mirabiliter seruatorum, tum Cypseli qui pater Periandri fuit. eum enim, cũ missi occisum puerum admodum oblatum declinassent, pœnitẽtiáque ducti rursum quærerent, inventum non fuisse, cùm esset à matre in cypselam, id est cumeram, abditus. itaq; ædem etiam Cypselũ Delphis dedicasse, quod tunc temporis à Deo se inhibitum fuisse crederet

Anima corpus, animã deus mouet.

ne

ne vagiret, itáque lateret inquisitores. Tum Pittacus Periandrum alloquens: Bene, inquit, à Cherſia factum eſt, qui ædis iſtius mentionem propoſuit. Sæpenumerò enim ex te volui quærere cauſam rarum iſtarum, cur tam multæ ad fundum palmæ torno inſculptę ſint, ac qua ratione Deum dedicantémve attingant. Hìc cum Periander Cherſiam interrogandum diceret, cui notum id eſſet, vtpote qui in dedicatione adfuiſſet Cypſelo, ſubridens Cherſias: Non, inquit, priùs ego id explicauero, quàm ex his intelligam, quid ſibi velit eorum iſthuc Ne quid nimis, & Noſce teipſum, & (quæ vox multos à nuptiis, alios à fide interponenda deterruit, nonnullos planè mutos fecit) Sponde, præſtò noxa eſt. Quid verò, inquit Pittacus, neceſſe eſt tibi nos ea enarrare, cùm Aeſopi orationem de ſingulis iſtis compoſitam laudes? Et Aeſopus: Cherſias (ait) quoties mecum iocatur, iocatur autem ſeriò, Homerum iſtorum dictorum autorem facit. Hectorem enim ſui ipſius noticiam habuiſſe dicit, qui alios invadens,

Maiori tamen Aiaci concurrere cauit. Iliad. ϰ, 542.

& Vliſſem laudatorem huius ſententiæ, Ne quid nimis, ſic præcipere Diomedi:

Tydide, nimium neque me lauda, neq; culpa. Iliad. ϰ, 249.

Sponſionem autem alij putant eum traducere vt rẽ periculoſam & futilem, his verbis:

Pro prauis ſpondere equidem eſt res plena pericli. Odyſſ. θ, 351.

Cherſias autem noſter Aten ait propterea fuiſſe à Ioue de cœlo præcipitatam, quòd interfuiſſet ſponſioni de Herculis natalibus, qua Iupiter circumventus fuit. His ſubiecit Solon hæc verba: proinde pareamus ſapientiſsimo Homero, Iliad. τ, 126.

Iam nox inceſsit: nocti nos cedere uerum eſt. Iliad. ϰ, 282.

ergo libemus Muſis, Neptuno, Amphitritæque: eóque facto, niſi vobis contrà videtur, conuiuium

dissoluamus. Hic fuit, Nicarche, istius conventus finis.

PLVTARCHI
De superstitione libellus.

NScitia deorum atque ignoratio iam inde ab initio in duos quasi riuos dimanans, ab vna parte in duris ac refractariis ingeniis tanquam in aspero solo impietatem, quæ nullos putat esse deos, ab altera velvti in molli ac tenero solo superstitionem animis lenibus ingenerauit. Est quidem omnis falsa opinio, maxime de talibus rebus, perniciosa: cùm verò animi perturbatio adiungitur, pernicioſisima existit. Omnis enim animi perturbatiò, instar morbi est cum inflammatione coniuncti. & sicvt luxationes artuum humani corporis accedente vulnere, ita animi errores perturbatione comitante periculosiores sunt. Putat aliquis individua corpuscula & inane vniuersi esse principia: falsa est opinio, sed vlcus non gignit, neque palpitationem, neque dolorem lancinantem. Opinatur aliquis diuitias summum esse bonum: hic error venenatus est, animam depascitur, abalienátque, dormire non patitur, identidem exstimulat, de saxis præcipitat, strangulat, libertatem adimit. Sunt rursus qui virtutem & vitia corpori adsignant: fœdus profectò hic error, non tamen dignus deploratione & lamentis. Aliæ quædam sententiæ sunt ac opiniones, vt

Error cum animi perturbatione, exitiosus.

O misera uirtus, uerba tu cùm sis, ego
Tanquam rei nauaui operam tibi, —

omissa diuitias largiente iniusticia, & omnis voluptatis ferace intemperantia. huiusmodi opiniones cùm deplorandæ sunt, tum indignè ferendæ, quia vbi animo insunt,

insunt, ibi multos morbos multásque perturbationes vermium instar ac lumbricorum ingenerant. Proinde, vt de iis dicam de quibus institutus est nobis sermo vitiis, impietas prauè sentiens nihil esse beatum, nihil interitus expers, animo quendam videtur stuporem inducere negatione numinis, finisque non credendi deum esse, est metu vacare. Superstitionem Græci δεισιδαιμονίαν nominant: qua voce intelligitur opinionem de diis esse turbulentam, ac timorem incutere homini, quem consternat & deprimit, existimantem quidem esse deos, sed eos acerbos damnosósque esse putantem. Ac videtur is qui nullos putat esse Deos (quem impij voce intelligi volumus) nihil moueri numinis mentione: superstitiosus autem moueri quidem, sed perversè. illi enim ignoratio ne credat esse quod prodest cófert: huic, idipsum vt credat esse damnosum. Ergo impietas opinio est falsa, superstitio affectus animi ex errore ortus. Turpes quidē sunt omnes animi morbi, fœda omnia eius vitia. tamen alacritas quædam & elatio animi adest ob leuitatem, neque impetui ad agendum quicquam ferè decedit. hoc commune omnium animi perturbationum crimen est, quod ad agendum vi quadam incitant, rationémque vrgent & circumscribunt. Solus metus, cùm non minùs quàm audacia rationis sit expers, vacuitatem rationis habet segnem, ociosámq; & perplexam, animúmque perturbat & vincit territum: vnde metum δεῖμα, quasi ligamentum, Græci dixerunt. Neque verò vllus metus est qui perinde ab agendo abducat & hæsitare cogat, atque superstitio. Non metuit à mari sibi qui non nauigat: non bellum militiæ exsors, non latrones timet qui domi se continet, non sycophantam pauper, non invidiam plebeius, non terræmotum in Gallia, non fulmen in Aethiopia formidatur. qui deos metuit, omnia metuit, terram, mare, aërem, cœlum, tenebras, lucem, rumorem, si-

Impietatis & superstitionis comparatio.

Metus qualis affectus.

lentium, somnium. Obliuiscuntur herilium minarum serui dormientes, qui in compedibus sunt, iis vincula somnus alleuat: inflammationes, vulnera, sæua carnis & serpentia vlcera, doloréque acerrimi somno mitigantur.

Eurip. Oresta.

Morbi leuamen suaue, & oblectatio
Iucunda, somne, quàm tempestiuè mihi
Nunc obtigisti. — inquit ille. Hoc dicere non sinit superstitio. soli huic nullæ sunt per somnum inducię, neq; vnquá quiescere animum patitur, neq; se colligere eum acerbis & molestis de numine opinionibus dimotis: sed velvti in impiorum regione in somno superstitiosorũ simulacra terribilia, & visa monstrosa feruntur: & superstitio semper pœnas quasdam exercens, miserámq; exagitans animam somniis somno exturbat, à seipsa tanquam ab alio aliquo excarnificatam, durísq; & absurdis parentem mandatis. Postquá evigilauerunt, non contemnũt somnia sua, neque rident aut delectantur eo, quòd nihil eorum quibus turbati fuerunt verum sit: sed vmbram fugientes fraudis innoxiæ, re vera sese decipiunt, ac conturbant, sumtúsque faciunt in agyrtas atq; impostores incidentes, qui eis sic dicant:

Somnus superstitiosorum.

Si te nocturna uisa terruerunt,
Hecatę sue comesatio terrenæ:

vetulam voca quæ pistrino adsidet, & mari corpus merge tuum, ac per totum diem humi deside.

Hui, quàm mala iuueniſtis Græci barbara.

cœno contaminari, desidere in sterquilinio, sabbatum seruare, proiicere se in faciem, turpiter sedere, ritu alieno adorare superstitionis causa iubentes. Qui videbantur legitimam conseruare musicam, ij iusto ore citharœdos canere iubebant. Nos quoq; postulamus, vt recto & iusto ore Deum invocetis: neque in hostia quidem examinetis an pura sit & recta lingua, interim verò vestras ipsorũ linguas perverten-

vertentes & inquinantes, absurdis nominibus ac barbaricis vocibus fœdetis ac pervertatis diuinam atq; à maioribus acceptam religionis autoritatem. In comœdia quidam adversus eos qui spondas auro argentóve obducerent non ineleganter dicit, nõ debere eos sibi ipsis somnum sumtuosum facere, quem solum gratis dij nobis largirentur. idem possis superstitioso dicere, Somnum dij nobis dederũt requiem & obliuionem laborũ: cur tu eum tibi perpetuum redigis tormentum ac dolores miseræ animæ eo excitas, quæ alium ad quem confugiat somnum non habet? Heraclæti est, viuis vnum esse & communem omnibus mundum, dormientiũ quenque in peculiarem divertere. Superstitioso autem nullus est communis mundus. nam neque vigilans ratione recta vtitur, neque ab eo quod ipsum perturbat somno liberatur. sed dormit ratio, semper vigilat metus, fuga mali aut requies nulla datur. Terribilis fuit Sami tyrannus Polycrates, Corinthi Periander. nemo tamen hos timuit qui in liberã & popularí forma constitutã ciuitatẽ secessisset. Qui verò deorũ imperium tanquã tyrannidem metuit tetricã & inexorabilem, quô cócedat quô fugiat, quã terrã Dei expertem, quod mare inveniat? in quã mũdi partem penetrabis, ibíq; te abscondens, effugisse te Deum putabis miser? Lex seruis hoc largitur, vt libertate desperata vendi se postulent, æquioréque domino præsentem mutent. Superstitio deorum mutationem non relinquit, neque inveniet Deum quem non formidet, qui paternos & natalicios timet, qui Seruatores & Propicios metuit horrétque eos, à quibus petimus diuitias, copiam, concordiam, pacem, & verborum factorúmque optimum successum. Iam isti seruitutem pro calamitate habent, referúntque isthæc:

Beneficium legis in seruos.

Grauis uiro, grauis est mulieri calamitas,

Seruire sub dominis parum felicibus.

Quanto deteriorem putatis esse eorum sortem, qui metuunt quos evitare, à quibus profugere vel trás-ire non licet? Aræ sunt ad quas confugere tutò ser-uus possit, multa sunt, quæ à latronibus non violan tur templa, & qui hostem fugit, simulacrum aut fa-num tenens animũ recipit. Superstitiosus hæc ma-ximè timet & expauescit, in quibus spem habent re-positam qui extremorum malorum sunt in metu. Noli avellere templo superstitiosum: ibi enim pu-nitur atque excruciatur. Quid multis? Omnibus hominibus vitæ finis est mors: superstitioni ne ea quidem. profert enim hæc suos terminos vltra vitæ exitum, metúmque vita diuturniorem facit, anne-ctítque morti malorum cogitationem immortaliũ, etiam tum cum soluitur malis, ingredi se putans in mala nullum habitura finem. Orci nescio cuius portæ aperiuntur profundæ, & fluuij simul ignis, Stygíque panduntur riui, tenebræq; obducuntur visis multis refertæ simulacrorum adpectu terribi-lium, ac voces horrendas emittentium. tum iudices & carnifices, hiatúsq; & penetralia malis infinitis plena. Ita infelix superstitio id ipsum quod non pa-tiendo effugit, expectando sibi calamitosum red-dit. Nihil horum est in impietate. sed ignoratio da-mnosa, magnáq; animæ calamitas est cæcutire in tã-tis rebus, quæ noticiam Dei, de multis mentis ocu-lis longè lucidissimum excæcat. sed, sicvti dixi, per-turbationes animi, vlcera tumultus, & seruitus opi-nionem deorum sequuntur. Musicam ait Plato có-cinnitatis opificem hominibus à diis datam, non lu xus gratia & pruritus aurium: sed quoniam animi circuitiones turbulentæ & vagæ in corpore Musæ & gratiæ inopia, sæpenumerò incontinentia & er-rore luxuriant: vt rursum in ordinem eius opera re-digi possint. nam, vt Pindarus ait,

Superstitio morte non finitur.

Musica.

Quæ-

Quæcunq; Iupiter non dilexit,
Perturbantur uocem Pieridum audientia:

etenim efferantur, & indignantur. quomodo tigres aiunt circumsonantibus tympanis in rabiem agi, ita vt ad extremum seipsas dilanient. Minus igitur mali iis est, qui ob surditatem Musicam prorsus non sentiunt, neque ea quicquam afficiuntur. Infortunatus fuit Tiresias, quod videre liberos & amicos non potuit. infeliciores eo fuerunt Athamas & Agaue qui liberos videntes, leones & ceruos esse putauerunt. ac nimirum Herculi furenti vtilius erat præsentes filios neq; cernere neq; sentire, quàm carissimos ita vt hostes tractare. Quid ergo? non videtur tibi impiorũ affectus eo modo à sensu superstitiosorum differre? Illi omnino nullum agnoscunt numen, hi deos esse censent. illi negligunt: hi terribile opinantur quod benignum est, quod paternum est, & tutelarem curam gerit, ac sincerum est, tyrannicum, damnosum, & sæuum existimant. Ergo fabris æratiis, lapicidis, ac iis qui cerea sigilla fingunt credentes, humano corpori similia putant esse deorum corpora, ac talia fingunt adornántq; & adorant: philosophos autem & ciuiles viros despiciunt, qui deorum maiestatem docent cum bonitate, magnanimitate, benignitatéq; & procuratione esse cõiunctam. Ergo illi nimis sunt stupidi & fidem non habent bonis vtilibus: illi perturbantur, metuúntq; vnde vtilitatem percipere debebãt. omninóq; impietas stupor quidam est deos non sentiẽtium, neq; suum bonum agnoscẽtium: superstitio varios affectus animi procreat, bonum pro malo ducentis. Metuunt deos superstitiosi, & ad eosdem confugiunt, adulantur iis & malè dicunt, invocãt & incusant. Commune hoc omnium est hominum, non semper secunda vti fortuna. Dij enim morborum, senij, ærumnarúmque sunt expertes, & (vt ait Pindarus) effugerunt raucũ

Impij superstitiosis felíciores.

sonantis fretum Acherontis. res humanę aliàs aliter evenientibus temperantur casibus. Iam primùm in iis quæ contra animi sententiam cõtingunt mecum cõsidera quomodo sit affectus qui nullos credit esse deos. siquidem aliàs moderatus fuerit homo, tacitus fert fortunam suam, auxiliáque sibi & solatia cõparat: quod si iniquiùs eam fert, omnes suas querelas in fortunam & casum dirigit, vociferatúrque nõ iustè aut à providentia dispensari humanas res, sed omnia confusè ac promiscuè ferri atq; raptari. Non hic mos est superstitiosi. sed etiam si leuissimum aliquid acciderit malum, sedet mœrendo alios sibi difficiles affectus, magnósque & pertinaces affingens, vltróque sibi ingerens metus, ac terrores, suspiciones, trepidationes, omníq; luctu & gemitu percellitur. non enim hominem, fortunam, occasionem, seve accusat, sed omnia deo imputat: ab eo in se ingruisse ait fluxũ calamitatis diuinitus immissæ, neq; miserum se, sed diis exosum hominem à diis puniri, istáq; perpeti. quod non iniuria credit, ita animo affectus. Rursum impius ægrotans reputat memoriáque recolligit quoties cibo se nimio aut vino onerauerit, aut victus rationem conturbauerit, aut labore contentiore defatigauerit, tum aëris aut loci mutationes insolitas. Quod si in gerẽda rep. offendit, & à populo ignominia affectus, aut apud principẽ falso crimine delatus est, causã in seipso & suis perquirit,

Adversa vt ferant impij & superstitiosi.

Quæ prætergressus, quid gestum in tempore, quid non?

At superstitioso quævis & corporis invaletudo, & pecunię iactura, & liberorum mors, & in actionibus ciuilibus offensio aut repulsa pro diritate diuinitus invecta & insultu numinis habetur. itaq; non audet opitulari, aut corrigere casum, neq; mederi aut reluctari, ne videatur repugnare deo, eíque pœnam infligenti resistere. Si ægrotat, excluditur medicus: si in luctu est, arcetur philosophus consolatum veniens

niens. Sine, inquit, me pœnas dare, hominem impium & detestabilem, diis geniisque exosum. Hominis est deum esse ignorantis, vbi ingens dolor incessit, lacrymas abstergere, comam desecare, veste ponere. Sed superstitiosum alloquendi aut subleuandi nulla permittitur occasio. foris sedet amictus sacco, aut sordidis cinctus centonibus: sæpe etiam nudus in cœno se volutans, peccata quædam sua aut delicta eloquitur, quod aliquid ederit, biberítve, aut aliquò ambulauerit inuito numine. Si verò optimè cum ipso agatur, & superstitione laboret benigna, domi sedet, omnis generis sacrificiis circundatus. vetulæ enim ei tanquam paxillo, vt Bio dicebat, in quancunq; inciderint rem, eam pro amuleto appendunt. Teribazum ferunt, cùm à Persis comprehenderetur, stricto acinace, vt erat vir robustus, sese defendere aggressum, restantibus iis ac vociferátibus iussu regis se ipsum capere, statim abiecto ense manus ligandas porrexisse. Nónne id de quo disputamus, eodē modo habet? Alij repugnant rebus aduersis, eásque repellunt, & effugia sibi machinantur aversionésq; incommodorum. Superstitiosus verò nemine alio hoc dicente, ipse sibi denuncians, miserum se providētia iussúque diuino ista pati, omnem abiicit spem, prodit seipsum, aversatur opitulantes. Multa mala de mediocribus exitialia redegit superstitio. Midas ille priscus perturbatus quibusdam vt fertur somniis, animique anxius, eò pervenit mœsticiæ, vt poto tauri sanguine mortem vltrò sibi consciisceret. Aristodemus Messeniorum rex, in bello contra Lacedæmonios, cùm canes luporum instar vlulassent, & circa lares paternos agrestis herba enata esset, eáque signa arioli metuerēt, animum despondit, sibíque manus attulit. Ac ni fallor Niciam quoq; Athenienſiū ducem multo erat melius Midæ aut Aristodemi exēplo superstitione liberari, quàm metu vmbræ Lunæ delinquentis ocioſum ſedere,

Superstitionis exitialis exempla.

dum ab hostibus circumcluderetur, ac deinde XL millibus suorum partim occisis partim captis in potestatem hostium veniret, turpique morte periret. Nihil enim mali est, quod interiectu terræ Luna à Sole aliquando non illustratur, & in terræ vmbram Luna certis circuitionibus incidit. id miserum est, quod superstitionis caligini incidens homo ita confunditur, rationisque vsus eius excæcatur, cùm eum res maximè flagitant.

Fluctus cærulei iam mare concitant,
Et nubes rapidi præuia turbinis
In gyrum celeri uoluitur impetu:

Dij citra ignauiam invocandi.

hoc videns gubernator, votis quidem salutem expetit, ac deos Seruatores invocat: inter vota nihilominus clauum adducit, antennas demittit,

Atque inflata Noto carbasa contrahens
Obducto tenebris effugit è mari.

Hesiodus agricolæ præcipit, vt ante arationem atq; sationem stiuam tenens vota nuncupet Diti ac Cereri. Et apud Homerum Aiax singulari prœlio cum Hectore congressurus, Græcos iubet Deos pro se comprecari, ipse illis precantibus se armat. ac Agamemnon postquam pugnaturis præcepit,

Iliad. ζ, 193.

Iliad. β, 382 *Hastam quisq; acuat, clypeum q; fideliter aptet:*

tum demum Iouem sic precatur,

Ibid. 414. *Da Priami nobis euertere funditus aulam.*

virtutis enim spes, non timiditatis prætextus est Deus. At verò Iudæi sabbato desidentes ociosi, hostibus scalas muris admouentibus, murósque occupantibus nihil se mouerunt, sed superstitione tâquam reti capti se continuerunt. Talis est superstitio rebus & occasionibus voluntati nostræ non conuenientibus, & cum periculo coniunctis. Sed ne in iucundis quidem rebus præstat impio superstitiosus. quales sunt feriæ, epulæ ad templa, inuitationes, orgia,

orgia, votorum nũcupationes, & venerationes, quæ solent hominibus esse iucundissima. Hic si consideres impium, videbis eum insano diffluere cachinno, Sardonióq; ista risu ludere, & alicvbi ad familiares submissa voce dicere, vano fastu agi & insanire qui deos his rebus coli opinentur: præterea autem mali nihil eum habere. Superstitiosus autem cupit quidem, sed non potest gaudere aut delectari,

Vrbs tota cùm suffitibus referta sit,
Pæanibusq; gemitibus & suspiriis

anima superstioſi occupatur. pallet coronatus, sacrificans trepidat, tremente voce vota facit, manibus adolet titubantibus, omninóque ostendit nugatum esse Pythagoram, cùm diceret optimè nos habere cũ ad deos accedimus. tunc enim miserrimè pessiméq; affecti animo sunt superstioſi, non aliter quàm si ad vrsorũ caueas, aut draconũ foueas, ceterúmve specus irẽt, ad templa delubráq; deorum adeuntes. Itaque mirari mihi subit eos à quibus impietatis damnantur qui deos esse negant, & superstitio impietas esse non putatur. Atque Anaxagoras impietatis damnatus est, quòd Solem dixisset esse lapidem: Cimmerios nemo impios iudicauit, qui ne esse quidem vllum censent Solem. Quid ais? qui opinatur nullos esse deos, impius est? qui tales esse credit quales superstitioſus, non longè magis impiis opinionibus tenetur? Ego sanè malim inter homines de me hũc esse sermonem, nullum omnino esse Plutarchũ, quàm hoc dici, esse Plutarchum hominem inconstantem, mutabilem, pronum ad iram, vindictæ ob leuissimas causas cupidum, ob minima quæque indignantem: qui si vocandis ad cœnam aliis ipsum prætereas, aut occupatione impeditus ad eum non veneris salutatũ, mordicus arrepto tibi corpus exedat, aut filium abreptum excarnificet, aut belluam ad hoc educatam frugibus tuis immittat vastétque

Superstitiosos esse magis impios, quàm qui deos esse negant.

proventus telluris. Athenis cùm Timotheus caneret Dianam insanam, furiosam, diuino instinctu concitam, rabiosam, surgens de spectatoribus Cinesias cãtilenarum conditor, Talis, inquit, tibi detur filia. Atqui similia his atque etiam deteriora superstitiosi de Diana sentiunt * * neque his meliora de Apolline, Iunone, & Venere. omnes enim hos deos metuunt ac tremunt. Et verò quid tam cõtumeliosè dixit Niobe de Latona, quàm de hac credere fecit superstitio fatuos homines, scilicet eam maledicto iritatam sagittis confeciſſe miseræ Niobes

Iliad. ω, 604. *Sex natas, totidem natósq; ætate uigentes:*

adeò implacabilis scilicet erat, vt exsatiari alienis calamitatibus nequiret. quæ dea si re vera fel habebat, malósque oderat, & ferre maledicta nequibat, neque ridebat potiùs inscitiam ignorationémq; humanam: succensere profectò iis debuit, qui tantam ei acerbitatem sæuiciámq; falsò adscribunt, taliáq; de ipsa dicũt ac litteris mãdant. Obiicimus Hecubę immanitatem vt belluinam & barbaram, quæ dicit

Iliad. ω, 212. —*Vtinam medium iecur eius*
Nacta uorare queam. — At Syriam deam superstitiosi putant, si quis mænam aut apuam edat, eius crura corrodere, corpus vlceribus opplere, iecur colliquare. An ergo dicere de diis praua impium est, sentire non item? aut vocem potiùs improbam opinio facit maledicentis? certe enim ideò maledicta damnamus, quia signum sunt malevolentiæ, & qui malè nobis dicunt, eos pro inimicis habemus, vt infidos & malè de nobis cogitantes. Vides quid de diis sentiant superstitiosi? stupidos, infideles, mutabiles, vindictæ cupidos, crudeles, & qui minimis rebus offendantur eos esse putant. vnde necesse est superstitiosum & odisse deos & metuere. quid ni enim? cũ ab iis maxima sibi illata esse, illatúmq; iri mala existimet. iam qui Deum odit & metuit,

Superstitiosi deorum inimici.

metuit, eius est inimicus. Neque interim mirum est, quòd eos timens, adorat ac sacris veneratur, & ad templa assidet. Nam tyrannos quoque coli videmus & salutari, iisq; aureas statuas poni ab iis, qui tacitè eos oderunt & execrantur. Alexandrum Hermolaus demerebatur, stipator Philippi erat Pausanias, Chærea C. Caligulæ. sed horum vnusquisque inter assectandum dicebat,

Certè equidem pendes, modò sint uires mihi, pœnas.

Non credit Deos esse impius, superstitiosus nullos esse cupit, inuitúsque esse credit, non audens diffidere. quod si posset, sicvt Tantalus lapidem cupit à se remouere, superstitiosus opinionem suam (qua non leuiùs vrgetur) abs se proiicere, amplecteretur vtique & beatam duceret impij sententiam, vt liberalem. Nunc impius quidem superstitione vacat, superstitiosus autè animi instituto impius, imbecillior est quàm vt sentiat de diis quod vult. Præterea impius nusquam superstitioni causam aliqua ex parte præbet. superstitio & initium præbuit impietati, & ortæ patrocinium non iustum quidem aut honestum, tamen præscriptionis nõ exsors. Non enim in hanc sententiam homines venerunt vt Vniuersum diis carere putarent, quod in cœlo, sideribus, tempestatibus, conversionibus & motibus Solis circa terram, quibus dies & nox efficiuntur, aut alimentis animalium, frugúmve proventibus culpandum aliquid inordinatúmve viderẽt. sed ridicula superstitionis opera atq; affectus, verba, motus, prẽstigię, incantationes, circumcursitationes, tympanorum pulsationes, lustrationes impuræ, sordidæ castimoniæ, barbarica & iniusta in templis supplicia, ac contumeliæ occasionẽ exhibuerũt nõnullis dicẽdi, præstare nullos esse deos, quàm qui talia probent, iisq; delectentur, adeóque sint contumelioſi, sordidi, & morosi. Nónne enim magis expediebat Gallis istis & Scythis nunquam in mentem veniſſe aliquid

Superstitio impietatis origo.

de diis, nihílq; eos de vllo numine imaginatos fuisse aut auditu percepisse, quàm opinari deos esse, qui sanguine iugulatorum hominum gaudeant, idque esse perfectissimum sacrificium statuant? Nónne vtilius erat Carthaginensibus iam inde ab initio Critia vel Diagora ad cõdendas leges adhibito decernere nullum esse deum, nullum genium: quàm talia sacra facere, qualibus illi Saturno operabantur? vbi non, vt Empedocles ait reprehendens eos qui animalia sacrificant,

Mutata genitor iugulans sua pignora forma
Immolat, & uanis stultus ferit aera uotis:

sed scientes prudentésq; suos ipsi liberos sacrificabant, & quibus nulla erat proles, ij à pauperibus infantes tanquam agnos aut pullos auium ad eam rem emebant: adstabátque mater sine luctu aut gemitu, quem si ederet aut fleret, precio mulctabatur, & infans nihilominus mactabatur. & ante simulacrum omnia strepitu fistularum tympanorúmque oppleb antur, ne eiulatus mactati exaudiri posset. Quod si Typhones aliqui aut Gigãtes diis profligatis nobis imperarent, putásne alia eos sacrificia, alióve ritus fuisse desideraturos? Amestris, quæ Xerxis fuit vxor, Plutoni duodecim pro sese viuos homines defodit: quem quidem Ditem siue Haden Plato ait hoc nominis inde habere, quòd humanus cum sit, & sapiens, atq; diues, persuadendo ac sermone animas detineat. Xenophanes Physicus cùm videret in solennibus festiuitatibus plangere & eiulare Aegyptios, aptè eos sic monuit: Hi siquidem dij sunt, nolite eos lugere: sin homines sunt, nolite iis sacrificare. Cęterùm nullus est animi morbus tam multis erroribus perturbationibúsque scatens, ac tam inter se disidentibus & pugnantibus opinionibus refertus, atque superstitio. Fugienda itaque hæc est. non tamen eo modo, quo nónulli latronum aut ferarum insultum,

insultum, ignémve inconsideratè & imprudenter fugientes, incidunt in loca invia, vbi præcipitia sunt & voragines periculosæ. Sic enim quidam superstitionem fugientes, dum trâsiliunt in medio positam pietatem, in asperam pertinacémque incidunt impietatem.

PLVTARCHI

Liber, De scitè dictis regum ac imperatorum, qui Apophthegmata dicitur.

ARtoxerxes Persarum rex, Traiane Cæsar Imperator maxime, existimans non minus regiâ maiestatem decere & humanitatem parua benignè alacritérq; accipere, quàm magna largiri, cùm sibi iter facienti operarius quidam ac plebeius homo vtraque manu haustam è profluente aquam (quia nihil habebat aliud) obtulisset, hilari vultu accepit, munus non vsu rei oblatæ, sed studio dantis metiens. Et Lycurgus minimi sumtus sacrificia Spartæ constituit, vt Deos immortales honorandi semper in promtu esset copia. Eo consilio ipse quoque tenue tibi munus, ac strenam, & primitias philosophię communes cùm offeram, autoris iuxtà studium, & commentarij vtilitatem vt probes rogo, conducet enim ad perspiciēda ingenia institutáq; animi principum virorum, quæ magis in dictis eorum quàm actionibus elucent. Sanè aliud à nobis elaboratum opus continet illustrissimorum inter Græcos ac Romanos ducum, legislatorum, atque imperatorum vitas. Verùm enimverò pleræque actiones admixtam habent fortunam: quæ verò inter agendum, intérq; animi affectiones & eventa proferuntur voces atq;

Dictorũ & factorum discrimen.

pronunciata, purè tanquam in ſpeculis contemplãdum vniuſcuiuſque animi ſenſum proponunt. Ac Seramnes etiam Perſa admirantibus quòd cùm ſermone vteretur prudenti, actiones tamen ipſius ſucceſſu diſtituerẽtur, dixit: Se in ſua poteſtate oratio- nem habere ſuam, in actiones ſuas fortunæ ac regi ius eſſe. Cæterùm in eo quod dixi opere dicta vnà cum factis cõmemorata, auditorem ſtudio cognoſcendi captum, ſed eundem ocio fruentẽ exſpectãt. hîc ipſos pro ſe collectos ſermones tanquam vitarũ iudicia & ſemina legendi tempus arbitror tibi non fore moleſtum: cùm breui eius ſpacio poſsis multos homines memorabiles conſiderare.

Perſæ advnco naſo præditos amant, pulcerrimóſque eos iudicant. quòd tali forma fuit CYRVS, quo neminem regum ij maioris fecerunt. Is dixit, qui ſibi ipſis nollẽt, eos cogi aliis commoda parare. Item: magiſtratu dignum non eſſe quenquam, qui non ſit melior ſubditis. Cùm Perſæ vellẽt pro ſua regione, montoſa ea & aſpera, aliam planam & mollem occupare, prohibuit: quòd diceret & ſtirpium ſemina, & hominum mores locis adſimilari.

Locus mores mutat.

DARIVS Xerxis pater laudans ſeipſum, dicebat ſe in prœliis & periculis eſſe ſolito prudentiorem. Cùm tributa imponeret ſubditis, proceres provinciarum evocatos interrogabat an ea eſſent grauia. cúmque reſponderent eſſe mediocria, dimidium eius quod propoſuerat ſingulos pendere iubebat. Aperto grandi malo punico, interrogatus, cuius rei tantam ſibi optaret multitudinem, quanta eſſet granorum eius mali, reſpondit: Zopyrorum. erat autem Zopyrus amicus regis, & vir bonus. Is Zopyrus cùm ſeipſum naſo & auribus amputatis fœdaſſet, deceptiſq; hac fraude Babyloniis, rebus ab iis præfectus vrbem Dario prodidiſſet: ſæpenumero Darius dixit, Malle ſe integrũ habere Zopyrum, quàm CBabylonibus potiri.

Liberaliter.

SEMI-

SEMIRAMIS cùm ipsa sibi sepulcrum cõdidisset, inscripsit hæc: Si quis rex pecunia indiguerit, is recluso hoc monimento, sumat quãtum volet. Darius aperto eo, nullam invenit pecuniam, sed in aliam incidit inscriptionem, cuius hic erat sensus: Nisi malus fuisses homo, & pecuniæ insatiabilis, nunquam sanè loculos mortuorum invasisses. *Semiramis.*

Arimenes cum fratre suo XERXE Darij F. de regno contendens, è Bactriana descendebat. Ei Xerxes dona misit, ministris mandans, vt significarent his eum à fratre in præsentia affici, qui si regnũ obtineret, primã ei apud se statuerit dignitatem, summámque potentiam deferre. Xerxe rege renunciato, statim coram eo Arimenes genua flexit: Xerxes autem eum à se fecit secundum. Idem Xerxes iratus Babyloniis ob defectionem, cum eos in potestatem suam redegisset, interdixit armorum gestatione, iussitq; fidibus & fistulis canere, lenocinium & cauponam exercere, ac tunicas gestare sinuosas. Ficus Atticas negauit se comesturum vænum allatas: sed tum, cùm potitus fuerit terra eas producente. Cùm in exercitu deprehendisset Græcos exploratores, iussit exercitum tutò perspicere, illæsósque dimisit. *Mollicies.*

ARTOXERXES Xerxis F. Longimanus cognomẽto, quòd alteram manum haberet longiorem, dicebat Magis regium esse addere, quàm detrahere. Hic primus in venatione sociorum iussit eum qui vellet ac posset, primum coniicere telum. Idem primus instituit, vt cùm principes viri supplicio afficerentur, non corpora sed vestes quibus se exuissent flagellarentur, & non crines capitis evellerentur, sed tiara deponeretur. Satibarzani cubiculario iniustum aliquid à se petenti, cùm intelligeret hoc fieri impetrandorum trigesies CID Daricorum gratia, eam pecuniam à quæstore iussu suo allatam tradidit, inquiẽs: Accipe Satibarzana. hoc enim largitus, *Supplicia.*

nihilo pauperior fuero: isthuc verò si feciſſem, eſſem iniuſtior.

Magnificè. CYRVS minor cùm Lacedæmonios ad ſocietatem belli hortaretur, dicebat ſe fratre eſſe cordatiorem, plúſque meri illo bibere poſſe ac meliùs ferre: illum in venatione difficulter in equo, terrore oblato ne in ſolio quidem manere. Hortabatur vt ſibi viros auxilio mitterent, promittens ſe peditibus equos, equitibus currus, iis qui villas poſsiderēt pagos, qui pagos his vrbes daturum, & argentum atque aurum non numero ſed pondere largiturum.

Humanè. Huius frater ARTOXERXES, Mnemon (id eſt Memor) cognomine, non tantùm compellantibus liberaliſsimè vacabat, ſed & vxorem ſuam iubebat pilenti aulæa dimouere, vt poſſet ab iis qui vellent compellari in via. Cùm ei pauper quidam pomum eximiæ magnitudinis obtuliſſet, hilare accepto eo: Per Solem, inquit, videtur hic mihi commiſſam ſibi vrbem de parua magnā redacturus. Cùm impedimenta eius quadam in fuga eſſent direpta, ficus comedens aridas & hordeaceum panem, Quantæ, ait, voluptatis imperitus fui.

Sobriè.

Regum colloquia. PARYSATIS Cyri & Artaxerxis mater, eum qui liberè cum rege colloqui vellet, byſsinis iubebat vti verbis.

Aulici. ORONTES regis Artaxerxis gener ignominia à rege irato affectus ac damnatus dixit: Quemadmodum digiti rationes ſupputantium modò CCIOO, modò vnitatem repræſentant: ita regum amicos aliquando ſummo, mox infimo haberi loco.

In maledicum. MEMNON, qui Darij exercitum adverſus Alexandrum duxit, militem quendam mercenarium ſuum, qui multis & impuris conviciis Alexandrum proſcindebat, lancea feriens: Ego, inquit, te alo non vt maledicas Alexandro, ſed vt contra eum pugnes.

Iuſta iudicia. Aegyptiorum reges legem ſuam quandā ſeruant, qua iuramento obſtringunt iudices, vt rege ipſo iniuſtam

iustam flagitante sententiam, ei morem non gerant.

POLTIS Thraciæ rex, cùm bello Troiano ad ipsum simul & à Troianis & à Græcis venissent legati: Paridi suasit, vt Græcis Helenam redderet, se ei daturum duas formosas feminas pollicens. *Liberale cõsilium.*

TERES Sitalcæ pater dicebat, se cum in ocio esset & à militia vacaret, nihilo meliorem suis equisonibus sibi videri. *In ocium.*

COTYS eum, qui panthera ipsum donauerat, leone remuneratus est. Hic cùm natura iracundus, acerbéque in ministrorum delicta animadvertens, cùm hospes quidam fictilia ei vasa attulisset tenuia & fragilia admodum, alioquin elegãter ac subtiliter sculpturis cælaturísque adornata: hunc quidem donis affecit, sed vasa ista omnia confregit, quòd vereri se diceret, ne ministros, ea si confringerent, sæuiùs puniret. *Iræ declinatio.*

IDATHYRSVS Scytharũ rex, cùm expeditionem aduersus ipsum Darius fecisset, Ionum regulis suasit vt ponte quo Ister instratus erat soluentes iugum Darij excuterent. cúmque ob fidem Dario datam id recusarent, proba & ignaua eos vocauit mancipia.

ATEAS Philippo sic scripsit, Tu Macedonibus imperas, hominibus bellandi peritis. Ego Scythis, qui etiam aduersus famem sitímque pugnare norunt. Equum porrò strigili purgans, legatos Philippi interrogauit, an hoc quoque rex ipsorum faceret. Ammoniam tibicinem præstantissimum cùm cepisset, canere iussit. mirantibúsque reliquis, iurauit se maiore cum voluptate audire hinnitum equi.

SCILVRVS moriturus, cum XXC filios post se esset relicturus, fasciculum hastilium singulis porrexit, ac confringere iussit. cùm nullus id præstare posset, ipse singulatim fasci vnum post alterum eximens fregit. docens eos, iunctos quidem inter se, vires habituros ac perduraturos: sin verò disiungerentur & *Concordia.*

discordiis agitarent, infirmos fore.

Pie. GELO tyrannus Carthaginiensibus ad Himeram debellatis, pacem componēs cum victis, coëgit eos inter conditiones pacis hanc quoque adscribere, Ipsos in posterum liberos Saturno nunquam immolaturos. Sæpenumerò ad culturam agrorum tanquā in militiam Syracusanos hic eduxit, vt & regio cultu melior redderetur, neque ipsi ocio corrumperentur. *Ocium.* Cum pecuniam ipso poscente ciues tumultuarentur, mutuam se petere dixit, bellóque confecto reddidit. Cùm in conviuio lyra circunferretur, eámque conviuæ ordine componerent atque canerent, ipse equum iussit adduci, & in eum facilè atq; expeditè insiluit.

Libertas dicendi. HIERO, qui in tyrannide Geloni successit, nemi-
Arcana. nem dixit sibi intempestiuum esse qui liberè adversum se loqueretur. Qui arcanum enunciarent, eos facere iniuriam dicebat iis quoque, quibus id patefacerent. quòd non modò eos qui efferunt, sed hos
Castè. quoq; odimus qui inaudiunt quæ nolumus. Expro-
brauerat ei quidam oris fœtorem. itaq; vxorem suā culpauit, quòd nunquam id sibi indicasset. illa verò ita se excusauit, quòd diceret, Se putasse omnes viros hoc modo olere. Xenophani Colophonio ægrè
Homerus. se duos seruos alere querenti, Atqui Homerus, in-
quit, quē tu traducis, mortuus etiā amplius CCIOO alit. Epicharmum poëtam mulctauit, quòd is indecorum quippiam vxore præsente dixisset.
Pudicè.

Ominis cor rectio. DIONYSIVS senior cùm oratores publici sorte legerentur, ipsiq; littera M obtigisset, dicenti Morologus eris (id est, stultas orationes habebis) respondit: Imo monarcha siue tyrannus ero. habitāq; oratione statim est à Syracusanis imperator creatus. Initio statim tyrānidis cùm oppugnaretur à ciuibus coitione facta, amicíq; hortarētur vt dimitteret imperium potiùs quàm captus necaretur: cernens bouem à coquo iugulari ac celeriter corruere, Nónne,

ne, inquit, indignũ est nos metu mortis tam breuis tantum deserere imperium? Filium, quem successorem tyránidis erat habiturus, vbi depræhendit viri liberi vitiasse vxorem, iratus interrogauit, Ecquid talis facinoris ipsi esset conscius. cúmq; ei respõderet adolescens, Tu non habuisti tyrannũ patrẽ: neq; tu, inquit, filiũ habebis tyrannũ, si sic pergas. Rursus cum in eius conclaue intrasset, poculorúmq; aureorũ & argenteorũ multitudinẽ ibi offendisset, exclamauit: Non est in te tyrannidis capax ingenium, qui tot à me acceptis poculis nullo eorũ ad parandũ tibi amicum vsus es. Pecuniam cùm exigeret à Syracusanis, viderétq; eos lamẽtari, ac deprecari, & inopiam prætendere, nouam instituit exactionem, ídq; bis térve fecit. cùm autem denuò imperás tributũ, ridere eos audiuit, & in foro ambulantes falsè dicta in ipsum iácere, finem fieri iussit, dicẽs: Nunc nihil ipsis est reliquũ pecunię, quãdo nos contemnũt. Matre, cuius præterierat iam ad nubendũ ætas, marito se dari postulante: Ego, inquit, ciuitatis legibus vim facere possum, naturę legibus nequeo. Cùm maleficia reliqua acerbè vindicaret, vestiũ furibus solis pepercit, vt Syracusani cogerentur aliquãdo finem conuiuandi & sese invicem inebriandi facere. Hospes quidam seorsim dicebat indicaturum se ipsi rationem ac docturum quomodo insidiantes sibi prænosceret. iussúsque dicere, Da, aiebat, mihi talentũ, vt videaris percepisse indicia insidiantium. dedit ei hoc Dionysius, simulans ea se cognouisse, miratúsque est hominis astum. Interrogatus à quodam, ociosúsne esset: Istuc verò, inquit, absit vt vnquam mihi contingat. Inaudiuerat duos adolescentes de ipso & tyrannide multa contumeliosè locutos esse inter pocula. vtrunque ad cœnam vocauit. quorum cùm alterum videret in vino multa inepti re atque effutire, alterum rarò & cautè bibere: hunc vt malevolum & instituto animi hostem interfecit:

Cupiditas imperij.

Diuturnitas eius.

Liberaliter.

Astutè.

Ingenuè.

Callidè.

Callidè.

Vinum.

illum vt natura futilem & per temulentiam conviciatum dimisit. Reprehendentibus quibusdã quod ornaret & eveheret malum ciuibúsq; invisum homi nem: Etenim (inquit) volo esse aliquem, qui me magis exosus sit. Corinthiorum legati munera quæ iis offerebat, recusauerunt legis respectu, quæ dona à principe sumere prohibebat. eos indignam rem dixit facere, qui quod vnum bonum est tyrannidi, abo leant, doceántque beneficia etiam tyrannorum esse formidanda. Audiuerat quendam ciuium habere aurum domi defossum: id sibi eum adferre iussit. cúmque is paululum suffuratus in aliã migrasset vrbem, fundúmque ibi emisset, revocatum iussit reliquum omne aurum ad se recipere, neq; porrò rem vtilem invtilem facere.

Tyrannorũ dona.

Pecunia.

Dionysivs Iunior alere se aiebat multos sophistas, non quòd eos magni faceret, sed quod propter eos vellet in admiratione esse. Polyxeno dialectico dicenti, ego te redargui, respondit: nimirum verbis. ego autem re ipsa te convinco: tuis enim rebus dimissis, me & mea sectaris. Exutus tyrannide, ei quidem, qui quid vtilitatis Plato & philosophia contulisset interrogabat, respondit: vt tantam mutationem æquo possem animo ferre. Quæréti autem, quî factum sit, vt pater ipsius pauper & plebeius imperium in Syracusanos obtinuerit, ipse tyrannus & tyranni filius eam amiserit: pater (inquit) meus ad res gerendas se contulit cùm popularis reip. status esset in odio, ego, cùm tyrannidi invideretur. Alteri hoc ipsum scisciranti respondit, paternæ se non fortunæ, sed tyrannidis relictum hæredem.

Mercenarij philosophi.

Philosophia.

Hæreditas.

Virtus.

Agathocles filius fuit figuli. Is rex & dominus factus Siciliæ, fictilia pocula interserere solebat aureis, eáque demonstrans adolescentibus dicere, Industria se & fortitudine hoc consecutum vt aurea nunc faceret qui lutea finxisset anteà. In oppugnatione vrbis cuiusdam nónulli de muris eũ conviciis impe-

impetiuerunt, Figule, dicentes, vnde militibus persolues stipendia. placidus ipse, & subridens, Hanc, inquit, si cepero. expugnatáque vi vrbe cum venderet captiuos: posthac, inquit, si mihi maledicetis, cũ dominis vestris exposstulabo. Accusabant Ithacẽses ipsius nautas, quod ad insulam appellentes nonnihil pecoris abstuliſſent. atqui inquit Agathocles, cùm ad nos veniſſet rex vester, non ouibus tantùm ablatis, sed excæcato insuper pastore abiit. *Salsè.*

Dio, qui Dionysium tyrannide eiecit, audiens à Callippo sibi insidias parari, cui omnium amicorum hospitúmq; maximè fidebat, inquirere noluit, quòd diceret moriendum potiùs esse quàm viuendum, vbi non ab hostibus modò, sed etiam ab amicis sibi esset cauendum. *Vita in metu misera.*

Archelavs in conuiuio quodam poculum aureum petente, familiari quidem, sed improbo, Euripidi id iussit puerum dare. tu quidem dignus es qui flagites, inquiens: Euripides autem etiam tacens id accipere meretur. A garrulo tonsore interrogatus quomodo tonderi vellet, Tacente, inquit, te. Cùm Euripides formosum Agathonem in cõuiuio ample cteretur atq; oscularetur iam pubescentem: ad amicos dixit, Nolite mirari. pulcrorum enim etiam post autumnũ durat pulcritudo. Timotheus citharœdus minus sua exspectatione donum ab eo acceperat, & haud obscurè incusabat, & aliquando cantans incisum istud, Tu terrigenum argentũ laudas, in Archelaum torqueret: subiecit Archelaus: Tu verò id postulas. Aqua à quodam perfusus, amicis aduersus hominem instigantibus: atqui, inquit, non me is perfudit, sed eum quem me putauit esse. *Euripidis laus.* *In garrulũ.* *Salsè.* *Humanè.*

Philippvm Alexãdri patrem Theophrastus tradit non maiestate modò regni aliis regibus præstitisse, sed fortuna etiam, moribúsque & moderatione. Is Philippus Atheniẽsium laudabat fortunas, qui quotannis decem imperatorum deligendorum co-

piam haberẽt: se dicebat intra multos annos vnum
Nemesis. modò ducem reperisse Parmenionem. Cùm vna die
multis de prosperis eventis nũcij ei adferrentur, O
fortuna, exclamauit, pro tot tantísq; bonis paruum
aliquod mihi retribue malum. Postquã Græcos de- 5
vicit, non defuerũt qui ei suaderent vt vrbibus prę-
Humaniter. sidia imponeret. respondit autem, malle se diu ben-
gnum, quàm exiguo tempore dominum perhiberi.
Maledici vt tractandi. Maledicum iubentibus amicis eiicere: non, inquit,
faciã, ne circumiens apud plures nobis obloquatur. 10
Deferebat Smicythus Nicanorẽ, vt qui semper Phi-
lippo verbis detraheret: putabántq; amici accersen-
dum esse hominem, & supplicio afficiendum. tum
Philippus: profectò ait, Nicanor nõ est deterrimus
Macedonum, considerandúmq; est ne penes nos a- 15
liqua sit culpa. cognitóque Nicanorem graui premi
inopia neglectum à se, dono aliquo iussit affici. rur-
sum inde Smicytho narrante, miris regem laudibus
à Nicanore passim ferri, Videtis, inquit, in nostra es
se potestate vel bene vel malè audire? Athenienśium 20
oratoribus gratiam aiebat se habere, quòd crebris
conviciis meliorem se redderẽt. nam conari se cùm
verbis tum factis suis eos mendacij convincere. In
pugna ad Cheroneam Athenienses quotquot erant
capti, gratis dimisit. qui cùm præterea vestimenta & 25
In ingratos. stragula reposcerent, Macedonibúsq; crimina inten
tarent, ridens Philippus, Nónne, inquit, vidẽtur vo-
bis putare Athenienses, talorum lusu se esse à nobis
victos? Clauicula in bello fracta, cùm medicus cuius
opera in ea sananda vtebatur, quotidie aliquid po- 30
Salsè. sceret, Accipe, ait, quantum lubet: habes enim clau
culam. Duo erant fratres, Vterque & Altervter. de
quibus hunc cùm videret prudentem & rebus agen
dis aptum, illum fatuum ac stolidum, Altervter, in-
quit, Vterq; est, Vterq; autem, neuter. Consulentes 35
Scitè. vt acerbè Athenienses tractaret, absurdè sentire di-
xit, qui tot tantáque gloriæ causa agentem ac tole-
rantem

rantem iuberent gloriæ theatrum evertere. Iudex inter duos malos cõstitutus, alteri vt è Macedonia abiret, alteri vt eum persequeretur imperauit. Opportuno loco castra positurus, cum audiret ibi non esse pro iumentis alimenta: Qualis tandem, inquit, est vita nostra, qui etiã ad asinorum commoda eã cogimur dispensare? Castellũ quodpiã munitum occupare statuerat: ibi exploratoribus referẽtibus planè expugnari non posse: éstne, ait, adeò inaccessum, vt eò aurũ portans asinus nó possit pervenire? Lasthenes Olynthius & socij indignabantur, conquerebãturq;, quòd nõnulli de Philippi comitatu proditores ipsos appellarent. ad hæc Philippus, Rudes & agrestes homines esse Macedones, at solere ligonem ligonis nomine afficere. Filium hortabatur, vt in colloquio cum Macedonibus gratiã captaret, comitatéq; sibi, dum alius regnaret, multorum animis conciliandis potentiam pararet. Eidem consuluit, vt de iis qui in ciuitatibus largiter possent & bonos & malos sibi amicos faceret, illísque vteretur, his abvteretur. Philoni Thebano, cuius hospitio vsus erat atque beneficia expertus cum obses Thebis ageret, nullum munus suum admittenti: Noli, inquit, opinionem invicti adimere mihi, dum benefaciendo & demerendo te reddar inferior. Multos bello captos aliquando sub hasta vendebat, indecẽter sedens tunica reducta. inter mancipia tum quidam exclamauit, Parce mihi Philippe, ius enim amiciciæ tibi paternum est mecum: quærentíque Philippo occasionem & modum huius amiciciæ, explicaturum se dixit, si propiùs admitteretur. adductúsque aliquantulum vt demitteret lænã monuit: nunc enim ipsum turpiter sedere. dimittite hũc, ait Philippus. verè enim, id quod ignorabam, bene mihi vult, & amicus est. Iter faciens, ab hospite quodam inuitatus ad cœnam multos secum adduxerat: quem vbi perturbari vidit, quòd nõ satis esset apparati, misit ad singulos

Gloriæ studium.
In malos.
Vita.
Pecunia.
Liberæ voces.
Comitas.
Callidè.
Liberaliter.
Gratus animus.
Callidè.

qui placentæ locum relinquere eos iuberent. iisque obtemperantibus, & ob placentæ expectationē parciùs edētibus, cœna omnibus suffecit. Mortuo Hipparcho Euboënse, dolorem quem morte eius ceperat non obscurè tulit. cúmq; illum quidam diceret tempestiuè vita defunctum: Sibi quidem, inquit, mihi verò præmaturè, cuius obitu præventus sum, ne dignam ei sua amicicia referrem gratiam. Incusari se ab Alexandro audiens, quod filios ex pluribus susciperet mulieribus, ita eū refellit: Quin tu multos nactus de regno tecum certaturos, virtuti operam da, vt eo nō propter me, sed propter te potiaris? Iussitq; eum Aristoteli animū advertere & philosophari, ne, inquiens, multa talia facias, ob quæ ego commissa pœnitudine moueor. Antipatri quendam amicum in iudicum collegium cooptauerat. sentiés autem eum barbam capūtq; tingere, remouit, quòd diceret fidelem in negociis tractandis eum se non censere, qui mala fide crines tractaret. Iudicio præerat Machætæ cuiusdā, dormitánsq; nō obseruabat quibus ille iuribus se tueretur, ideóq; damnabat: tū exclamante Machæta se provocare, iratus, Ad quē, inquit, provocas? ad te ipsum, ait ille, ò rex, siquidē vigilās & attentus audias. Ibi excitatus Philippus cùm ad se rectiùs rediisset, sentirétq; iniuriam Machætæ fieri, non rescidit quidem sententiā, sed mulctā reo imperatam de suo persoluit. Rogatus ab Harpalo, vt pro quodam ipsius cognato ac familiari iniuriarū quarundam reo mulctam dependeret, eúmq; causæ cognitioni subtraheret, ob quam videbatur reus seruonibus hominum vapulaturus: Præstat eum, respondit, quàm nos malè audire. Indignè ferentibus amicis, quod ipsum Peloponnesij, de quibus erat bene meritus, Olympiaca festiuitate exsibilarent: quid ergo, inquit, facient si maleficium à nobis accipiāt? Cùm in expeditione quadam diutiùs dormiuisset, à somno exsurgens, Tutò se dormiuisse dixit, vigilāte interim

Grati. Magnanimiter. Philosophia. Seuerè. Iustè. Prudenter. Magnanimiter.

interim Antipatro. Rursum dormiente interdiu ipso, Græcísq; qui ad fores convenerant indignantibus & culpantibus, Parmenio dixit: nolite mirari quod nunc dormit Philippus: vigilabat enim idem vobis dormientibus. Fidicinem quendam in cœna volebat corrigere, ac de pulsandis neruis differere. ille autem, absit verò à te, rex, ista calamitas, vt me meliùs isthęc tu noris. Quo tempore cum Olympia de & filio dissidebat, venit ad eũ Demaratus Corinthius. Is à rege interrogatus quàm bene inter se cõveniret Græcis: nimirum, respondit, de Græcorum concordia tibi est inquirendũ, intimis tuis hoc modo tecum consentientibus. his ille verbis ad rem rectiùs perpendendam excitatus, posita ira in gratiam cum suis rediit. Anus quædã inops sæpenumerò petiuerat vt causam suã disceptaret, ac interturbabat frequenter. respondente Philippo, non vacare sibi, subiecit: noli ergo regnare. quod ille dictum admiratus, non illam modò, sed & alios statim audiuit.

Antipater.

Liberè.

Aliena curans.

Regis officium.

ALEXANDER puer etiamnum, Philippo multas præclarè gerente res, non est gauisus, sed pueris qui vnà educabantur dixit, Pater mihi nihil faciet reliquum, cúmq; responderent patrem ipsi ista parare, Et quorsum, inquit, proderunt, si posideam multa, agam nihil? Quia agilis erat & celer pedibus, hortabatur eum pater vt ludis Olympiis stadiũ curreret. facturum se respondit, si cum regibus certandũ cursu foret. Adductam ad se iam nocte facta puellã quæ vnà cubaret, interrogauit cur tam serò veniret. quæ cum respondisset præstolatam se dum maritus somno se daret: acerbè increpauit famulos, quòd parum abfuisset, quin ipsorum culpa adulter fieret. Diis adoleti liberaliùs, ac sæpe thus corripienti adstans Leonidas pædagogus, Sic, inquit, largiter tibi, fili, adolendum erit, vbi thuriferam regionem in tuã redegeris potestatem. Alexander ea potitus, per litteras eum sic compellauit: Talenta aliquot thuris &

Gloriæ Studium.

Regius animus.

Castè.

Magnificè.

casiæ tibi mitto, vt me thuriferæ etiam regionis dominum factũ sciens, sordidus erga deos esse desinas. Prœlium ad Granicũ commissurus, Macedones hortatus est, vt largiter cœnarent, omniáq; in medium conferrent: quippe cras hostium opibus cœnam instructuri. Amicorum quodam Perillo dotem filiabus Petentí, L talenta obtulit. cúmque is sufficere x *Magnificè.* diceret, Tibi, inquit, accipere tantum satis est, mihi dare non item. Dispensatorem iusserat Anaxarcho philosopho dare quantum poscceret, cúmque is eum c talenta petere diceret: Rectè, inquit, facit, qui intelligit se habere amicum, qui tantum dare & possit & velit. Mileti conspicatus multas statuas athletarũ qui Olympia & Pythia vicissent, Vbi, inquit, ista tũ erant corpora, cùm barbari vrbem vestrã oppugnarent? Regina Cariæ Ada cibos & bellaria curiosissimo apparata à cupediariis & coquis artificio subinde ad ipsum studio quodã ostentandi mittente: *Frugaliter.* Meliores sibi esse dixit coquos, iter nocturnũ quo prandium, & parcitatem prãdij qua cœnam sibi suauem redderet. Omnibus ad pugnam paratis, cùm interrogarent duces ecquid præterea mandaret: Nihil, *Barba.* inquit, quàm vt menta Macedonũ radantur. cúmq; miraretur Parmenio, An, ait, ignoras in pugna nullibi faciliùs virum quàm barba apprehendi? Cùm Darius CCIↃↃ talenta offerret, Asiæque fructus æquali portione secum percipiendos, ac Parmenio dixisset accepturum se conditionem si Alexandri loco esset: & ego me hercle, subiecit, si Parmenio essem. Dario autem respondit, neque terram duos soles, neque Asiam duos reges sustinere. Dimicaturũ *Magnificè.* iam ad Arbela de summa rerum, cùm quidem hostis *1000000.* in aciem CCCCIↃↃↃↃ virorum eduxisset, accesserunt amici de militibus conquerẽtes, quòd ij in tentoriis colloquia agitarent, componerẽtq; inter se totam se in suum lucrum versuros prędam, nihilque inde in ærarium regis illaturos: tum subridens Alexander:

xander: Bona,inquit, nunciatis. audio enim colloquia hominum non fugere sed vincere paratorum. Multi tum ad eum accesserunt milites, bono esse animo iubentes,neque multitudine hostium terreri, qui ne axillarum quidē ipsorū fœtorem essent substituri.Explicatis iam aciei ordinibus,militem quēdam videns amento hastile aptare,è phalange vt inutilem eiecit,qui tum demum arma pararet, cùm iis esset vtendum. Epistolam quandam à matre allatam quæ arcana & quasdam adversus Antipatrum crimi nationes cōtinebat,legens vnà pro more inspiciente Hephæstione,non vetuit:sed epistola pellecta digito manui suæ detracto,Hephæstionis ori sigillum imposuit.In templo Ammonis ab antistite Iouis appellatus filius,dixit,Non esse hoc mirum. Iouem enim qui natura omnium sit pater, optimos suorum filiorum nomine dignari. Iaculo crus ictus, multis concurrentibus eorum qui ipsum sæpenumerò solebāt Deum salutare ,renidēte vultu , Hoc quidem, inquit,sanguis est,vt videtis,non ille

Apparatus vsum præcedat.

Arcanum.

Magnus animus.

Humor,qui superūm manat de corpore diuūm. *Iliad.ε.340*

Laudantibus nonnullis Antipatri frugalitatem, qui austerè & sine luxu viueret : foris, inquit,Antipater albo panno prætextus, intus totus est purpureus. Hyeme in magno gelu exceptus conviuio ab amico quodam,cùm is focum ignémque exiguum intulisset,aut ligna eum,aut thus adferre iussit.Antipatridas formosam psaltriam adduxerat in conviuium: ea visa commotus Alexander , Númnam , inquit, eam tu amas ? confesso , Impure , ait , quin tu eam è conviuio educis?Pythonem Euij tibicinis amasium Casander vi osculabatur. quod cùm videret molestè Euium ferre Alexander, iratus adversus Casandrum exsiluit,vociferans : per vos etiam amare non licet quenquam.Cùm ad mare dimitteret Macedonum quotquot ægroti aut mutilati essent,monstratus ei quidam est qui rectè valens inter ægrotantes

In simulatorem.

Amoris fautor Alexander.

tamen nomen suum retulerat. Adductus in conspectũ Alexandri & examinatus, fassus est se hoc prætextu vsum ob amorẽ Telesippæ ad mare proficiscẽtis. quæsiuit rex, quis huius nomine conueniendus esset: cúmq; liberam esse comperisset, Proinde, inquit, mi Antigenes, persuadeamus Telesippæ vt nobiscum maneat. liberam enim cogere nõ est nostrũ.

Mercenarij milites. Cum Græcos qui mercede apud hostem militabãt viuos in potestatem redegisset, Athenienses iussit in compedibus adseruari, quòd æra mererent alimentis è publico suppeditantibus: itémque Thessalos, quòd agrum, quem possiderent optimum, non colerent, Thebanos missos fecit, quòd his solis diceret se neq; vrbem neq; agrum reliquũ feciſſe. Ex Indis celeberrimum arte sagittãdi, & qui traiicere sagittã per annulũ diceretur, cùm cepisset, artis suæ specimen edere, recusantémq; ira motus necari iussit. is cùm ad supplicium duceretur, dicebat ducentibus se exercitationem multisiã diebus intermisisse, ideóq; metuisse ne aberraret. quod vbi Alexãdro renuntiatum est, donis affectũ hominem dimisit, admiratus eũ, quòd mori maluisset, quàm gloria sua indignus videri. Taxiles de regibus Indorum vnus occurrens Alexandro, hortatus est ne bellum sibi inferret, néve pugnã consereret: sed siue inferior esset, acciperet, siue superior, conferret beneficia. huic respódit, de hoc ipso certandum, vter alterũ possit beneficiis superare. Inaudiens Aornum petrã in India natura loci inexpugnabilem esse, sed à formidoloso homine teneri. hoc, ait, facit, vt locus iste iam facilis captu sit. Alius qui saxum quod inexpugnabile putabatur tenebat, se ipsum locúmque Alexandro dedidit. hunc & copiis præfecit Alexander, & regionem ei adiecit, fatus: Sapere mihi vir hic videtur, viro bono se potiùs credens, quàm munito loco. Capta petra, cùm amici dicerent eum factis Herculem superasse: ego verò, inquit, actiones imperiúmq; meũ

Amor gloriæ.

Loci natura.

Modestè.

ne

ne vni quidem dicto Herculis æqualia arbitror. Amicorum quosdam sentiens talis seriò lusisse, mulctauit. De primis & præstantissimis amicorum, maximè venerari visus est Craterũ, amare Hephæstionem. quòd ab illo regem, ab hoc Alexandrum diligi diceret. Xenocrati philosopho L talenta dono miserat. quæ cùm is repudiaret, non se indigere inquiens, Nullúmne, ait, amicum habet Xenocrates? Mihi quidem Darij diuitiæ vix sufficerunt in amicos impendenti. Post prœlium Porus ab ipso interrogatus quomodo se vellet tractari, respondit, Regiè. rursúmque interrogatus, ecquid vellet præterea, omnia in Regiè contineri addidit. miratus itaq; Alexander sapientiam viri & virtutem, maiorem prístina ditionem ei subdidit. Audiens sibi à quodam maledici, Regium est, inquit, malè audire cum bene facias. Moriturus iam in socios intuens, Video, inquit, magnum fore meum funebre certamen. Mortuo ipso Demades orator dixit exercitum Macedonum imperatore carentem similem videri Cyclopi excæcato.

Ludus.

Amicis benefaciendum.

Regiè.

Dux.

PTOLEMAEVS Lagi F. crebrò apud amicos cœnabat & dormiebat. quod si quando conuiuium præberet, eorum pocula, vestes stragulas, & mensas vsurpabat, ipse plura necessariis non possidebat: dicens Magis regium esse ditare quàm diuitias possidere.

Magnificè.

ANTIGONVS continenter pecuniam exigebat. cúmque diceret quidam Alexandrum non fuisse talem: Nec iniuria, inquit. ille enim metebat Asiam, ego stipulas colligo. Militum quosdam videns thoracibus & galeis indutos ludere pila, delectatus est, acciuítq; eorum duces, laudandi gratia. hos autem potare inaudiens, munia ipsorũ ad milites transtulit. Mirantibus omnibus quod cùm iam senectutem attigisset, benignè humanéque imperaret, hanc reddidit causam, Olim se potentiam quæsiuisse, núc

Iustè.

Prudenter.

gloriam & benevolentiam captare. Philippo filio pluribus præsentibus interroganti quando castra moturus esset, Quid, inquit? an metuis ne solus tubam nō audias? Cupiēte eodem adolescente divertere apud viduam quæ tres habebat formosas filias, vocata ad se ei qui hospitiis designādis prærat, Nō, inquit, filium meum ex istis angustiis expedies? Leui morbo cùm laborasset, recepta sanitate dixit, Hunc sibi morbum nequaquam accidisse incommodè: eo enim se monitum, ne mortalis cum sit, animo efferatur. Cùm Hermodotus in poëmate eum Solis filium appellasset, Diversum, inquit, nouit qui matulam mihi fert. Dicente quodam, omnia honesta & iusta esse regibus, subiecit: Omnino, barbarorum quidem regibus. nobis sola honesta pro honestis, sola iusta pro iustis sunt habenda. Causam in iudicio habebat Marsyas frater, petebátq; vt de ea domi cognosceretur. sed Antigonus: Si culpa, inquit, vacamus, discepteturin foro & cunctis auscultantibus. Hyeme aliquando castra loco rerum necessariarum copia destituto posuerat necessitate iubente. ibi cùm milites, nescientes in propinquo esse, maledicerent ipsi, tentorium baculo dimouens, Infortunium, ait, habebitis, nisi longiùs hinc digressi me conviciis proscindetis. Aristodemo vni de amicis, sed qui coqui filius esse credebatur, consulenti vt sumptuū minus faceret, munificentiámque contraheret: Tui, inquit, Aristodeme sermones cinctum culinarium redolent. Athenienſibus seruum ipsius honoris gratia ciuitate donantibus: Nollem, aiebat, vllum Athenienſium abs me flagris cędi. Adolescente quodam Anaximenis rhetoris discipulo orationem, quam studiosè erat præmeditatus, coram se recitante, volens aliquid meliùs cognoscere interrogauit. qui cùm obmutuisset, Quid ais, inquit?

In curiosum.

Castè.

Homo.

Regis potestas.

Innocentia.

Patienter.

Salsè.

In ostentatores.

Sunt hæc inscripta codicillis quos tenes?

Alium

Alium audiens oratorem, qui diceret anni tempus niuiacum factum ſtirpidefluã feciſſe regionem: Nõ finem facies, dixit, apud me tanquam apud plebem loquendi? Traſyllo Cynico denarium poſcenti, reſpondit, Rege dignũ nõ eſſe hoc donum. ſubiicienti, Da ergo talentum, retulit, Capturã, hanc non eſſe Cynico conuenientem. Demetriũ filium cum nauibus multis magníſq; copiis mittens ad liberandum Græcos, gloriæ lucẽ è Græcia tanquam ſpecula aiebat in orbem terrarũ emicaturam. Antagoræ poëtæ congrũ elixanti, catinúmq; ſua manu agitanti à tergo adſiſtens, Putáſne, dixit, Antagora Homerũ Agamemnonis res geſtas deſcribentem, congrum elixaſſe? reſpondit ille: Tu verò, rex, Agamemnonem credis iſtas res gerentem curiosè inquiſiuiſſe an aliquis in exercitu congrum elixet?

Argutè.

Gloriosè.

In curioſum.

Per quietem imaginatus erat Antigonus, Mithridatem auream metere ſegetem. hunc itaq; interficere ſtatuit, DEMETRIO q́; filio conſilium aperuit, iureiurando ad tacendum obſtricto. Demetrius accito Mithridate, ad litus maris deambulauit, & ſtimulo qui in haſtili imo eſt in arena inſcripſit, Fuge Mithridates. atq; hic re intellecta in Pontum profugit, ibíq; regnũ ad vitæ vſq; finem tenuit. Idem Demetrius Rodũ oppugnans, in ſubvrbio quodã cepit tabulã, in qua Protogenes Ialyſum pinxerat. cúmque Rodij miſsis præconibus hortarẽtur vt tabulæ parceret, reſpondit, Patris ſe potiùs imagines, quàm illã picturam corrupturũ. Pace cum Rodiis facta, machinã quã ab expugnãdis vrbibus Helepolin appellauerat, apud eos reliquit, futurã ſuę magnificentię, & ipſorum fortitudinis argumentum. Defecerant Athenæ, & vrbe potitus ciuibus iam ob cibi inopiã malè habentibus, cùm ſtatim ei data eſſet cõcio, frumento ciues donauit, intérque concionandũ de re præſente, barbariſmũ fecit. ibi vnus quiſpiã de multitudine aſsidente acclamauit quomodo dicendum

Fideliter.

Artificij honos.

Patienter & liberaliſsimè.

congruè fuisset. tum Demetrius, Huius, inquit, correctionis gratia aliis vos 100 medimnis dono.

Piè in patrem. ANTIGONVS secundus, Demetrij F. cùm pater captus monuisset eum per litteras, ne si quid ipse à Seleuco coactus scripto mandaret, obtemperandum, aut vrbibus decedendum sibi putaret, vltrò ad Seleucum scripsit se ei toto regno cedere, obsidémque se pro patre, vt hic dimittatur, offerre. Nauali prœlio cùm Ptolemæi legatis congressurus, dicente gubernatore multo plures numero esse hostium naues: Me verò, inquit, ipsum præsentem quàm multis comparas? Cedens aliquando hostibus ingruentibus, fugere se negabat, sed commodum aiebat à tergo situm se persequi. Adolescẽte, qui non admodum bonus videbatur miles, natus patre viro forti, stipendium paternum postulanti: ego, inquit, mi adolescens mercedem & munera dare propriæ, non paternæ virtutis causa dignis soleo. Mortuo Zenone Citiensi, quem omnium maximè philosophorum in precio habuit, dicebat theatrum suarum actionum periisse.

Fortiter. *Fuga.* *Parentum merita.* *Philosophia.*

Voluptas. LYSIMACHVS in Thracia circumventus à Dromichæta, cùm se exercitúmque propter sitim in potestatem hostium tradidisset, postquam captiuus bibit, Proh deûm fidem, inquit, quàm exiguæ voluptatis gratia seruum me de rege feci. Philippidem comœdiarum scriptorem amicum familiarémque suum interrogauit, Cuius vis rerum mearum participem te faciam? respondit ille, cuiuscunque volueris, exceptis arcanis.

Arcana.

ANTIPATER occisum ab Alexandro Parmenionem cùm audiuisset, dixit: Si Parmenion insidiatus est Alexandro, cui tandem credendum erit? sin verò, quî agendum est? De Demade oratore iam ætate prouecto dicebat, eius tanquam victimæ confectæ nihil iam præter ventrem restare & linguam.

ANTIGONVS tertius scribebat ciuitatibus, si quid

quid contrarium legibus per epistolam mandaturus esset, ne parérent, sed ipsum ignoratione lapsum censerent. Idem cùm Dianæ antistitam vidisset excellenter formosam, statim Epheso cum suis discessit, ne quid inuitus incestum perpetraret. *Iustè.* *Castè.*

ANTIOCHVS cognomento Accipiter (hoc enim Hierax significat) bellum de regno aduersus fratrem Seleucum gerebat, qui cùm à Gallis victus nusquam appareret, putaretúrque in pugna concisus, posita Antiochus purpura pullam induit vestẽ. paulo pòst audita incolumitate fratris, diis rem sacram ob lætum nũcium fecit, ciuitatibúsq; sibi subditis vt serta gererent imperauit. *Fratrum amor.*

EVMENES structis à Perseo insidiis periisse putabatur. Quæ fama cùm esset Pergamum perlata, Attalus eius frater sumto diademate, ductáque ipsius vxore regnum occepit. Pòst fratrem viuere & Pergamũ venire inaudiens, cum stipatoribus ei pro more obviam iuit, hastile gerens. Eumenes eum amanter salutauit, inque aurem insusurrauit, *Idem.*

Vxorem haud duc, nisi defunctum videris.

aliud per omnem vitam quod offensæ speciem præberet nihil neque fecit neque dixit, sed & moriens vxorem ei regnúmque tradidit. Vicissim Attalus nullum suorum liberorum (habebat enim complures) educauit, sed Eumenis filio adulto viuens regnum detulit.

PYRRHVS à filiis pusionibus interrogatus cúinam regnum vellet relinquere, Ei respondit, qui de vobis acutiorem habebit gladium. Interrogatus de Pythone & Caphisio tibicinibus, vter eorum præstantior esset, respondit: Polysperchon imperator. Cùm duobus prœliis vicissetRomanos, multósque amicorum & ducum amisisset, Si adhuc semel, inquit, Romanos vincemus, actum est de nobis. Sicilia éxcidens, cùm inde soluisset, conversus retrò ad amicos dixit: qualem Romanis & Carthaginensibus

palæstram relinquimus. Militibus Aquilæ cognomẽ ei tribuẽtibus: Quid ni ſim aquila, inquit, veſtris armis tanquam ſolidis alis ſubleuatus? Audiebat adoleſcentes quoſdam multis inter pocula maledictis ipſum proſcidiſſe. eos poſtridie vniuerſos ad ſe adduci iuſsit, primúmq; ex iis percunctatus eſt, an de ipſo talia dixiſſent. omnino, reſpondit hic, talia: pluráq; his dixiſſemus, ſi plus vini nobis fuiſſet.

Liberè.

ANTIOCHVS is qui iterum in Parthos expeditionem fecit, in venatione quadam dum feras inſectatur, ab amicis & famulis aberrauit, caſamq; hominum egenorum ignotus iis intrauit. cúmq; inter cœnandũ mentionem regis intuliſſet, reſponſum eſt eſſe regem alioqui bonũ, ſed qui pleraq; amicis prauis hominibus mãdaret, ac negligeret ac præ nimio venandi ſtudio ſæpenumerò res neceſſarias omitteret. Ac tunc quidem tacuit. Sub lucem autem cùm ad caſam venirẽt ſatellites, & allata purpura diademateq; agnoſceretur: Ab eo, inquit, die, quo vos recepi, heri primùm veros de me ſermones audiui.

Reges rarò de ſe vera audiunt.

Obſidentẽ Hieroſolyma Iudæi vt maximam ſuam feſtiuitatem poſſent celebrare, ſeptem dierum inducias popoſcerunt. Non id modò conceſsit, ſed & tauros auratis cornibus apparauit, aromatúmq; copiam & vſque ad portas cum pompa deduxit, traditáque ipſorum ſacerdotibus victima in caſtra rediit. Quod mirati Iudæi, ſtatim poſt exactos feſtos dies deditionem fecerunt.

Liberalitas vtilis.

THEMISTOCLES adoleſcens etiamnum potabat ac ſcortabatur. ſed poſtquam Miltiades imperator ad Marathonem barbaros vicit, non ampliùs offendere licuit Themiſtoclem aliquid contra officium facientem. Mirantibus mutationem: Non ſinit (inquit) dormire me aut ſocordem eſſe tropheum Miltiadis. Interrogãti vter eſſe mallet, Achilles an Homerus, reſpondit: Tu verò malléſne Olympico certamine victor eſſe, an præco qui victorum nomina procla-

Aemulatio.

proclamaret? Xerxe magna illa classe Græciam invadente, metuens ne Epicydes, vnus de popularibus oratoribus, homo turpis lucri studiosus & timidus, imperium nactus vrbem perderet, pecunia data eũ à petendo imperio detraxit. Adamanto nauali pugna cum hoste decernere trepidante, & sibi Græcos ad eam cohortanti atque animanti dicente, O Themistocles, flagris cædere moris est eos qui in certaminibus priùs quàm iubentur surgunt: respondit: næ ita est Adimante: sed neque coronantur qui iusto tardiùs prodeunt. Eurybiade baculum tollente ac plagam minante, Feri sanè, inquit, modò audias. Cum non persuaderet Eurybiadi vt in angustiis nauale prœlium consereret, clàm ad barbarum misit, hortans ne metueret Græcos fugientes. Cúmque is parens huic consilio victus esset, rursum misso ad eum internuncio suasit vt quàm primùm ad Hellespontum fugeret: cogitare enim Græcos de ponte rescindendo. vt dum seruaret Græcos, ipsius saluti consulere putaretur. Seriphio cuidam obiicienti, nõ propter sese, sed propter vrbem celebrem ipsum esse: verum, ait, dicis. cæterùm neque ego si Seriphius fuissem, factus essem nobilis, neq; tu, si Athenensis. Cùm Antiphates formosus, qui amantem priùs ipsum fugerat atque spreuerat, gloria magna potentiáque auctum accederet atque adularetur: Heus, inquit, adolescens, Serò ambo, sed tamen sapere cepimus. Postulanti à se Simonidi, vt sententiam quandam iniustam ferret: Neque tu, inquit, poëta bonus esses si præter numerum caneres, neque ego princeps probus, si contra leges iudicarem. Filium suum erga matrem petulantiùs se gerẽtem, omnibus Græcis potentia antecellere dicebat. Græcis enim imperare Athenienses, Atheniensibus se, sibi vxorem, huic filium. De filiæ procis probum diuiti prætulit: quòd diceret virum se malle pecuniæ, quàm pecuniam viri egentẽ adsciscere.

Callidè.

Patria.

Iustè.

Vicinus. Fundum vendens, præconem indicare iusſit commodum eius eſſe vicinum. Athenienſibus ipſum cõtumelia afficientibus, Quid laboratis, inquit, ſæpe ab iiſdem affecti beneficiis? Ac platano ſeſe comparabat, ſub quam confugiunt homines orta tempeſta te: reddita ſerenitate, prætergredientes folia eius ſtringunt, ipſámque dicteriis inceſſunt. Eretrienſes ſubſannans dicebat eos inſtar teuthidum piſciũ gladios quidem habere, ſed cor non habere. Electus Athenis primùm, deinde etiam Græcia, ad Perſarum regem ſe contulit. iuſſúſque loqui, ſermonem auleis ſimilem eſſe dixit. nam eorum in morem, exporrectum quidem oſtendere formas, contractum autem occultare. Petiítque tempus ſibi dari dum Perſicam linguam addiſceret, vt ſuo arbitrio ſuis ipſius verbis, non per interpretem, regi ſuam poſſet explicare ſententiam. Multis donis ornatus, & celeriter ditatus, pueris ſuis dixit: Periiſſemus pueri, niſi periiſſemus.

Ingratos.

In ſtupidũ.

Sermo.

Fortuna.

Myronides bellum contra Bœotos faciens, expeditionem Athenienſibus denunciauerat. cùm inſtaret hora exeundi, ac cẽturiones ſignificarent nõdum omnes ad ſigna conveniſſe: præſtò ſunt, ait, qui pugnaturi ſunt, iiſque vſus alacribus, hoſtem vicit.

Fortiter.

Aristides cognomento Iuſtus ſemper pro ſe ac ſolus remp. geſsit, ſocietatéſque fugit: quòd parta amicorum præſidio potentia ſoleret ad iniuſtos conatus animare. Athenienſibus eò tendentibus, vt oſtraciſmo ipſum vrbe eiicerent, homo ruſticus litterarúmque rudis teſtã ei attulit, petiítque vt nomen Ariſtidis inſcriberet. Noſti verò, inquit, Ariſtidem? Non equidem, reſpondit ruſticus: ſed moleſtum mihi eſt Iuſti cognomentum. tum Ariſtides ſilens nomen ſuum teſtæ inſcripſit, eámq; homini reddidit. Intercedebat ei cum Themiſtocle inimicicia. cum eo miſſus aliquò legatus, Víſne (inquit) ô Themiſtocles inimiciciam in finibus deponamus? ſi enim videbi-

Societas.

Patienter.

videbitur reversi eam rursum suscipiemus. Tributa Græcis imponens, tanto rediit pauperior, quantum in peregrinationem insumtum fuit. Aeschylus in Amphiaraum hos fecit versus:

Neq; enim videri, sed vult esse is optimus, *Vera laus.*
Sulcum profundum in pectore consitum suo
Habens, veneranda consilia unde pullulant.

hi cùm in theatro recitarentur, omnium oculi sunt in Aristidam coniecti.

PERICLES præturam gesturus, chlænam sumens ita seipsum solebat alloqui: Memento Pericles liberis te imperaturum, Græcis, atque Athenienſibus. Aeginam abolere iubebat, tanquam oculis Piræei damnosam. Amico falsum à se testimonium, quod iureiurando erat sanciendum, exigenti, Amicum se vsque ad aram esse respondit. Moriturus seipsum felicem prædicauit, quòd nulli Athenienſium atræ vestis gerendæ causa fuisset. *Amicicia.*

ALCIBIADES etiamnum puer in palæstra ita comprehensus, vt non posset effugere, colluctantis manũ momordit. qui cum diceret, Mordes, sicvt mulieres: respondit, Nequaquam, sed vt leones. Canẽ possidebat perpulcrum, emtum LXX minis. ei caudam amputauit, eò id se facere dicens, vt habeãt Athenienses quod de ipso loquerentur, neq; in alias inquirerent res eius. Ad ludum aliquando litterarium veniens, rhapsodiam Iliadis popposcit magistrum: eíq; cùm nihil Homericũ se habere diceret, colapho impacto transiit. Veniens ad fores Periclis, audiuit eum occupatum esse, ac circumspicere quomodo rationes posset Athenienſibus reddere: Nónne, inquit, præstabat excogitare rationẽ, ne eas redderet? Evocatus ab Athenienſib. è Sicilia ad dicendam causam, cùm quidem capitis anquireretur, abdidit se: stultum esse dicens reum qui cùm fugere iudicium liceat, quærat quî in eo se defendat. Ac *Homerus.* *Iudicia.*

dicenti cuidam, Non fidis patriæ de te iudicaturæ? ne matri quidem, inquit. metuerem enim ne per errorem atrum calculum pro albo in vrnam iniiceret. Audito se & qui cum ipso erant morti ab Atheniensibus addictos esse, Ostēdamus, ait, illis nos viuere. Simúlque se ad Lacedæmonios contulit, & bellum Decelicum contra Athenienses excitauit.

Error in bello.

LAMACHVS centurionem quendam commissi erroris causa verbis increpabat. ac respōdenti, posthac se nihil tale admissurum, hoc referebat: In bello non licet bis peccare.

IPHICRATES despiciebatur, quòd cerdonis filius esse putaretur. tunc primùm existimationem sibi peperit, cùm saucius ipse hostē vnà cum armis viuum corripiens in suam transtulit triremem. Is cùm castra in regione amica & confœderata posuisset, accuratéque ea vallo & fossa communiuisset,

Cautio bellica.

Quærenti cuiúsnam metu hoc faceret: respondit, Turpissimam esse imperatoris vocem, Non putârā. Pugnam contra barbaros instruens, aiebat vereri se Iphicratem barbaris non esse notum. suo enim nomine aliis hostibus terrorem se incutere. Rei capitalis postulatus, adversus calumniatorem dixit: Vide quam rem agas, qui instante bello suades ciuitati vt de me potiùs quàm mecū decernat. Cùm ei Harmodius, vnus de prisci illius Harmodij posteris, exprobraret ignobilitatem, respondit: Meum à me incipit genus, tuum in te desinit. Interrogatus à quodam oratore, quis tādem esset, qui ita magnificè de seipso sentiret, equéne, an sagittarius, an peltam gerēs, an pedester: Nihil, inquit, horum, sed qusciami hisce omnibus imperare.

Natales.

TIMOTHEVS fortunatus videbatur esse imperator, ac nonnulli inuidi pingebant vrbes vltrò in ipsius dormientis nassam se induentes. dicebat itaq;, Si tantas ego vrbes per somnum capio, quid me vigilantem putatis facturum? Quodam de audacibus

Imperatoris cautio.

ducibus

ducibus vulnus acceptum Athenienſibus demonſtrante: Me verò, inquit Timotheus, puduit, quòd cùm ego dux veſter in Samo eſſem, prope me telum catapultæ décidit. Oratoribus Charetem commendantibus, talémq; debere Athenienſium eſſe imperatorem dicentibus: non, inquit, imperatorem, ſed eum qui imperatori ſtragulam veſtem portet.

CHABRIAS dicebat optimum hunc eſſe imperatorem, qui maximè cognitas habeat res hoſtium. *Animosè.*

Proditionis vnà cum Iphicrate accuſatus, gymnaſium frequentabat, ſolitáq; hora prandebat. reprehenſúſq; eo nomine ab Iphicrate: Proinde, inquit, ſi quid ſiniſtrum de nobis ſtatuerint Athenienſes, ſqualidum te & ieiunum, me pranſum vnctúmq; interficient. Solebat dicere, terribiliorem eſſe ceruorum exercitum leone duce, quàm leonum agmen ducente ceruo. *Imperator.*

HEGESIPPVS cognomento Crobylus, adverſus Philippum Athenienſes inſtigabat. cúmq; è concione ne quidam occlamaſſet, Bellũ introducis? Omnino, inquit: atq; atras etiam mehercle veſtes, & publicas funerationes, funebréſq; orationes, ſiquidem liberi viuere, neque facere Macedonũ imperata volumus. *Libertas.*

PYTHEAS etiamnum adoleſcens progrediebatur in publicum, dicturus contra decreta de Alexandro promulgata. cúmq; diceret quidam, Tu adoleſcens cum ſis, de tantis rebus audes dicere? Enimverò, inquit, Alexander, quem vos Deum decreto veſtro facitis, natu quàm ego minor eſt.

PHOCIONEM Athenienſem nemo neque ridentem vidit, neque lacrymantem. Coacta concione dicenti, Videre mihi ô Phocion cogitabundus: Rectè, inquit, coniicis. delibero enim an aliquid amputare poſsim de verbis quæ ſum ad populum facturus. Oraculo Athenienſibus ſignificatum erat, vnum eſſe in ciuitate qui omnium adverſaretur ſententiis. cum quæri iuberent quiſnam ille eſſet, *Grauiter.*

ac vociferarentur, Se illum esse Phocio dixit: Soli enim sibi nihil eorum probari, quæ vulgo fierent ac dicerentur. Aliquãdo dicens suam sententiam, cùm placere se, & æqualiter ab omnibus approbari suam videret orationẽ, conversus ad amicos: Núm nam, inquit, mihi imprudenti prauũ aliquod dictũ excidit? Postulãtibus ad sacrificiũ quoddam stipem Athenienſibus, cõferentibúsq; reliquis, aliquoties vocatus, Puderet verò me, inquit, vobis donare, huic (simul creditorẽ demonstrabat) nõ reddere. Demosthene oratore dicente, interficient te Athenienses si insanient: Planè, inquit, me, si insanient: te, vbi sapient. Aristogẽto iudicũ sententiis morti addictus, cùm iam moriturus in carcere flagitaret vt Phocio ad se veniret, húncq; amici ad malũ hominẽ accedere prohiberẽt: & vbi tandẽ, ait, Phocion, Aristogẽto nẽ mallet aliquis cõpellare? Irascebantur Athenienses Byzantiis, quòd in vrbẽ non admisissent Charetẽ missum cũ copiis præsidio ipsis cõtra Philippũ. ibi Phocio nõ succensendũ sociis diffidentibus, sed ducibus potiùs fidẽ nõ merẽtibus pronunciãs, ipse dux est creatus, admissúsq; à Byzãtiis fidẽ sibi habẽtibus, effecit vt Philippus re infecta discederet. Alexãdro rege C talẽta dono mittente ipsi, quæsiuit ex adferentibus, quã ob rem de tanto Athenienſium numero sibi soli istuc largiretur Alexander. cùm respõderent, solũ ipsum à rege bonum virũ iudicari: talẽ ergo, inquit, me & videri & esse patiatur. Poscẽte Alexãdro triremes populóq; nominatim Phocionẽ prodire iubente & in medium cõsulere, surgens: Suadeo igitur, ait, vt vel ipsi armis potẽtiã obtineatis, vel potẽtium amici sitis. Allatus incerto autore erat de morte Alexãdri nuncius. ad quẽ cùm oratores statim in rostra provolassent, bellúmq; absq; mora vlla suscipiendũ autumarent, Phocion expectare iubebat, rémq; certò explorare, nam (dicebat) Si hodie mortuus est Alexãder, cras etiã ac deinceps erit mor-

Vulgi iudicium.

mortuus. Leosthenes Athenienses in bellũ Lamiacũ coniecerat, magna spe ob nomen parãdæ libertatis & imperij exagitatos. huius orationẽ cupressorem similem dicebat esse Phocio: quæ cùm sint pulcrę, & proceræ, fructum tamen ferunt nullum. Rebúsq; initiò prosperè succedentibus, & ciuitate victimas ob lætum nunciũ immolante, interrogatus An rem ita gestam non vellet: vellem, inquit, altero modo decretum fuisse: hæc sic acta esse placet. Macedonibus Atticá incursantibus, orámq; maritimam populantibus, eduxit qui ætate erant ad militiã apti. multis autẽ ad ipsum concurrentibus hortantibúsq; vt tumulo quẽ monstrabant occupato ibi aciẽ instrueret: Dij boni, inquit, quàm multos duces, paucos milites video? cõmissa tamen pugna vicit, & Nicionem Macedonum ducẽ interfecit. Non multo pòst tempore Athenienſibus bello victis præsidiũ ab Antipatro est impositũ. cuius præfectus Menyllus pecuniá Phocioni cùm offerret, indignè id Phocio tulit, Neque hunc Alexãdro meliorem esse dicens, & minùs honestas accipiendi causas habere, qui olim repudiasset. Antipater autem dicebat duos se amicos habere Athenis Phocionem ac Demadem, quorum alterum nunquã adducere potuisset vt missa dona acciperet, alterũ nunquam dandis muneribus exsaturasset. Eidem abs se iniustam quãdam actionem postulanti Phocio: non potes, inquit, Antipater, Phocionem & amicũ habere & adulatorem. Post mortẽ Antipatri forma reip. populari constituta, in cõcione pronunciatũ est Phocionem amicósq; eius morte mulctandos esse. Ibi reliqui flẽtes cùm ad supplicium ducerentur, Phocioni tacitè eunti inimicorũ quidam obviam factus in faciẽ exspuit. Tum ad magistratum respiciens Phocio, Nemóne, inquit, compescet hunc contra decorũ agentem? Vnà moriturũ Euippum, ídq; deplorantem & indignè ferentem sic compellauit: Pigétne te cum Phocione mori? Allato

Constãter.

Graviter.

Patienter.

iam cicutæ poculo interrogatus filióne aliquid mã-
Pie. daret: Mando, inquit, tibi fili, atq; hortor te, ne A-
thenienſibus memorem te iniuriarum præbeas.

PISISTRATVS Athenienſium tyrannus, cùm ab eo facta defectione ſociorum quidam Phylen occu-
paſſent, venit ad eos veſtem ſtragulam portans. In-
Comiter. terrogãtibus quid vellet, Aut vobis, inquit, perſua-
dere volo, vt mecũ in aſty redeatis, aut ſi id non cõ-
ſequor, vobiſcũ hîc manere, & ad eã rem inſtructus
veni. Delata apud ipſum erat mater, quòd adoleſcẽ-
tem quendã deperiret, cum eóq; rem haberet me-
tuente ſibi & crebrò recuſante. Hunc ad cœnam vo
cauit, eáq; peracta percunctatus eſt, quomodo tra-
ctatus eſſet: reſpondentíq; Iucũdè: hoc, inquit, quo-
tidianum tibi erit, ſi matri meæ placueris. Thraſybu
lus filiã ipſius amabat, obviámq; aliquando factum
oſculatus erat. inſtiganti ea de cauſa adverſus illum
vxori Piſiſtratus: Si, inquit, amãtes odio proſequi-
mur, quid faciemus iis, quibus in odio ſumus? virgi-
nem porrò nuptũ tradidit Thraſybulo. Comeſato-
res quidam in vxorem ipſius inciderant, multáq; la-
ſciuè dixerant atque fecerant. qui cùm poſtridie la-
crymis adhibitis veniam flagitarẽt à Piſiſtrato: Vos
quidem, inquit, in poſterum date operam modeſtiæ.
mea vxor heri nuſquam omnino prodiit. Ducturum
aliam vxorem interrogantibus filiis ecquid eò id fa
ceret, quod ipſos improbaret: reſpõdit, nequaquam
verò, ſed vos laudo, cupióq; alios præterea tales li-
Libri. beros nanciſci.

DEMETRIVS Phalereus regi ſuadebat vt libros de regno & principatu pararet ac legeret. de qui-
bus enim amici reges monere non audent, ea in li-
bris exſtare.

LYCVRGVS Lacedæmonius ciues adſuefecit ad
Coma. alendam comam, inquiens ea formoſos pulcriores,
deformes terribiliores reddi. Poſcentem vt popula
rem reipubl. formam Spartæ inſtitueret, iuſsit priùs
domi

domi suæ id facere. Domos non nisi securi & serra ædificare iussit: fore enim sic, vt pudeat in vilia domicilia pocula, & stragula, & mensas sumtuosas inferre. Pugillatione & pancratio interdixit, vt ne per iocum quidem victos se fateri sui discerent. Vetuit iisdem sæpius bellum inferre, ne ij hoc pacto pugnaciores reddantur. Itaque inferioribus temporibus Antalcidas Agesilao vulnerato dixit, præclara eum doctrinæ præmia à Thebanis reportare, quos inuitos exercuerit, docuerítq; bellum gerere. *Fugralitas.*

CHARILLVS rex interrogatus cur tam paucas leges Lycurgus posuisset, respondit, eos qui paucis vterentur verbis non habere opus multis legibus. Ferociùs se aduersus ipsum gerenti de seruis haloti- *Ira.*
bus vni, Per Castores, inquit, occiderem te nisi irascerer. Interrogatus cur comã Spartani nutrirẽt: *Coma.*
quia, inquit, omnium ornatuum hic minimo constat sumtù.

TELECLVS rex fratri ciues apud ipsum accusanti, quòd se non tanta quanta ipsum benevolentia prosequerentur, Causa est, inquit, quòd ferre iniurias tu non nosti. *Iniuriæ ferendæ.*

THEOPOMPVS quadam in vrbe ostentanti murum & quærenti pulcérne videretur & altus, respondit, Ne si mulierum quidem sit.

ARCHIDAMVS bello Peloponnesiaco sociis poscentibus, vt tributi certam præscriberet quantitatem, Bellum, ait, definito non alitur emolumento. *Belli sumtus.*

BRASIDAS inter caricas murẽ cum cepisset, morsus ab eo dimisit. tum iis qui aderant, Nihil, inquit, ita paruum est, quod salutem sibi non paret, si vlciscí adorientes audeat. In prœlio iaculum sibi per scutum adactum è vulnere extraxit, eóque ipso hostem interfecit. interrogatus autem quomodo vulneratus esset, respondit: Prodente me scuto. Postquàm hic liberatis qui ad Thraciam habitabant Græcis in pugna occubuit, missos Spartam legatos

scitata est mater eius primùm, an honestè mortuus esset filius: & laudantibus eum Thracibus, neque similem eius quenquam futurum dicentibus, Erratis, *Modestè.* inquit, hospites. fuit Brasidas vir præclarus, sed habet Lacedæmon multos eo fortiores.

AGIS rex dicebat Lacedæmonios non interro- *Fortiter.* gare quàm multi, sed vbi sint hostes. Et apud Mantineam vetantibus pugnam cum hostibus conserere quòd numero vincerent, dixit: Adversus multos pugnet necesse est, qui multis vult imperare. Cùm Elæi laudarentur quod Olympia iustè administrarent, Quid dignũ, inquit, admiratione præstant, si toto quadriennio vnũ per diem iusticia vtũtur? Pergentibus autem laudare qui ceperãt: quasi verò, inquit, mirũ sit si re pulcra, nimirum iusticia, pulcrè vtuntur? Homini malo sæpius quærenti quisnam Sparta- *Salsè.* norum sit optimus, respondit, Is, qui tui est dissimilimus. Alij interroganti quanta sit Spartanorum multitudo, reddidit: quanta sufficit malis arcendis. Idémq; alio quærente, Multi, inquit, tibi videbuntur Lacedæmonij, si eos pugnantes spectes.

LYSANDER cum filiabus ipsius Dionysius tyrannus preciosas vestes misisset, non accepit: quòd *Fraus.* vereri se diceret, ne filiæ iis indutæ turpiores viderentur. Culpantibus ipsum, quòd multa per dolum agendo parum dignum Hercule se gereret, dixit: Vbi leonina pellis non sufficit, ibi adiuenda est vulpina. De agro controverso cum viderentur Argiui iustiora quàm Spartani afferre argumenta, stringens gladium, Hunc, ait, qui tenet, is optimè de agrorum finibus disputat. Cernens Lacedæmonios non satis habere animi ad oppugnandos Corinthiorum muros, cum è fossa leporem prosilire videret, Hos, inquit, metuistis hostes, quorum ob ignauiam muris lepores indormiunt. In concilio liberiùs à Megarensi quodam compellatus, Tua, inquit, verba ciuitate indigent.

AGE-

AGESILAVS dicebat Asiæ incolas si libertate frue rentur, malos: si seruirent, bonos esse. Cùm solerent illi Persarum regem appellare magnum: quomodo, aiebat, is me maior est, si non iustior est & temperan tior? De fortitudine & iusticia interrogatus, vtra harum maior esset, Respondit nihil opus fore fortitudine, si omnes iusti essemus. Noctu subitò castra ex hostico moturus, cùm amasium videret ob imbecillitatem relinqui à tergo & flere, Difficile est, inquit, simul misereri & sapere. Menecrati medico, qui Iupiter cognominabatur, in epistola ad se scribenti, Menecrates Iupiter Agesilao regi S. rescripsit: Rex Agesilaus Menecrati sanam mentem. Cùm ad Corinthum Lacedæmonij vicissent Athenienses eorúmque socios, multitudine hostium occisorum audita dixit: O infelicem Græciam, quæ tantum hominum ipsa sibi interemit, quantum satis erat ad vniuersos vincendum barbaros. Olympiæ à Ioue oraculum ex animi sententia consecutus, Ephorísq; iubentibus Apollinem Pythium eadem de re consulere, profectus Delphos ex Deo quæsiuit, An quod visum esset patri, idē ipse probaret. Pro amico quodam apud Hidrieum Carem intercedens, ita ad hūc scripsit: si insons est Nicias, missum eum fac: si autem sons est, mea causa eum dimitte, omnino autem dimitte. Inuitanti ad audiendum hominem, qui luscinię vocem imitabatur, dixit ipsam se sæpenumerò audiuisse luscinam. A pugna Leuctrica cùm lex iuberet ignominia omnes affici qui trepidassent: Ephori videntes vrbem virorum vacuam, ignominiā istam abolere statuerunt, Agesilaóque legis condendæ autoritatem detulerunt. Hic igitur progressus in publicum, Iubeo, inquit, leges à crastina die ratas esse. Missus vt regi Aegyptiorum ferret suppetias, cùm vnà cum eo obsideretur ab hostibus, quorum multitudinis partem tantùm aliquātam suorum numero æquabat, iíque fossam circum ipsorum castra

Quis magnus.

In superbū.

Inteſtinæ bella.

Iniuſte.

Sapienter.

Stratagema.

molirẽtur:iussus à rege in aciem suos educere & pugna decernere,Ego verò,inquit, nõ impediam quo minùs hostes nobis fiant,quod instituerunt, æquales. cùm iam fossam ferme in orbem absoluissent, in ea quæ adhuc restabat intercapedine aciem instruxit,prœlióque commisso æquali ordinum vtrinque latitudine, victoriam reportauit. Moriens amicis mandauit,ne vllum sibi fictile aut pictum monimentum(sic enim appellabat imagines) facerent. si quid enim egisset prœclari,id sibi monimentum fore:alioqui vel magnam statuarum copiam nihil ad gloriam conducturum esse.

Vera gloria.

Archidamvs Agesilai F.catapultæ cernens telum,tunc primùm è Sicilia allatum,exclamauit: Hercules,actum est de virtute viri.

Agis iunior, Demade dicente gladios Laconicos ob paruitatem devorari à præstigiatoribus: atqui, respondit, gladiis maximè Lacedæmonij suos hostes tangũt.Iubentibus Ephoris milites suos proditori tradere,negauit alienos se crediturum ei qui proprios prodidisset.

Proditoris fides.

Cleomenes promittenti daturum se ipsi gallos qui inter pugnandum moriantur: Ne dederis, inquit,mihi istos,sed qui in pugna interficiant.

Paedaretvs inter trecentos, qui primarius in vrbe honor erat,non allectus,lætus ac renidens abiit, gaudium se ex eo inquiens percipere, si ciuitas trecentos ipso meliores habeat ciues.

Fiducia sui.

Damonidas ab eo qui chorum constituebat vltimo collocatus loco, Bene verò, inquit, factum. inuenisti enim huius quoque stationis ornandæ rationem.

Nicostratvs Argiuorum dux Archidamo petenti vt castellum sibi quoddam proderet, mercedísque loco magnam pecuniam & nuptias Spartanę mulieris quam vellet,solis exceptis regiis,pollicenti,respondit:Non tu es ex Herculis posteritate. hic enim

enim terras obiens malos suppliciis affecit: tu de bonis malos vis redigere.

EVDAMIDAS in Academia videns Xenocratem grandi iam natu cum discipulis philosophantem, au diensq; virtutem ab eo quæri: Et quando, inquit, vtetur ea? Rursum philosophũ audiens disputantem, solum sapientem esse bonum imperatorem: verba quidem, ait, admirationem merentur, sed qui dicit, eum tubæ nunquam circumsonuerunt. *In philosophos.*

ANTIOCHVS Ephorus, audito Philippum Messeniis agrum attribuisse, quæsiuit An id quoque eis dederit, vt pro eo pugnantes possint vincere.

ANTALCIDAS Athenienſi Spartanos appellanti indoctos, Soli ergo, inquit, nos nihil mali à vobis didicimus. Alij Athenienſi dicenti, Enimverò nos aliquoties vobis à Cephiſo profligatis inſtitimus, reſpondit: Sed nos nunquam vos ab Eurota repulſos perſecuti ſumus. Sophiſta laudationem Herculis recitaturo, Quis verò, inquit, eum vituperat?

EPAMINONDA Thebanorum imperatore, nunquam Panicus terror exercitui incidit. Dicebat hic, pulcerrimam esse mortem in bello. Pronunciabat grauis armaturæ militum corpora debere esse exercitata non athleticè tantùm, sed & militari ratione. Itaq; obesos oderat, & quendam eorum exercitu eiecit, dicens ventrẽ eius, præ quo sua virilia videre nequiret, vix tribus posse aut quatuor scutis tegi. Adeò autem frugali vtebatur victus ratione, vt inuitatus aliquando ad cœnam à vicino, cùm inveniſſet ibi bellariorũ, obsoniorum, vnguentorúmq; apparatum, ſtatim diſceſſerit, inquiẽs: Ego te ſacrificare putabam, non luxuriare. Coquo collegis rationem de ſumtu aliquot dierum reddente, ſoli olei impenſi multitudini ſuccenſuit: profeſſus non ſumtũ ſe ęgrè ferre, ſed quòd olei tantum intra corpus eſſet receptum. Ciuitate diem feſtum agẽte, omnibúſq; vino & conuiuio deditis, occurrit cuidam familiarium *Militaris exercitatio.* *Frugalitas.* *Cura pro publico.*

squalidus & cogitabundus, mirantique & causam quærenti cur solus ita affectus obambularet, respondit: vt liceat vobis omnibus potare & animo esse ocioso. Malum hominem, qui mediocrem aliquã culpam commiserat, Pelopida deprecante non dimisit: amasia autem orante, absoluit: huiusmodi dona, inquiens, accipere meretriculas convenit, non imperatores. Lacedæmoniis bellum inferentibus cùm essent allata Thebanis oracula, cladem quædam, victoriam alia denunciantia: hæc ad dextram, illa ad sinistram tribunalis poni iussit. quo peracto, surgés, Si, inquit, ducibus parére vultis & in hostem pugnare, hæc vobis oracula sunt, prospera ostendens: si periculum prælij formidatis, hæc sunt, deteriora monstrans. Cùm iam ad hostem cum copiis accederet, & tonitru extitisset, interrogantibus suis quid significari tonitru eo putaret, respondit: deum attonitos reddidisse hostes, stuporémq; iis iniecisse, qui cùm prope apta loca essent, iniquo loco castra ponerent. Eorum quæ ipsi evenissent bona atque commoda, omnium hoc sibi aiebat accidisse iucundissimum, quod vtroque viuente parente Lacedæmonios ad Leuctra vicisset. Solitus aliàs videri vncto corpore, vultúque sereno, post illam pugnam postridie processit squalidus atque humilis. & interrogantibus amicis ecquid adversum obtigisset, Non sanè, inquit, sed heri sensi me animo altiùs quàm rectum est elatum fuisse: itaque hodie immoderatum illud gaudium castigo. Sciens autem Spartanos id genus calamitatum tegere, vt magnitudinem cladis eorũ demonstraret, cadauerum receptionem non simul vniuersis, sed singulatim vrbibus permisit: quo deprehensum est amplius CIↃ Lacedæmoniorum cecidisse. Cum Iason Thessalorum tyrannus Thebas (nam ea cum ciuitate fœdus ei societásq; intercedebat) veniisset, & Epaminondæ admodum egeno duo millia aureorum mitteret: aurum Epaminondas repudiauit,

Grauiter.

Contemtus pecuniæ.

diauit,cúmque Iasonem conspexisset, Iniuriam, inquit,mihi infers vltrò. & L denariis à quodam ciue mutuò sumtis,eo fretus expeditionis viatico in Peloponnesum irrupit. Rursum cum ei rex Persarum tria Daricorum millia misisset: acerbè Diomedontem obiurgauit, qui tantam nauigationem confecisset corrumpendi Epaminondæ gratia. regíque eum renunciare iussit, se ei gratis fore amicum, Thebanorum commodo studenti: incommoda autem eorum meditãti,hostem. Cùm Argiui facti essent Thebanorum socij,& legati Athenienſium in Arcadiam missi vtrosque culparent,atque Callistratus orator ciuitatibus his Orestem & Oedipum exprobraret: surgens Epaminondas:Fatemur,inquit,apud nos patricidam,apud Argiuos fuisse matricidam.verùm istos à nobis eiectos Athenienses receperunt. Spartanis verò multa & magna Thebanis crimina impingentibus dixit: Hi quidem vestræ breuiloquentiæ finem imposuerunt.Postquam Alexãdrum Pheræorum tyrannum, hostem Thebanorum, Athenienses socium sibi fœdere iunxerunt,pollicitum se ipsis minam carnis semiobolo venditurum: Nos verò, inquit Epaminondas,Athenienſibus ligna ad coquendas carnes istas gratis suppeditabimus: sed si quid tentabunt noui,agrum eorũ depopulabimur.Bœotos ocio dissolutos cupiens semper in armis continere,cùm Bœotarcham (sic summum apud eos magistratum vocant)diligerent, hortari solebat vt denuò consultarent. se enim si crearent ducem, militandum ipsis fore. Regionémque ipsorum supinam atq; apertam, belli orchestrã appellabat, quòd eam tenere non possent nisi manu clypei ansæ inserta. Chabrias apud Corinthum Thebanos paucos quosdam sub ipsos muros cupidiùs pugna progressos occiderat,ac trophæũ ibi constituerat.quod deridens Epaminondas,ibi non trophæum aiebat,sed Triuię statuam stare.solẽt enim Triuiæ statuas ante portas

Salsè retortum conuicium.

in triviis ponere. Nunciante quodam, Athenienſes exercitum nouis armis ornatum in Peloponneſum miſiſſe, quid tum poſtea, inquit? an gemit Antigenidas nouas fiſtulas Telline nacto? erant autem tibicines, Antigenidas optimus, Tellis peſsimus. Armigerum ſuum comperiens multum pecuniæ accepiſſe à quodam qui captus fuerat: Proinde, inquit, ſcutum tu mihi redde, tibíque cauponam eme in qua vitam exigas. diues enim & vnus beatorum factus, non voles adhuc pericula adire. Interrogatus, ſéne meliorem putaret imperatorem, Chabriam, aut Iphicratem, reſpondit: Hoc diiudicatu difficile eſt dum viuimus. Reverſus ex Laconica, capitis poſtulatus eſt, cúmq; eo reliqui duces. crimen erat, quòd Bœotarchiæ contra leges quatuor prorogaſſet méſes. Tum reliquos duces in ipſum culpam conferre iuſsit, tanquam ab eo coactos. Ipſe verò præfatus ſe non dicédo plus quàm rebus gerendis valere: Si tamen, ait, omnino aliquid eſt ad iudices dicendum, poſtulo vt ſi me interficitis, inſcribatis damnationem columnę alicui: vt ſcire poſsint Græci, Epaminondam Thebanos inuitos adegiſſe ad vaſtandam incendiis Laconicam, nihil hoſtile à 10 annis paſſam, Meſſenémque poſt CCXXX ab excidio annos condendam: & in vnum corpus vt redigerent Arcades, ac redderent Græcis liberum ſuarum legum vſum. hæc enim ſunt iſto expeditionis tempore acta. His auditis iudices multo cum riſu diſceſſerunt, non admiſſo ad ſuffragia ferenda populo. Vltima in pugna accepto vulnere in tentorium relatus, Daiphantum vocauit, ac poſt illum Iollidam. quos cùm interiiſſe intellexiſſet, ſuaſit ſuis vt pacem cum hoſte componerent, imperatore iam carentes. & verba eius res comprobauit, ita præclarè ciues ſuos nouerat.

Fiducia ſui.

PELOPIDAS Epaminondæ collega, dicentibus amicis rem eum negligere neceſſariam, pecuniæ ſcilicet conquiſitionem, Me hercle, inquit, pecunia res

eſt

est necessaria huicce Nicomedi, monstrans hominẽ claudum & mutilum. Cùm exeuntem ad pugnam oraret vxor, vt seipsum seruaret, Aliis, inquit, hoc cõsulendum est, principi autem & imperatori, vt ciues seruet. Quodam militum dicente, Incidimus in hostes: Qui magis, respondit, quàm illi in nos? Postquã violata fide Alexander Pheræorum tyrannus in vinculis eum captiuum tenuit, maledictisq; impetitus ab eo dixit, Acceleras tibi mortẽ? Omnino, inquit, vt tanto magis iritati Thebani supplicium de te sumant. Thebæ autem tyranni vxori ad se venienti, miraríque dicenti quòd ita hilaris esset in vinculis, Ego, inquit, te multo magis miror, quæ non vincta Alexandrum fers. Liberatus Epaminondæ opera, gratiam se habere Alexandro dixit. nunc enim maximè expertum se esse, non ad bellum modò, sed etiam ad mortem animo se esse forti.

Pecuniæ cõtemtus.

Principis officium.

Romanorum Apophthegmata.

M. CVRIVS reprehendentibus quibusdã quòd de agro bello capto paruam singulis portionem attribuisset, maximam publicasset: optauit ne quis foret Romanorum, qui exiguum agrum putaret quo aleretur. Sammites accepta clade ad eum venerunt aurum offerentes. Elixabat autem tum fortè rapas in olla. Respondit itaq; iis, Nihil opus auro esse qui sic cœnaret: sibíq; vtilius esse imperare aurum possidentibus, quàm aurum possidere.

Frugaliter.

C. FABRICIVS audito Romanos à Pyrrho victos, Læuino dixit, non Epirotæ Romanos, sed Pyrrhus vicit. Cùm liberandorum captiuorum gratia ad Pyrrhum venisset, multum ab eo auri oblatum non accepit. Postridie Pyrrhus curauit, vt maximus elephas Fabricio ignoranti à tergo statueretur & vocem ederet. quod vbi factum est, conversus Fabricius, subridénsque, Me, inquit, neque aurum heri, neque bellua hodie perculit. Hortanti Pyrrho,

Magno omnia animo.

vt ſecum maneret, proximóque à ſe loco imperaret: Hoc, ait, ne tibi quidem conduceret. nam ſi me Epirotæ noſſent, à me mallent quàm à te regi. Conſulatum gerenti Fabricio Pyrrhi medicus per epiſtolam promiſit, ſe iubente ipſo Pyrrhum veneno necaturum. eam epiſtolam Fabricius Pyrrho miſit, iuſſitque animadvertere, peſsimè ipſum & de amicis iudicare & de inimicis. Cúmq; inſidiis cognitis Pyrrhus medicũ ſuſpendiſſet, & Fabricio captiuos gratis reddidiſſet, non accepit hos ea conditione Fabricius, ſed totidem captiuos reddidit, ne mercedem beneficij accipere videretur, non gratia aliqua in Pyrrhum collati, ſed ne putarentur Romani dolo interficere tanquam aperto Marte vincere non valentes.

FABIVS Maximus nolens cum Annibale prœlio congredi, ſed copias eius meditatus tempore atterere, pecuniæ & commeatus inopes, ſectabatur hoſtem per aſpera & montoſa ab altera parte ducens. ridentibúſq; multis & pædagogum Annibalis eum dictitãtibus, contemtis dicteriis ſua ſequebatur cõſilia. & amicis dicebat, qui maledicta & cõvicia metueret, hunc ſibi timidiorem exiſtimari eo qui hoſtes fugiat. Cùm autẽ collega ipſius Minucius quibuſdam hoſtium deiectis in omnium eſſet ore, virq; Roma dignus ferretur, dixit Fabius, Magis ſe à proſpero Minucij quàm adverſo eventu aliquid timere mali. Eúmque paulo pòſt in inſidias delapſum, ac de ſua & exercitus ſalute in ſummo verſantem periculo, ſubveniens ipſe magna cum ſtrage hoſtium ſeruauit. Itaq; Annibal ad amicos dicebat: Nónne prędixi vobis, à nubecula iſta montibus inſidente tempeſtatem aliquando in nos erupturam? Poſt Cannenſem cladẽ conſul creatus Claudio Marcello collega, homine audace, atque identidem cum Annibale prœliari ſtudente, ipſe ſperabat nemine pugnante mox exercitum Annibalis mora eneruatũ animos deſpon-

Maledicta ſpernenda.

desponsurum. itaq; dicebat Annibal, magis se à non pugnante Fabio, quàm pugnante Marcello sibi timere. Erat apud Fabium delatus Lucanus quidam miles, qui ob amorem mulierculæ cuiusdã frequenter noctu à castris evagaretur. Hunc cùm alioqui in armis admiranda esse virtute inaudiuisset, capi occultè atque ad se afferri mulierculam iussit. adductáque ea, vocato ad se reo: deprehensum est, ait, noctu te à castris contra leges abesse. sed ne hoc quidem me fefellit, strenuum te antè fuisse. meritis igitur peccata tuis tua condonata sunto, in posterum autem nobiscum eris: habeo enim fideiussorem. simúlque productam ei tradidit amicam. Tarentum, quod præsidio tenebatur ab Annibale, abducto per fallaciam hoste quàm lõgissimè, recepit ac diripuit. scribæque interrogãti quid de sacris simulacris statuisset, Relinquamus, ait, Tarentinis deos iratos. Cùm autem M. Liuius, qui Tarentinam arcem præsidio tutabatur, sua opera eum Tarẽto potitum diceret: aliis deridentibus, Vera, inquit Fabius, dicis. *Salsè.* nisi enim tu vrbem amisisses, nunquam ego recepissem. Senectute iam ingrauescente, cùm filius eius consul in publico magna hominum frequentia officio fungeretur, cõscenso equo ad eum adiuit. cúmque filius misso lictore descẽdere eum ex equo iussisset, reliquis pudore affectis desiluit ex equo, & contentiore quàm ætas ferret impetu accurrit ad filium, amplexúsque eum, Rectè, inquit, sapis fili, *Magistratus dignitus.* sentiens quibus præsis, & quantam imperij maiestatem adeptus sis.

Scipio maior quod ocij à gerendis imperiis & repub. erat litterarum studiis insumens, dicebat in ocio se plura quàm aliàs agere. *Ocium.*

Scipio iunior, cùm vi expugnasset Carthaginẽ, ac milites quidam captam virginem eleganti forma ipsi adducerẽt atque offerrent: Perlibenter, inquit, accepissem, si priuatus, neque cum imperio essem.

Cùm oppugnaret vrbem Bathæam, ſupra quam extabat templum Veneris, vadimonia iuſsit eò promitti: nimirum tertia pòſt die de cauſis cogniturus litigantium in illo Veneris templo. pollicitúmque impleuit vrbe ea capta. Interrogatus Scipio maior in Sicilia à quodam, qua re fretus auderet exercitum in Africam adverſus Carthaginienſes traiicere: demonſtrauit ei CCC viros qui in armis exercebantur, turrímque ad mare excelſam: hócque addidit: nullus horum eſt qui non me iubente ſit conſcenſa hac turri præcipitem ſeſe in mare deiecturus. Idem cùm perveniſſet quò intenderat, occupaſſétque regionem, & caſtra hoſtium combuſiſſet, Carthaginienſéſque miſsis legatis pacem his conditionibus componerent, vt ſe belluas, naues, pecuniámque daturos promitterent: iidem verò Annibale ex Italia advecto reſumtis animis pactorum ducerentur pœnitentia. intellecta re Scipio dixit, Se pactis iam non ſtaturum, niſi addant ɪɔɔ talentorum propter accitum Annibalem. Deinde illis devictis, ac legatos mittentibus qui pacem & pacta ambirēt, ſtatim eos iuſsit diſcedere, auditurum ſe eos negans antè, quàm L. Terentium adducerent. Erat autem L. ille Terentius vir bonus, captus à Carthaginienſibus. quem poſtquam adduxerūt, eo in tribunali ponè ſe collocato, ita demum Carthaginienſibus reſponſa dedit, pacificationémq; confecit. Atq; huic Scipioni triumphanti comitauit Terentius pileum gerens tanquā libertus. & iis qui funeri adfuerunt Scipionis efferēdo, vinum melle mulſum propinauit, reliquáq; iuſta liberali ſtudio perſoluit. ſed hæc poſterioribus acta ſunt tēporibus. Cùm rex Antiochus, iā Romanis in Aſiam cōtra ipſum tranſvectis, de componenda pace miſiſſet ad ipſum: Reſpōdit hoc priùs faciendū fuiſſe, non iam, vbi frænum ſeſſorémq; rex receperit. Decreuerat ſenatus, vt ex ærario ei pecunia daretur, hoc cùm quæſtores illa die nollent aperire,

In ciuem pietas.

Grati exēplum.

rire, seipsum aperturum dixit. se enim, qui id pecunia impleuisset, in causa fuisse cur clauderetur. Gra- *Fiducia sui.*
uibus criminibus accusatus apud populum à duobus Petilliis, Hac ipsa, inquit, die Carthaginienses & Annibalē devici. itaq; nunc coronatus adscendo ad Capitoliū, rem ibi sacram facturus: qui volūt, de me ferant suffragia. atque hæc locutus, adscēdit, sequente populo, destitutísque qui ipsum accusabāt.

T. Qvinctivs Flamininus ita fuit maturè illustris, vt nondū obitis tribunatu plebis, prætura, atq; ædilitate, tamen consul renunciaretur. Imperator missus adversus Philippū, persuaderi sibi passus est, vt cum eo in colloquium veniret. cúmq; Philippus obsides peteret, quòd illum multis stipatum Romanis, se cum paucis adesse videret Macedonibus, ita respōdit: Hanc tu circa te solitudinem ipse effecisti, amicis cognatísq; interficiendis. Victo pugna Philippo, in conventu Isthmico præconis voce omnes Græcos liberos & facultate suis legibus vtendi donatos pronunciauit. Quotquot autē Romanorum *Magnificè.*
Annibalici belli tēpore capti apud Græcos seruiebāt, horū vnumquenq; 10 denariis redemtū Achæi, vniuersos ei dono dederūt. iíq; Romæ triumphum ducentis currum sunt secuti, pileos in capitibus gestantes, qui mos fuit libertatem è seruitute consecutorum. Achiuos bellū inferre Zacyntho molientes, monuit ne instar testudinū prolato extra Pelopōnesum testā suā capite periculo sese exponāt. Quo tēpore Antiochus magno cū exercitu in Græciā contēdebat, omnibus ob multitudinē & armaturā metu perculsis, ad Achæos huiusmodi fabulā recitauit. se Chalcide apud hospitē in cœna quadam miratum fuisse multitudinē carnium. hospitem verò sibi dixisse, omnes eas carnes suillas esse, condimentísque duntaxat & apparatione differre. ita ipsos quoque non debere regis copias admirari, quod nominari audiant lancearios, cataphractos, pedestres,

sagittarios equestres. omnes enim istos, Syros esse armaturæ nescio quibus modis differentes. Philopœmeni Achæorum prætori, multis equitibus ac grauis armaturę militibus instructo, pecunię autem
Pecunia. inopi, illudens, Manus eum aiebat habere & crura, sed ventre carere. nam & corporis eo habitu erat Philopœmen.

Cn. DOMITIVS, quẽ Scipio maior pro se adiunxit L. Scipioni in bello contra Antiochum, vt hostium exercitum exploraret, ducibus quos secum habebat statim adoriri hostes iubentibus, nõ esse satis temporis respondit ad tam multa hostium milia occidendum, direptísque eorum impedimentis in
Confidẽter. castra redeundum & curandum corpora. cras hoc se tempestiuè facturum. & postridie commisso prœlio L milia hostium interfecit.

P. LICINIVS cos. victus à Perseo rege equestri prœlio amiserat CIↃ CIↃ IↃ CCC viros partim occisos partim captos. cùm autem post pugnam Perseus legatos ad ipsum de pacificatione misisset, respon-
Magnanimiter. dit victus victori, debere eum suas res arbitratui Romanorum permittere.

PAVLVS AEMILIVS secundum petens consulatum, repulsam tulit. Bello autem contra Perseum & Macedones moram trahente ob ducum imperitiam & molliciem, consul creatus, negauit se populo gratiam habere. non enim se honorem requisiuisse, sed eum sibi inopia imperatoris alterius delatum esse. A foro domum reuersus, Tertiam filiolam flentem reperit, causámque ei quærenti ea respondit, Perseum (catellum hoc nomine habuerat) mortuum es-
Omen. se. accipio, inquit, faustum hoc omen. In exercitu cum inueniret multum ferociæ ac garrulitatis, in imperatoris officia militibus sese ingerentibus, ac curiosè multa agentibus, Quiescere eos iussit, ac gladios modò acuere: sibi reliqua curæ fore. Excubias sine gladio & hasta iussit peragi, vt eò magis

somnum

somnum vitarent, quia spes adversus hostem se defendendi omnis ademta erat. Cum per montium extremitates in Macedoniam perveniſſet, hostiúmque videret inſtructam aciem, Naſicę hortáti vt ſtatim eos aggrederetur, Facerem, inquit, ſi tua eſſem ætate. ſed me diuturna experientia docuit non inire pugnam ex itinere adverſus exercitum ſuis diſpoſitum ordinibus. Victo Perſeo cum pro gratulatione victoriæ cõviuia exhiberet, Eiuſdem dicebat eſſe peritiæ exercitum hoſtibus valdè terribilem, & amicis conviuium admodum iucundum reddere. Cùm Perſeus captus duci in triumpho recuſaret, In tua, inquit, hoc eſt poteſtate. nimirum ei facultatem conſciſcendæ necis largiens. Potitus innumera pecunia, nihil quicquã de ea ipſe accepit, genero duntaxat ſuo Tuberoni pateram argenteam quinque pondo appendentem virtutis præmium eximium dedit. quam primam argẽteam ſupellectilem in Aemiliam domum veniſſe ferũt. De quatuor filiis ſuis iam antè duos adoptandos tradiderat. reliquorum quos domi ſuæ retinuerat alter quinq; ante triumphum diebus vitam cum morte commutauit, annos natus XIV, alter quinto poſt triumphum die, anno ætatis duodecimo. Progreſſus in publicum, populo calamitatem eius lugente, Nunc, inquit, patriæ metuere demum deſino, poſtquam fortuna quæ felicitatem calamitatibus ſolet compenſare, in meam incubuit domum, eiúſq; clade proſperos reip. ſucceſſus vlta eſt.

Peritia.

In luxum.

CATO maior ad populum verba faciens, intemperantiam eius & luxum perſtringens aiebat, Difficile eſt loqui ad ventrem auribus carentem. & mirari ſe, quomodo ſalua poſsit eſſe vrbs, in qua pluris vendatur piſcis quàm bos. Aliquando imperia mulierum in viros nimis quàm vſitata inceſſens dixit: Omnes homines mulieribus imperant, nos omnibus hominibus, nobis mulieres. Aiebat malle ſe

nullum pro beneficio collato gratiã adipiſci, quàm ob delictum non dare pœnam. omnibúſq; ſe peccantibus, ſe vno excepto, ignoſcere. Inſtigãs magiſtratus ad imponenda ſontibus ſupplicia, dicebat, Eos qui malè agentes prohibere poſſent, neq; id faceret, eorum flagitiis aſſentiri. Adoleſcentibus erubeſcẽtibus aiebat magis ſe delectari, quàm pallentibus. Odiſſe ſe affirmabat militem qui inter deambulandum manus, in pugna pedes moueret: & qui clariùs ſterteret, quàm in congreſſu pugnæ vociferaretur. Peſsimum eſſe principem, qui regere ſeipſum nequiret. Vnumquenque ſeipſum maximè revereri debere: nunquam enim eſſe ſine ſeipſo. Cùm videret multis poſitas ſtatuas, Malo, inquit, homines quærere cur Catoni non ſit poſita ſtatua, quàm cur ſit. Parcè vſurpare poteſtate ſua iubebat potentes, vt liceret eam ſemper habere. Qui virtuti honorem detraherent, eos aiebat virtutem adoleſcentiæ adimere. *Honor.* Magiſtratum aiebat & iudicem debere neque opus habere exhortatione ad iuſtè, neque pati exhortando ſe permoueri ad iniuſtè agendum. Iniuſtè facta vt autori non ſint, omnibus tamen eſſe periculoſa. Hortabatur ſenes, ne ſenectuti cui aliàs multa adeſſent incommoda, turpitudinem à vitiis proficiſcentem ſuperadderent. Iratum ab inſano tẽpore duntaxat differre. *Ira.* Minimè inuideri iis, qui fortunam æquo animo & moderatè ferrent. non enim nobis, ſed iis quæ circa nos ſunt, inuideri. Qui ridiculis rebus ſeriam impenderent operam, eos aiebat in rebus ſeriis fore ridiculos. Honeſtas actiones, ne earum fama efflueret è memoria, confirmãdas aliis eſſe honeſtis actionibus. Reprehendebat ciues, quod magiſtratus ſemper iiſdẽ deferrent, inquiens: Aut magiſtratum gerere putatis rem eſſe nõ magni precij, aut paucos eſſe ea dignos. Qui agrum mari vicinum vendiderat, mirari ſimulabat ſe, quòd mari eſſet valentior. quæ enim mare vix illuuie proꝑlueret,

lueret, ea eum nullo negocio absorpsisse. Censuram ambiens, cùm ceteros videret rogare populum & adulari, ipse vociferatus est populum opus habere acri medico & magna purgatione: non itaq; blandissimum, sed inexorabilem aliquem & seueriſsimũ esse deligendum. hæc dicens, præ omnibus est censor renunciatus. Docens adolescentes audacter pugnare, dicebat sępe sermone ac voce magis quàm gladio & manu terreri fugarique hostem. Bellum gerens aduersus Bœtis fluuij accolas, cùm ob hostium multitudinẽ in discrimine versaretur, & Celtiberi pacisscentes c c talentorum mercedem auxilia promitterent, Romani non sinerent eum hanc barbaris hominibus promittere: Erratis, inquit. si enim vincemus, non de nostra, sed hostium pecunia persoluemus: si vincamur, neq; qui exigat erit, neq; à quo exigatur. Cùm autem plures cepisset vrbes, quàm dies in hostico egisset, (vt ipse de se profitetur) nihil tamen præter cibum & potum inde se accepisse ait. Militibus viritim libram argẽti largitus, præstare dicit multos à militia cum argento, quàm paucos cum auro redire. ducum enim nihil præter gloriam debere in prouinciis augeri. Militiæ quinque habebat famulos. quorum vnus cum duo emisset mancipia, neque res Catonem latuisset, antequã in conspectũ domini veniret, suspendio vitam sibi ademit. Rogatus à Scipione Africano vt Achæis exulibus opem ferret, reditum in patriam flagitantibus, præ se tulit nihil se istud curare negocium. In senatu autem multis ea de re habitis sermonibus, surgẽs: Perinde, inquit, ac si deesset quod ageremus, sedemus hìc disputantes de Græcis senibus, à nostrísne ij, an verò ab iis qui isthic sunt vespilionibus debeant efferri. Scripserat Postumius Albinus historiam Greco sermone, veniámq; à lectoribus petebat. quem subsannans Cato, Dandam ei veniam aiebat, si decreto Amphictyonum coactus scripsisset. *Salsè.* *Salsè.*

SCIPIONEM iuniorem tradunt LIV, quos vixit, annis, nihil emisse, nihil vendidisse, nihil ædificasse. atque in tantis opibus non nisi XXXIII argenti, duo auri pondo eum reliquisse: cùm quidem Carthagine potitus fuisset, & magis quàm vllus alius imperator milites collocupletasset. Polybij autem præceptum seruans, operã dedit, ne prius è foro discederet, quàm aliquem compellantium quocunq; modo sibi familiarem amicúmque faceret. Iuuenis etiamnum tantam de se fortitudinis & prudentiæ opinionem excitauit, vt Cato maior interrogatus de militantibus ad Carthaginem quid sentiret, inter quos etiam Scipio erat, de hoc pronunciârit,

Amicicia.

Odyss. n, 495. *Iste sapit solus: reliqui uelut umbra uagantur.*

Cúmque ab exercitu Romam venisset, ad summam rei gerendæ populus eum vocauit, non studio ipsi gratificandi, sed quòd eius opera facilè citóque se Carthaginem capturos sperarent. Cùm iam intra muros Carthaginis venisset, & Carthaginienses ex arce se defenderent, ac mare inter castra ipsius & arcem non esset profundum: consulente Polybio vt ferreos murices spargeret, aut tabulis vada consterneret clauos eminentes habentibus, ne transire hostes ad oppugnandum vallum possent, respõdit: Ridiculum esse captis muris intra vrbem progressos hoc iam agere ne cum hoste sit pugnandum. Cùm inuenisset eam vrbem repletam statuis donariisque Græcanicis è Sicilia advectis, edixit vt è singulis vrbib. venirent qui dignoscerent suáque auferrent. Nihil quicquam suorum quenquam passus est vel liberum vel seruum de præda accipere, ac ne emere quidem, omnib. aliis direptioni vacantibus. C. Lælio amicissimo suo in petitione consulatus operam nauans, è Pompeio (putabatur is tibicinis esse filius) quæsiuit, an ipse quoque consulatum esset petiturus. respondit is neque se ambiturum, & comitia cũ Lælio obiturum, eiúsque petitioni studio suo opitulatu-

Liberaliter

tulaturum. Hoc illi credentes, decepti sunt, renunciatúmq; est Pompeium in foro circumire ac prænsare ciues. Tum reliquis stomachantibus, ridens Scipio: Nostra, inquit, stulticia hoc fit, qui quasi nõ homines, sed deos precaturi iamdudum moras nectimus expectando tibicinem. Certamẽ erat ei in petitione censuræ cum Appio Claudio. qui cùm diceret, se omnes ciues nominatim compellare, Scipione ferè omnes ignorante: Vera, ait Scipio, dicis. non enim mihi cura fuit multos nosse, sed à nemine ignorari. Et cùm esset Romanis bellum aduersus Celtiberos, se competitorémque legatos aut tribunos militum mitti ad exercitum postulauit, belligerantibus de vtriusque virtute sententiam testimoniúmque laturis. Censor creatus, adolescenti equum ademit, qui quo tempore Carthago obsidebatur, instructa sumtuosa cœna, placẽtam mellitam ad eius vrbis formam confectam, & Carthaginis nomine insignitam, diripiendam conuiuis proposuisset. & quærenti cur equo mulctaretur, Quia, inquit, me prior Carthaginem diripuisti. C. Licinium videns accedere, Scio, inquit, hunc peieraſſe. quia autem nemo accusat eum, non possum ipse actor iudéxque simul esse. Missus à senatu tertiùm, vt ait Clitomachus,

Salsè

Seuerè.

Iustè.

Vt multorum hominum mores ac iura uideret,

vrbésque, gentes, & reges inviseret: vt Alexandriam pervenit, egressus est naui, processítque cooperto capite. circùm verò cursitantes Alexandrini rogauerunt vt retegeret faciem, desiderióque eius vidẽdi captis spectandam præberet: vocémque & plausum eo impetrato sustulerunt. quorum ambulationem cùm rex ob ignauiam & molliciem corporis ægrè magno nisu æquaret, Scipio Panetio in aurem insusurrauit: Iam nunc Alexandrini fructum nostræ peregrinationis ceperunt, qui propter nos regem viderint deambulantem. Vnum omnino ea in le-

gatione habuit de amicis comitem Panætium, ſeruos quinque. de his vno in peregrinatione mortuo, alium nolẽs emere, Roma acciuit. Numãtinos cùm inſuperabiles putaret populus, qui multos iam Romanos duces viciſſent, Scipioni ſecundum conſulatum detulit, eius belli gerendi gratia. Cùm autem multi nomina ſua ei militiæ darent, inhibuit hoc ſenatus, deſertam fore iſto pacto Italiam dicens. ſed & pecuniam quæ ad manum & parata erat ſumere eũ non paſsi ſunt, & reditus vectigalium ei deſtinauerunt, quorum nondum appetierat tempus. Ad hoc reſpondit Scipio, Pecuniæ ſibi de ſuo & amicorum facultatibus fore ſatis. id verò reprehendit quod de militibus erat decretum. quod diceret bellum graue eſſe, ſi quidem ob fortitudinem hoſtium toties victi eſſent Romani, contra tales: ſin ob ignauiam ciuium, militibus talibus gerendum. Vt venit ad exercitum, multum ibi confuſionis, intemperantiæ, ſuperſtitionis, luxúſq; reperit. Itaq; ariolos, ſacrificulos, lenonéſque ſtatim exturbauit, & omnia iuſsit amouere vaſa, demtis olla, veru, & figlino poculo, argẽteorum poculorum nullum duabus libris maius permiſit habere volentibus. lauacro interdixit, qui invngerentur quenq; à ſeipſo fricari iuſsit, quod diceret iumentis fricante opus eſſe quia manibus ipſa carerent. Prãdere iuſsit obſonium nullo igni coctum, in cœna accumbẽtes edere panem aut pultem ſimplicem, & carnem elixam ſiue aſſam. ipſe ſago amictus nigro obambulauit, lugere ſe inquiẽs turpitudinem exercitus. Cùm incidiſſet in Memmij cuiuſdam tribuni militum iumenta, quæ gemmis ornata ac Thericlea geſtabant pocula, Talis, inquit, cùm ſis, mihi patriæq; te ad xxx dies, tibi ipſi per omnem vitam reddidiſti invtilem. Alij clypeum oſtentanti præclarè ornatum, Clypeus quidem, inquit, ô adoleſcens pulcer eſt: cæterùm Romanum virum magis decet in dextra ſua fiduciam habere, quàm

Diſciplina militaris.

quàm in siniſtra collocatam. Vallum tollenti, & admodum ſe premi dicenti, Non iniuria, inquit. ligno enim huic magis fidis quàm gladio. Videns cõ- *Cautio imperatoria.*
iunctam cum inſania hoſtium temeritatem, dicebat ſe tempore ſecuritatem redimere. bonum enim imperatorem, itidem vt medicum, ad malum curãdum vltimo demum loco ferrum adhibere. nihilominus tamen ſuo tempore adortus Numãtinos fudit. Quo tẽpore ſenioribus pulſos culpantibus quod eos fugiſſent quos toties in fugã coniecisſent, ferunt quẽdam Numantinorum dixiſſe, Oues quidem eaſdem *Dux.*
eſſe atque antea, ſed alium habere paſtorem. Capta Numantia, acto ſecundo triumpho, de ſenatu & ſociis in contentionẽ venit cum C. Graccho. ibi cùm indignabundus populus pro roſtris dicenti tumultu facto obſtreperet: Nunquam, inquit, me exercituum conclamãtium perterruit vociferatio, nedum convenarum fremitus me percellat, quorum non matrem eſſe, ſed nouercam Italiam noui. Gracchóque cum ſuæ factionis hominibus clamante, Interficiendum eſſe tyrãnum, Meritò, inquit, patriæ bellum facientes me priùs ſublatum volunt. Roma enim Scipione incolumi cadere non poteſt, neque viuere Scipio Roma everſa.

CAECILIVS METELLVS cùm de caſtello munito oppugnando deliberaret, centurioni dicenti decem duntaxat amiſsis viris eo potiturum, Viſne, inquit, vnus ex illis decẽ tu eſſe? Interrogatus à quodam iuuene centurione quid eſſet facturus, reſpondit, Se tunicam ſuam, ſi ſui eam ſibi conſciam conſi- *Arcanum.*
lij putaret, exuturum & crematurũ. Scipionis, cum quo viuus inimicicias exercuerat, mortem grauiter moleſtéq; tulit, filióſq; ſuos ſubire feretro eius portando iuſsit. diſſque dixit gratias ſe agere Romæ cauſa, quod alibi non exſtiterit Scipio.

C. MARIVS obſcuro natus loco, geſtis militiæ reb. cùm ſe ad honores in republica capeſſendos contu-

Magnus animus.

lisset, ædilitatem maiorem ambiuit. vidénsq; se eam non impetraturum, eadem die minorem petiit. passúsque repulsam, tamen de prima inter Romanos dignitate non desperauit. Varices in vtroque crure cùm haberet, secandas eas medico præbuit: alteriúsque sectionem solutus, absque vllo gemitu, & ne contractis quidem superciliis sustinuit. ad alterum transeuntem inhibuit, non esse inquiens remedium isto dignum dolore. Alterum ipso gerente consulatum, Lusius sorore natus ipsius, vim adolescentis cuiusdam Trebonij militantis pudicitiæ intentârat, erátque ab eo interfectus. Accusatus à multis Trebonius, nihil inficiatus cædem tribuni, causam protulit atque demonstrauit. Iusit Marius coronam, quæ ob res præclarè gestas donari solet, afferri, eáque Trebonium ornauit. Opposuerat Teutonibus castra loco aquæ inopi. & dicentibus se sitire militibus, demonstrans amnem prope vallú hostium decurrentem, Ifthinc, ait, peti à vobis potest potus sanguine vænalis. Orauerunt itaque milites vt eò duceret, sanguine ipsorum adhuc humido, necdum ob sitim concreto. Bello Cimbrico Camertes viros CIO ob rem bene gestam vniuersos ciuitate Romana donauit, nullius legis beneficio. reprehendentibúsque factum respondit, se præmorum strepitu leges non potuisse exaudire. Bello ciuili fossa cinctus & oppugnatus, tolerauit omnia idoneam operiens occasionem rei gerendæ. Vbi quidem Popedio Siloni (erat is hostium dux) dicenti, si es, Mari, magnus imperator, descende & prœlio decerne: respondit: Immò tu si magnus es imperator, cogito me inuitum decertare.

Prudens patientia.

Iustè.

Leges.

Bellum.

Stratagema.

LVTATIVS CATVLVS bello Cimbrico cùm haberet castra ad flumẽ Athesin, suíq; barbaros transitum moliri cernentes retrò cederent: videns fugâ se inhibere non posse, ad primos aufugientium ordines celeriter se contulit: ne fugere hostem sui, sed ducem

ducem sequi viderentur.

SYLLA cognomento Felix, hæc duo maxima fortunę munera putauit, Amiciciá Metelli Pij, & Quod non deleuissẽt Athenas, sed vrbi peperciſſet.

C. POPILLIVS à senatu litteras Antiocho attulit, quæ eum ex Aegypto iubebant exercitum abducere, neque regnum pupillorum Ptolemæi vita defuncti sibi vindicare. Accedens per castra, eminus ab Antiocho comiter salutatus, non reddita salute epistolam tradidit. qua lecta cùm deliberatione habita responsurum se rex diceret, palmite Popillius orbem circa eum descripsit, inquiens: Hic ergo stás delibera & responde. Omnibus magnanimitate hominis perculsis, cùm Antiochus profiteretur se ex sententia Romanorum acturum, ita demum regem salutauit amplexúsque est Popillius. *Maiestas P. R.*

LVCVLLVS in Armenia cum decem grauis armaturæ militum millibus & mille equitibus contra Tigranem contendebat, instructum CL millium exercituſ; idque pridie Nonas Octobris, qua die Cimbri antè copias Cæpionis deleuerant. dicẽte tum quodam, istam diem abominari Romanos & formidare: pugnemus ergo, inquit, hodie strenuè, vt hác diem quoque ex nefasta & tristi festam lætámque Romanis redigamus. Cúmque à cataphractis maximè sibi metuerent milites, bono eos esse iussit animo. plus enim in spoliandis iis fore laboris, quàm in vincendo. Primus ad tumulũ aggressus, cùm motum videret barbarorum, exclamauit: Vicimus ô commilitones. nullóque subsistente persequens hostem, quinque duntaxat Romanorum amissis, vltra C millia hostium interemit. *Omen refutatum.*

CN. POMPEIVM Romani tanto prosecuti sunt amore, quanto patrem odio. Adolescens totum se Syllæ partibus addixit, nullóque etiamnum gesto magistratu, neque in senatum allectus, multos per Italiam conscripsit milites. & vocanti ad se Syllæ,

respondit, Non se sine spoliis & nullo facto sanguine imperatori suum commonstraturum exercitum. neq; ad eum antè accessit, quàm hostium ductores multis vicissent pugnis. Missus deinde in Siciliam legatus, inaudiuit milites in itinere faciundo sæpe evagari, vímq; hominibus facere, & prędas avertere. Igitur eos qui temerè oberrabant & circumcursitabant, suppliciis compescuit. A se autem missorũ gladiis sigilla imposuit. Mamertinos, quòd ab adversariis stetissent, vniuersos neci dedere constituerat. Tum Sthenis, qui orator ea in ciuitate principatum tenuerat, iniustè agere Pompeium dixit, qui ob vnum sontem multos innocentes vellet occidere. se solum in culpa esse qui amicis persuasisset, inimicósque vi adegisset ad Marianam factionem defendendam. Miratus Pompeius hominem, Gratiam se delicti facere Mamertinis pronunciauit, talem secutis virum, qui patriam sua vita haberet priorem. ignouítque & ciuitati & Stheni. Cùm traiecisset in Africam aduersus Domitium, eúmq; magno superasset prœlio, salutatus ab exercitu imperator, negauit se hoc ornamentum accepturum, recto adhuc stante hostium vallo. itaq; milites, quanquam imbre largo incumbente, castra hostium diripuerunt. Reversum Sylla cùm aliis honoribus benignè affecit, tum primus Magnum cognominauit. triumphum autem petenti negauit, quòd nondum esset in senatum receptus. Ad hæc Pompeius iis qui aderant dixit, Ignorare Syllam, quòd plures orientem Solem adorent, quàm occidentem. quo audito Sylla exclamauit, Triumphet. Seruilius tamen vnus ex optimatibus indignè id ferebat, multíque militum triumpho reclamabant, dona quædam exposcentes. Vbi quidẽ Pompeio dicente, Omissum potiùs à se iri triumphum, quàm vt militibus adularetur, dixit Seruilius: Nunc demum se intelligere, esse Pompeium revera magnum, triumphóq; dignum. Moris Romani erat,

Virtuti præmium datum.

Magnanimè.

erat, vt equites qui constitutum legibus tempus militassent, equos in forum ad censores adducerent, ibique quoties & sub quibus meruissent ducibus, enarrarent. Proinde consulatum gerens Pompeius, equum ipse ad censores Gellium atq; Lentulum deduxit: interrogatúsq; pro more. Omnésne obiuisset militias, respondit: Omnes, & quidem sub me ipso imperatore. In Hispania nactus scrinia epistolarum Sertorij, in quibus multæ erant principum virorum litteræ, nouandarum rerum & convellendi præsentis reipublicæ status causa Sertorium Romã evocantium: omnes eas combvsit, resipiscendi largiens corrigendíque occasionem malis. Phraathi Parthorum regi missis ad ipsum internunciis peteti vt Euphrate limite vteretur, respondit Romanos ius potiùs pro termino habituros. L. Lucullus post obita imperia voluptatibus sese luxuíq; tradiderat, Pompeiúmq; vituperabat, qui aliena ætate negociis sese implicaret. ad hęc Pompeius, Magis aiebat alienum esse à senio luxuriare, quàm gerere rempublicam. Aegrotanti medicus cõsuluerat vt turdo vesceretur. nullus autem poterat inveniri, quòd anni tempus erat ab eorum captura alienum. quidam inventum iri aiebat apud Lucullum, qui perannum eos aleret. Ergo dicebat, nisi luxuriaret Lucullus, viuere Pompeius nequiret? iussõq; valere medico, vsus est re facilè parabili. Cùm Romæ ingens frumenti oborta esset caritas, creatus verbo quidẽ annonæ procurator, reipsa dominus terræ maríq;, in Africam, Sardiniam, Siciliámq; nauigauit, magnáq; vi frumenti congesta, Romam properauit. Existente autem graui tempestate, & gubernatoribus trepidantibus, primus nauim conscendit, evellíque mandato anchoram exclamauit, Nauigare necesse est, viuere nõ est necesse. Detecto eius cum Cæsare dissidio, Marcellino cuidam, qui evectus à Pompeio, studiis mutatis ad Cęsarẽ trãsiuerat, multa in senatu

Humaniter.

Senectus.

contra ipsum dicẽti: Non te, inquit, pudet Marcelline mihi conuicium facere, qui te è muto loquentem, de famelico vomentem fecerim? Catoni acerbè ipsum repræhẽdenti, quod sibi sæpenumerò prædicenti Cæsarem augeri potentia ad detrimentum popularis status reipublicæ, nõ advertisset animum, respondit: Tua consilia magis à diuinatione, mea ab amicicia proficiscebantur potiùs. De se ipso autẽ liberè hoc prædicabat, omnem magistratum se & occepisse sua, & deposuisse aliorũ opinione citiùs. A Pharsalica pugna in Aegyptum fugiens, è triremi sua transiturus in piscatoriam cymbam à rege missam, conversus ad vxorem & filium aliud nihil dixit, quàm Sophoclea ista:

Etenim tyranni quisquis intrat in domum,
Fit seruus eius, liber etsi uenerit.

Transgressus, cùm gladio feriretur, semel tantùm ingemuit, nulláque emissa voce caput obvoluit veste ac procubuit.

Fiducia sui.

CICERO orator, cùm cognomen eius exagitaretur dicteriis, amicíque hortarentur vt id mutaret, dixit se Ciceronis nomen effecturum Catonum, Catulorum, Scaurorúmque nomine illustrius. Poculum porrò aureum diis dedicans, prænomen suum noménque litteris insculptis, cognomentum Ciceronis cicere cælato indicauit. Oratores qui altum clamarent, dicebat ob imperitiam dicendi ad vociferationem, sicvt claudos ad equum confugere. Erat Verri filius, qui in flore ætatis pudicitiam suam malè custodiuerat. Ei Verri Cicero, molliciem sibi exprobranti, ac cinædum appellanti: Nescis, inquit, filiis esse intra fores conviciandum. Metello Nepoti dicenti, plures testimonio tuo perdidisti, quàm patrocinio seruasti, respondit: Quia enim plus mihi fidei est quàm facundiæ. Eidem interroganti quo patre natus esset, Tua, inquit, mater fecit vt tibi

Salsè.

difficí-

difficilius esset respondere sic interrogato. Erat enim ea impudica, Metellus autem leuis & inconstãs atq; cupiditatibus obsequens. Hic cùm Diodoto, quo oratoriæ artis doctore vsus erat, coruum lapideum in monimento statuisset, dignam ei relatã gratiam Cicero dixit, quòd is volare Metellum, non dicere docuisset. Audito Vatinium inimicum suũ, hominem alioqui prauum, mortuum esse, cùm postea viuere eum cognouisset, Malè, inquit, pereat, qui mentitus est malè. Cuidam qui domo Afer putabatur, dicenti non audire se ipsum dicentem, Atqui, inquit, aurem habes foraminis non expertem. Quodam in iudicio Popilium Cottam ad perhibendum testimonium vocauerat, qui se iureconsultum profitebatur, homo indoctus & ineptus. is cùm nihil se scire diceret, Putas fortasis, ait, de iure te interrogari. Hortensio oratori, qui accepta mercedis loco à Verre Sphinge aurea, sibi obscuriùs aliquid dicenti se ænigmatum soluendorum imperitum esse aiebat, respondit: Atqui Sphingem domi hãbes. Voconio occurrens tribus filiabus deformissimis comitato, placidè amicis dixit:

Phœbo olim non sinente hic sciut liberos.

Cùm Faustus Sullæ F. propter æris alieni magnitudinem proscripsisset se auctionem facturum suorum bonorum: Hanc, inquit, magis probo, quàm paternam proscriptionem. Orto inter Cæsarem & Pompeium dissidio, dixit Nosse se quem fugere, ignorare quem sequi debeat. Pompeium reprehendit, quòd vrbem deseruisset, ac Themistoclem potiùs quàm Periclem esset imitatus, rebus non illius, sed huius tempestati similibus. Ad Pompeium cùm veniisset, duceretúrq; pœnitentia, interrogatus ab eo vbi Pisonem generum suum reliquisset, Apud socerum, respondit, tuum. Et cùm quidam qui à Cæsare ad Pompeiũ desciuerat, præ festinatione se equum reliquisse ibi diceret: meliùs eũ equo suo quàm sibi

consuluisse dixit. Renuncianti Cæsaris amicos esse vultu tetrico, Ais, inquit, eos Cæsari bene velle. Post Pharsalicam pugnam cùm fugisset Pompeius, & Nonius quidam septem adhuc adesse aquilas diceret, ideóq; bene sperádum, Rectè, inquit, moneres, si adversus graculos esset pugnandum. Cæsar rerum potitus cùm deiectas Pompeij statuas erigeret honorificè, Hoc, inquit, facto suas Cæsar figit. Tantum verò bene dicendo studuit, tantíque eam rem duxit, vt cùm causa ipsi orãda esset coram centumviris, diéq; appetente Eros seruorum vnus nunciaret in sequentem diem differri iudiciũ, hunc libertate donauerit.

C. Caesar adolescens dum Syllam fugit, incidit in piratas, primúmq; exigentes summam pecuniæ derisit, quòd ignorarent quem cepissent, duplúmque eius daturum se promisit. Deinde habitus in custodia dum cogeret pecuniam, mandauit eis vt silerent, séq; sinerent dormire. orationes etiam & poëmata scribebat, ipsis q; recitabat, & non admodum laudantes, stupidos barbaróq; appellabat, ac suspensurum se eos per risum minabatur, quod & fecit paulo pòst. allata enim qua se redimeret pecunia dimissus, viros nauésq; ex Asia collegit, latronesq; correptos in cruces egit. Romæ cum Catulo principe in ciuitate viro de pontificatu maximo certans, matri progressurum in campum ad fores vsq; comitanti, Hodie, ait, aut pontificem maximum, aut exulem habebis filium. Pompeiam vxorem dimiserat, quam corruptam à Clodio esse rumor ferebat. quo nomine cùm Clodio esset dictus dies, citatus ipse testis nihil de ea sinistri dixit. & interroganti actori, cur ergo nuncium vxori remisisset, respõdit: Quia Cæsaris vxorem etiam criminis puram oportet esse. Res Alexandri gestas legens, fleuit, dixítq; amicis. Quo natu Alexander Darium vicit, eo ego adhuc nihil egi. Oppidulum in Alpibus transiens

Fama.

nullius

nullius nominis, amicis quærentibus an ibi quoque tumultus & contentiones essent de principatu, meditatus aliquantulum: Mallem, inquit, hic primus esse, quàm Romæ secundus. Audacia & magna facinora facienda aiebat, non deliberanda. & è Gallia provincia contra Pompeium proficiscens, traiecto Rubicone flumine, Omnis, inquit, iacta esto alea. Cùm Pompeius Roma ad mare fugisset, Metellus qui ærarij curam gerebat, volentem ipsum inde pecuniam sumere, prohibuit, occlusitq; ærarium. ei mortem minatus est, cõsternatóq;, Hoc, inquit, mihi, ô adolescens, difficilius est dicere quàm facere. Militibus ipsius Brundusio tardè ad Dyrrachium transvehentibus, omnibus ignorantibus lembum conscendit, conatúsq; est mare traiicere. cùm verò nauiculam fluctus pœnè obruerent, aperiens sese gubernatori exclamauit: Fide fortunæ, sciens te Cęsarem vehere. prohibitus tamen est trãsmittere tempestatis violentia, & concursu militum ægerrimè ferentium, quòd ipsis non confidens alium exspectaret exercitum. Commissa pugna cùm vicisset Pompeius, neque persequeretur victoriam, sed in castra reduceret, dixit Cæsar: Hodie victoria erat penes hostes, sed non habent qui vincere nouerit. Quod ad Pharsalum Pompeius exercitum instructum stare & exspectare hostem iussit, id Cæsar reprehendebat, vehementiam & impetum militũ qui fit cursu cũ quodam quasi furore in hostem tendentibus, eum enerauisse dicens. Pharnacem Ponticum primo accessu cùm superasset, ad amicos scripsit: Veni, vidi, vici. Scipione in Africa pulso victóq; cùm Cato sibi necem conscisset: dixit invidere se Catoni mortem, quando is sibi salutem invidisset. Malè suspicantibus de Antonio quibusdam & Dolabella, & ab iis vt sibi caueret monentibus: Non hos, inquit, metuo ignauos & pingues, sed graciles istos ac pallidos, Brutum monstrans & Cassium. In cœna ser- *Ambitio.*

mone incidente quodnam mortis genus esset optimum, respondit Inopinatum.

CAESAR, qui primus Augustus est cognominatus, adolescens etiamnũ Antonium repoſcebat millies sestertiũm, quam pecuniam ex Iulij Cæsaris interfecti domo is abstulerat: cupiebat enim persoluere Romanis legatũ Iulij, viritim denarios LXXV. Antonio autem pecuniam detinente, ipsumq; si saperet abstinere hac postulatione iubente, hæreditatem paternam proscripsit ac vẽdidit, legatóq; persoluendo benevolentiam sibi, odium ciuium Antonio parauit. Rymetalces Thracõ rex ab Antonio ad ipsum defecerat, societatémq; hanc immoderatè in conviuiis odioseq; iactabat. itaq; Augustus cuidam reliquorũ regum propinãs dixit: Ego proditionem amo, proditores non laudo. Cùm Alexandrini vrbe capta acerbissima quæque exspectarent, conscenso tribunali Arium Alexandrinum iuxta se statuit, vrbiq; se parcere dixit: primùm ob eius magnitudinẽ atque pulcritudinem, deinde propter autorem eius Alexandrum, deniq; in gratiam amici sui Arij. Erotem suum in Aegypto procuratorem audiens coturnicem quæ in pugna omnes vinceret, insuperabilisq; esset, emisse atque comediſſe, acciuit, & inquisiuit: fassúmq; malo clauis affigi iussit. Siciliæ procuratorem Arium loco Theodori constituit: cúmq; ei quidam libellum exhibuisset, in quo scriptũ erat: Caluus, aut fur est Theodorus Tarsensis, quid tibi videtur? subscripsit, Videtur. à Mæcenate, qui cum vitam agebat, quotannis in nataliciis dono accipiebat pateram. Athenodoro philosopho domum redeundi ob senectutem petenti veniam, cõcesit. qui cùm valedicens ei hæc verba protulisset: Cùm irasceris, Auguste, nihil antè vel dixeris vel feceris, quàm tecum XXIV orationis elementa repetieris: manu eius arrepta Augustus, etiamnum, inquit, tua mihi opus est præsentia, ac per totum porrò annum secum

Proditor. *Seuere.* *Ira.*

secum detinuit, Silentij, inquiens, tutum esse præ- *Silentium.*
mium. Audito Alexãdrum, cùm annos natus XXXII pleraque subegisset, anxium fuisse de materia agendi ad reliquum tempus: Miror, inquit, Alexandrum non existimasse maioris esse operæ imperium partum bene constituere, quàm parare. Lata de adulteris lege in qua de reorum eius flagitij iudicio & supplicio erant omnia definita, postea in adolescentem, qui cum Iulia adulterium commisisse dicebatur, iratus irruit, manibúsq; eum pulsauit. qui cum exclamaret, Legem tulisti ô Cæsar: ita pœnitudine est correptus, vt cœnam ea die recusauerit. C. Cæsari filiæ suæ filio, cùm eum in Armeniam mitteret, precatus est à diis gratiam Pompeij, audaciam Alexandri, fortunam suam concedi. Romanis autem se imperij sui hæredem relicturum dixit, qui nũquam bis vna de re consultauerit: Tiberium innuens. Tumultuantes iuuenes qui in honore erãt volens compescere, cùm non animum adverterent, sed obstreperent: audite, inquit, iuuenes senem, quẽ iuuenem senes audiuerunt. Quod peccasse aliquid videbatur populus Athenienſis, ab Aegina scripsit ad eum. Existimo non vos fallere me irasci vobis: alioqui enim non exegissem hyemem Aeginæ. aliud nihil vel dixit eis vel fecit. Cùm vnus de Euryclis accusatoribus effusiùs libertate dicendi & ad fastidium vsque vsus, ad hæc verba prolapsus esset: Si hæc tibi, Cæsar, non videntur magna, recitare eum mihi iube septimũ Thucydidis. iratus Augustus eum se inde auferre iussit. audiens autem esse eum de Brasidæ posteris superstitem, acciuit verbisque mediocriter castigatum dimisit. Pisone domum à fundamentis vsque ad summum tectum accuratè exædificante: Animum, inquit, exhilaras meum: ita ædificans, ac si Roma sit futura sempiterna. *Humaniter.*

PLVTARCHI
Apophthegmata Laconica.

AGaſicles Lacedęmoniorũ rex cuidam miranti quòd auditionis aliâs ſtudioſus Philophanem tamen ſophiſtã non admitteret, reſpõdit ſe debere eorum eſſe diſcipulum, quorum etiam filius eſſet. Idem interrogatus quomodo princeps abſq; ſtipatoribus eſſe poſſet tutus, reſpondit: ſi ſubditis ita imperaret, vt pater filiis.

Tutum imperium.

AGESILAVS magnus ille ſorte quodã in conviuio magiſterium nactus, pincernæ interroganti quantum cuiq; conviuarum vini iuberet apponi: Si multum, inquit, vini in promtu eſt, cuivis quantum poſcet fundito: ſi parum, æqualiter inter omnes diſtribue. Malefico quodam conſtãter tormenta perpetiente, Quàm valdè, ait, malus hic homo eſt, in res malas ac turpes tolerantiam perſeuerantiámq; impendens. Laudante quodam rhetorem, quod magna dicendi facultate res paruas exaggeraret: Ne ſutorem quidem, inquit, probum putem, qui paruo pedi magnum circumdet calceum. Dicenti quodã, Aſſenſus es, idq; repetenti ſæpiùs: omnino, inquit, aſſenſus ſum, ſi res iuſta eſt. ſin minùs, dixi ſanè, verùm aſſenſus non ſum. inferentíque, At verò reges par eſt implere

In vaniloquum.

Principum reſponſa.

Iliad. æ, 527 *Quod capite annuerint:* —— reſpondit: Non magis, quàm ęquũ eſt, vt qui regem accedunt, petãt dicantq; iuſta, cõſiderato quid occaſio & decorum regis ferat. Quoties laudantes aut vituperantes audiret, cenſebat non minus dicentium mores cognoſcendos eſſe, quàm eorum de quibus dicerent. Puerum ipſum etiamnum, cùm puerorum nudorum exhiberetur ſpectaculum, chori magiſter loco obſcu-

Dicentis mores.

ro constituerat. obtemperauit, quanquam iam rex designatus, ita fatus: Bene habet: ostendá enim non loco virum, sed viro locum cohonestari. Medico quodam rationem medendi corporis malo ei demonstranti non simplicem, sed multis subtilibus ac supervacaneis admixtam Aecastor, inquit, nisi mihi vita est destinata, non sum victurus etiam omnibus istis vsurpatis. Adstans aliquando aræ Mineruæ, quæ ab æde ærea Chalcioecus dicitur, bouémque immolans, morsus à pediculo, nihil reveritus in conspectu omnium arripuit eum & occidit, his additis verbis: Per deos, iucúdum est vlcisci insidiatorem, etiá ponè aram. Alio tempore videns murem à puero tenente trahi de fenestra, eúmque mordere manum tenentis ac profugere, re iis qui aderant ostensa dixit: quando minimum animalculum sic propulsat vim illatam, quid existimandum est viros debere facere? Bellum regi Persarum illaturus liberandorum gratia Græcorum qui in Asia erant: oraculum Dodonæum consuluit. acceptóq; responso, vt expeditionem sicuti animo agitabat, ita susciperet, id responsum Ephoris exposuit: hi eum iusserũt Delphos proficisci, déq; eadem re sortem scisciari. Eò itaque cum venisset, ita rogauit: Apollo, idémne tibi videtur, quod patri? Eóq; adstipulante imperator creatus, expeditionem fecit. Eius in belli initio Tisaphernes Agesilaum metuens, pacis impetrãdę causa promiserat, regem vrbibus Græcis libertatem, & quas ipsæ haberent legum vsum permissurum: mox magnis à rege evocatis ad se copiis bellum ei denunciauit, nisi Asia decederet. Grata fuit hęc perfidia Agesilao, simulánsq; in Cariam se ducturũ, cùm eò cogeret suas copias Tisaphernes, converso itinere in Phrygiam irrupit, plurimísq; vrbibus, & ingenti potitus est pecunia. Cùm quidem amicis dixit, Impium esse iniustè fidam datam violare: hostes autem decipere, nõ iustum modò esse & laudabile,

Fiducia sui.

Vltio.

Perfidia & calliditas differunt.

sed suaue etiam ac lucrosum. Equis cùm destitueretur, Ephesum reversus est, opulentísq; iniunxit, vt pro se quisq; equum virúmq; prœberet, hócq; pacto ipse vacationem militiæ haberet. ea ratione subitò equi equitésq; idonei timidorum diuitúmque loco collecti sunt. qua in re imitari se Agamemnonem dicebat, qui accepta bona equa hominem ignauum ac diuitem militiæ immunem fecisset. Vendentibus nuda mancipia (quæ ceperat ex hoste) sectoribus, & vestium multis existentibus emtoribus, corpora autem alba & omnino tenera ob educationem intra parietes & in vmbra factam omnibus deridentibus, quippe invtilia & nauci: adsistens Agesilaus, Hæc, inquit, sunt propter quæ, isti adversus quos pugnatis. Apud Lydiam cùm ingenti hostiũ strage Tisaphernem profligasset, & regis ditionem popularetur, isq; pecuniam dono ipsi mitteret, pacificationémq; posceret, respondit, Pacis compositionem fore in reipublicæ Spartanæ potestate: se ditandis militibus magis delectari, quàm opibus possidendis: hoc autem sibi pulcrum videri, si Græci non accipiant ab hostibus dona, sed manubias adipiscantur. Megabuten Mithridatis F. qui erat formosissimus, offerendi oscŭli gratia accedentem (admodum enim amari se putabat) declinauerat. cúmq; is finem fecisset accedendi, requirebat eum vltrò. tum amicis dicentibus ipsum esse in culpa, qui pulcri oscŭlum formidasset, præ timore non ampliùs venturi: paululum tacitè secum meditatus Agesilaus, Nihil, inquit, attinet, eũ à nobis adduci persuadendo. malle enim mihi videor huiusmodi vincere cupiditates, quàm populosissimã hostium repugnantium vrbem capere. melius est enim suam ipsius conseruare libertatem, quàm aliis eam adimere. Cætera accuratus & iustus, in amicorum causis existimabat nimiam iusticiam prætextum esse cõtra eos. Fertur sanè epistolium eius, pro amico apud Hidrieum

Stratagema.

Iliad. 4, 297.

Victória sui.

Carem

Carem sic intercedentis', tale. Si insons est Nicias, missum eum fac: si autem sons est, mea causa dimitte, omnino autem dimitte. Ac in plerisque sanè amicorum rebus talis fuit Agesilaus. est tamen vbi occasionem ad vtilitatem potiùs accommodauit. Castra enim aliquando mouens non nullo cum tumultu, invalidum à tergo relinquens amasium precantem, & cum lacrymis revocantem, conversus: Difficile est, dixit, simul misereri & sapere. Victus ratione nihilo quàm qui vnà degebant vsus est meliore. abstinuit omnino satietate & crapula: somno vsus est non vt domino, sed eum actionibus habuit suis obedientem. Frigus & æstum ita facilè tulit, vt solus tempestatibus anni vteretur Tentorium * in medio militum habens, nullo meliorem lectum habuit. Assiduè in ore hoc habebat, ducem nó mollicie & luxu, sed tolerantia ac fortitudine debere subditis anteire. Itaque cuidam interroganti, quid boni leges Lycurgi Spartanis attulissent, respódit, Contemtum voluptatum. Admiranti eius, reliquorúmque Lacedæmoniorum in vestitu & victu frugalitatem: Hac, inquit, è semente vitæ libertatẽ metimus. Hortanti vt aliquid de seueritate victus remitteret, monentiq; ob incerta casuum fieri posse vt postmodo nunquã viuere molliùs detur, respondit: Ego verò me adsuefacio vt in nulla mutatione mutationem quæram. Senior etiam factus, eandem viuendi tenuit rationem. ideò quærenti cur magno in frigore tanto ipse natu sine tunica obambularet, respondit: Vt imitentur iuuenes exemplum seniorum atque principum. Thasij per agrum ipsorum cum exercitu transeunti farinam, anseres, bellaria, placentas, aliósque cibos sumtuosos potúsque miserunt. solam autem farinam accepit, reliqua eos, vt nulli vsui sibi futura, auferre iusit. cùm instarent, vtq; omnino acciperet precarentur, in seruos distribuere iusit. quærentibúsque causam, dixit: Qui vir-

Dux.

Frugalitas.

tutem colunt, eos non admittere huiusmodi gulæ delicias. aliena enim à liberis ea esse, quibus seruilia ingenia alliciuntur. Rursum Thasiis eum, quod magna ab ipso se adeptos beneficia sentirent, templis diuinisque honoribus venerantibus, eáque de re legatos mittentibus: vt legit quos honores sibi decernerent, quæsiuit è legatis an ciuitas ipsorum homines in deos posset convertere: cùm affirmarent, Agedum, inquit, vos ipsos primùm deos facite: eo facto, credam vobis posse me quoque à vobis in deum mutari. Cùm Græciæ in Asia gentes decreuissent ei in nobilissimis vrbibus statuas ponere: rescripsit: Nullum mei esto simulacrum, neque pictum, neque fictum, neque artificio vllo adornatum. Conspicatus in Asia domum, quadrangulis laqueatam trabibus, dominum eius interrogauit, ecquid ibi locorum arbores nascerentur quadrangulæ, respondenti, non, sed rotundæ: quid ergo, inquit, an si quadrangulæ nascerentur, rotundas faceretis? Interrogatus olim quò vsque fines Laconicæ pertingerent: hastam vibrans, quò vsque, inquit, hæc pervenit. Alij interroganti cur Sparta muris careret, ciues commonstrans armatos, istos esse dixit Spartæ muros. Alteri hac ipsa de re percunctanti respondit, vrbes non lapidibus & lignis, sed virtute inhabitantium debere esse munitas. Hortatus est amicos suos, vt non pecuniæ, sed fortitudinis & virtutis fiant locupletes. Si quando aliquid vellet celeriter à militibus peragi, id primus ipse in conspectu omnium aggressus est. Hoc gloriabatur, quod à nemine superaretur laborãdo, & sibi magis quàm subditis imperaret. Cùm quidam Laconem claudum videret in bellum exire, & equum quæreret, Non sentis, inquit, bellum opus habere manentibus, non fugientibus? Interrogatus quomodo magnam parasset sibi gloriam, respondit, Contemnendo mortem. Quærente quodam

Inanis honoris contẽtus.

In luxum.

Munitio.

cur

cur ad tibiæ cantum Spartani pugnarent: vt, inquit, ad numerum iis incedentibus timidi fortésque sint in conspectu. Fortunas Persarum regis prædicante, iuuenis admodum: Neque Priamus, *Sapienter.*
inquit, ista ætate calamitosus fuit. Subacta magna Asiæ parte, statuit adversus ipsum regem ducere, finémque ocio eius imponere, quo is abvsus Græcorum oratores solebat corrumpere. Evocatus autem ab Ephoris ob bellum quod à Græcis Spartæ imminebat, cuius causa erat pecunia à rege Persarum transmissa, fatus bonum principem debere parére legibus, ex Asia abiit, magno sui desiderio Græcis ibi degentibus relicto. Et quia nomisma Persicum sagittario erat signatum, castra mouens dixit, triginta sagittariorum millibus à rege se ex Asia expelli. Tot enim aureis Daricis à Timocrate Athenas perlatis, ac inter oratores diuisis, populi ad bellum contra Spartanos suscipiendum concitati erant. Ephoris autem in hanc rescripsit sententiam. Agesilaus ephoris S. Magnam Asiæ partem
subegimus, barbaros profligauimus, & in Ionia multum armorum parauimus. Sed quoniam me ad definitum venire diem iubetis, sequor epistolam, ferè
autem & antevertam. Imperium enim gero non mihi, sed ciuitati ac sociis. ac tum imperator verè iustéque imperat, quando regitur à legibus & ephoris, aut siqui sunt alij in ciuitate magistratus. Post- *Magistratus.*
quam traiecto Hellesponto per Thraciam fuit proficiscendum, nullos barbarorum precatus est, sed misit ad singulas gentes quæsitum, vtrum vellent se per ipsorum regionem vt sociam, an vt hostilem transire. Cæteris amicè eum admittentibus ac de- *Magno animo.*
ducentibus, Troadenses, à quibus etiam Xerxes (vt fertur) transitum donis redemerat, mercedis nomine ab Agesilao postularunt c talenta argenti, & totidem mulieres. Irrisit eos Agesilaus, dicénsq; cur non rectà veniissent acceptum quod pe-

tebant, adduxit exercitum, collatísque signis eos multa ipsorum cum strage fudit, atque transiit. Macedonum regi cùm eandem proposuisset quæstionem, ísq; se deliberaturum diceret: Deliberet ergo, inquit, nos pergemus. miratus itaque audaciá eius Macedo, sibíque timens, vt amicum transire iussit. Thessalorum, qui hostium erant socij, agrum populatus est, missis Lariſſam Xenocle & Scytha amiciciæ coëundæ causa. Qui cùm comprehensi custodirentur, reliquis grauiter hoc ferentibus, ac censentibus debere Agesilaum obsidere atque oppugnare Lariſſam, fatus nolle se alterius istorum virorum interitu vel totam mercari Thessaliam, pactis conditionibus eos recepit. Audito pugnatum esse apud Corinthum, & Spartanorum planè paucos, Corinthiorum, Athenienſium, reliquorúmq; sociorum permultos occubuisse, nullam in vultu lætitiam, aut ob victoriam animi elationem præ se tulit: sed altè ducto gemitu, O infelicem, dixit, Græciam, quæ tantum hominum ipsa sibi interemit, quantum satis erat ad vniuersos vincendum barbaros. Pharsaliis ipsum vrgentibus & exercitum ipsius vexantibus 10 equitibus eos fudit, trophæúmque sub Narthacio statuit, & omnium victoriarum hac maximè delectatus est, quòd suo instructo seorsim equitatu, eo solo superasset hos, qui re equestri maximè se iactabant. Diphrida Lacedæmone mandatum ei adferente, vt statim ex itinere in Bœotiam irrumperet: quanquam id statuerat alio tempore & maiore cum apparatu facere, paruit tamen magistratui, & accitis xx millibus eorum qui ad Corinthum castra habebant, in Bœotiam invasit, prælióque ad Coroneam congressus cum Thebanis, Athenienſibus, Argiuis, & Corinthiis, victoriam obtinuit. Et quanquam corpus eius multis vulneribus malè fuit ea in pugna mulctatũ, quæ omnium eius tempestatis fuit teste Xenophonte maxima, nihil

Bella intestina.

hil tamen reversus domum in vitæ & victus ratione post tot victorias prosperósq; successus mutauit. Videns ciuium quosdam equis alendis sibi arrogare famam ac superbire, Cynisæ sorori persuasit, vt conscenso curru ludis Olympicis decertaret. volens demóstrare Græcis certamina ista non virtutis alicuius, sed diuitiarum esse & sumtuum. Cum haberet secũ studioséq; tractaret Xenophontem sapientem, suasit ei vt filios suos Spartam accerseret, ibíque educaret, vt instituerentur omnium pulcherrima disciplina imperandi ac parendi. Obediẽtia.

Aliàs interrogatus, quámnam ob causam Spartani aliis feliciores essent, respondit: Quia plus quàm alij exercent se in imperando & obediendo. Lysandro mortuo cum inuenisset magnam factionem, quam ille statim post reditum ex Asia aduersus Agesilaum excitauerat: animum adiecit ad demonstrandum qualis dum viueret ciuis fuisset Lysander. cúmque orationem legisset in libro relictam, quam Cleo Halicarnassensis composuerat, Lysander autem fuerat ad populum habiturus de rebus nouis, & immutanda republica: statuit eam in medium proponere. Sed cùm de senioribus quidam ea pellecta vim dicendi artificiúmque metuens, suaderet ne è sepulcro effossum produceret Lysandrum: obtemperauit, eámque rem omisit. Eos autem, qui clanculum se ipsi opponebant, palàm quidem non incessit. sed conficiens hoc vt quidam eorum se duces aut alio cum magistratu sequerentur, demonstrauit eos vbi potestatem adepti essent, malos esse ac rapaces. accusatis deinde opitulans atque patrocinans, familiares sibi redegit, atq; ad se traduxit, ita vt nullum deinde haberet aduersarium. Petenti à se vt ipsius nomine suis in Asia hospitibus scriberet, vt quod iustum erat consequi posset: Mei quidem, respondit, hospites vltrò faciunt quod iustum est, me etiam nihil scribente. Monstrabat ei quidam vrbis

Inimici vt tractandi.

alicuius muros validè admodũ exſtructos, & quæ-
rebat, Pulcróſne eos iudicaret? reſpondit: Ita per
deos, ſed nõ vt viri, verùm vti mulieres intus habi-
tent. Megarenſi cuidam ad ſe de vrbe gloriosè lo-
quenti: Adoleſcẽs, inquit, tui ſermones magna opus
habent potentia. Quæ alios admirari videbat, ea ne
noſſe quidem ſtatuerat. Et cùm aliquando Callipi-
des tragœdiarum hiſtrio, celebris apud Græcos
famæ & cui omnes multum tribuerent, primùm ei
occurriſſet atq; ſalutaſſet, deinde proteruè in co-
mitatum ſe ingeſſiſſet, atq; oſtentaret, ſperans blan
dè ſe ab Ageſilao compellatum iri, tandem diceret,
Non agnoſcis me rex, neque inaudiuiſti quis ſim?
Contemtus rerum inanium. intuitus in eum, Nónne, inquit, tu Callipides es mi
mus? Vt audiret quendam, qui vocem luſciniæ imi
tabatur, rogatus renuit, quòd diceret ſe ipſam ſæpe
audiuiſſe luſciniam. Menecrates medicus quia in
quibuſdam deſperatis morbis vſus erat ſucceſſu fe-
lici, cognominabatur Iupiter. quo titulo cũ vtere-
tur importuniùs, & auſus fuiſſet ad Ageſilaum ſcri-
bere, Menecrates Iupiter Ageſilao regi S. non lectis
reliquis reſcripſit: Rex Ageſilaus Menecrati ſanam
mentem. Cùm Conon & Pharnabazus claſſe regia
mare obtinerent, ac coram Laconicæ maritimã op-
pugnarent, Athenienſium autem Aſtu muniretur
præbente pecuniam Pharnabazo: pacem cum rege
Perſarum fecerunt Lacedęmonij, miſerúntq; vnum
de ſuis ciuibus Antalcidam ad Tiribazum, qui regi
ipſorum nomine Græcos in Aſia habitantes trade-
ret, pro quibus Ageſilaus bellum geſſerat. quo fa-
ctum eſt improbiſsimè, vt huius rei infamiæ parti-
ceps eſſet Ageſilaus. Inimicus enim ei erat Antal-
cidas, pacémq; omnib. viribus machinabatur, quòd
bello Ageſilaus creſceret, ſummámq; adipiſceretur
gloriam & potentiam. Enimverò dicenti Lacedæ-
monios ad Medorũ partes inclinare, Immò, reſpon-
dit, Medi potiùs Laconiſant. Interrogatus aliquan-
do, vtra

do, vtra virtutum harum, fortitudinis & iusticiæ, præstantior esset: Respondit nullum fore vsum fortitudinis non præsente iusticia. omnibus autem iusticiam colentibus, nihil opus fore fortitudine.

Asianis regem Persarum ex consuetudine magnum appellantibus, Quid, inquit, maior me est, si non iustior est, neque temperantior? Qui in Asia habitabant, eos aiebat in libertate malos, si seruirent, bonos esse. Interrogatus, quo quis maximè pacto inter homines præclarum inuenire posset nomẽ: Respondit, si optima dicat, & pulcherrima agat. *Gloria.* Ducem aiebat debere aduersus hostes audacia, aduersus subditos beneuolentia instructũ esse. Quærenti quid pueris esset discendũ, Hæc ait, quibus etiã ad virilem prouecti ætatẽ vtãtur. Ius dicens, cùm actor benè dixisset, reus malè, atq; hic identidem inculcaret, Agesilae regem tutari leges oportet: si, inquit huic, domũ tibi aliquis tuã perfodisset, aut vestem abstulisset, putásne architectũ aut textorẽ tibi opem laturũ fuisse? *Iudicis officium.* Pace composita epistolam ad se à rege scriptam, & à Persa quodã cum Callia Lacedæmonio missam, in qua hospitiũ & amicitia offerebãtur, nõ accepit: sed regi iussit renunciare, nihil eũ opus habere ad se mitttendis epistolis. nam si amicum se rex Spartæ & Græciæ gerat, ipsum summopere ei fore amicum: sin verò insidiari deprehendatur, nõ esse quod se credat ipsi amicum fore, etiam si plurimas acciperet epistolas. Ferũt eum, quòd impensissimè liberos suos diligebat, domi in arundine cum puerulis ludendi gratia equitasse. conspectúmq; à quodam amicorũ, monuisse, ne cuiquam hoc diceret priusquam ipse quoq; pater esset factus. *Amor liberûm.* Continenter cum Thebanis bella eo gerente, & in pugna quadam vulnerato, Antalcidam ferunt dixisse: Pulcram à Thebanis mercedem reportas, quos inuitos & nescientes pugnare docuisti. Nam revera narratur, nunquã bellicosiores fuisse Thebanos, quàm

tum temporis,ob crebras Lacedæmoniorum adver
sus eos expeditiones. Idcirco etiam Lycurgus ille
priſcus in legibus,quas Retras appellant, vetuit fæ
pe contra eoſdem bellum gerere, ne ij bellandi ra-
tionem diſcerẽt. Vt intellexit moleſtum eſſe ſociis,
quòd in continentibus expeditionibus paucos La-
cedæmonios ipſi tanta multitudine ſequi cogeren-
tur, vt eorũ numerum demonſtraret, omnes ſocios
iuſsit inter ſeſe permixtos ſedere, ſeorſim Lacedæ-
monios. Tum præconis voce ſurgere iuſsit,primum
figulos,& poſtquam hi ſurrexerunt, fuſores deinde
ærarios,tum fabros,pòſt architectos,denique ſingu
lorum artificiorum id genus tractatores.ita factum
eſt, vt vniuerſi propè ſocij ſurgerent,nemo Lacedæ
moniorum:his enim per leges non licet tractare vl-
lam ſordidam artem. ridens ergo Ageſilaus, Vide-
tis,inquit,quãto nos plures quàm vos milites emit-
tamus. In Leuctrica pugna multi Lacedæmonij fu-
gerant, & obnoxij erant infamiæ legibus decretæ.
Ibi cùm Ephori viderent vrbem viris vacuam, quæ
tunc militibus opus habebat,cogitabant quo pacto
ſaluis legibus illos tamen infamia liberarent,ideó-
que Ageſilao munus legis ferendæ iniungebant. Is
in publicum progreſſus, Nouarum, inquit, legum
autor quidem non fuero: neque enim iis quæ ſunt
addere, detrahere, aut in iis mutare quicquam ve-
lim. Bene autem habet, vt leges noſtræ à craſtina
die ſint ratæ. Epaminondam autem tanta cum pro-
cella & æſtu irruentem, quanquam pauci eſſent in
vrbe, arcuit tamen Lacedæmone & repulit. In pu-
gna ad Mantineam hortatus eſt Lacedæmonios, vt
omiſsis reliquis in ſolum pugnarent Epaminõdam:
ſolos, inquiens,prudentes eſſe fortes,& illo necato
facilem fore de reliquis victoriam, fatuis & nullius
precij hominibus.idq; conſilium exitus comproba-
uit. Cùm enim vinceret Epaminondas,fugientibus
Spartanis, hunc ſe obvertentem & ſuos vocantem

Milites ve-ri.

Callidè.

In duce quã tum ſitum.

quidam

quidam Lacedæmoniorum lethali vulnere deiecit. tum reversi à fuga qui cum Agesilao erant, dubiam reddiderunt victoriam, Thebanis multo quàm antè deterioribus, Spartanis melioribus apparentibus.

Cùm pecuniæ egerent Spartani ad bellū, vt qui militem alerent peregrinū, profectus est in Aegyptum Agesilaus mercede militaturus regi Aegypti ipsum accersenti. Contemnebatur autē ab Aegyptiis ob vestitus vilitatem, putantibus regem Spartæ itidem vt Persarum visuros se in splendido corporis ornatu, malè de regibus opinantes. ostendit enim eis deinde maiestatem & gloriam prudentia & virtute esse parandam. Cùm autem videret eos qui in pugna adfuturi ipsi erāt, terreri periculo ingruente ob multitudinem hostium, (erant enim ducenta millia) & suorum paucitatem: statuit ante conflictum nemine conscio animare eos: itaque manui substratæ victoriam inscripsit, sumtóq; ab ariolo iocinore id in manum notis inscriptā imposuit, aliquandiúq; tenens, dubitare se & animi pendere simulauit tantisper dū à iocinore notæ receptæ & infixæ sunt. tunc sociis eam scripturam monstrauit, deos, inquiens, ea victoriam polliceri. quod illi certum boni successus argumentū se habere putantes, ad pugnam animati sunt. Hostibus verò ob multitudinem castra Aegyptia fossa circumvenientibus, ac Nectanabi (huic enim regi opitulabatur) iubente in aciem educere ac decertare, Nolo, inquit, prohibere quin hostes, id quod agunt, nobis fiant æquales. Pòst exiguo interstitio fossæ extremis distantibus, acie eo ipso in interstitio instructa, æqualis latitudinis ordinibus cum hoste pugnans, paucis suis militibus fudit hostes, magnámq; eorum stragem edidit, ac multū pecuniæ Spartam misit. Ex Aegypto in patriam reuertens, ea in nauigatione vita decessit. cùm quidē suis moriens mandauit, ne vllam sui corporis fingendo aut alia imitatione pararent imaginē. Si quid enim,

Vestis.

Frans vtilis

Stratagema.

Vera gloria. aiebat, à me est præclarè factum, id monimentum mihi erit sin verò, ne omnes quidem statuæ, hominum opera illiberalium.

AGESIPOLIS Cleombroti F. narrante quodam Philippum intra paucos dies Olynthum everti sse: Atqui per deos, inquit, multis modis maiori temporis spacio talem vrbem nō condet. Obiicienti ipsum, cum rex esset vnà cum iis qui ætate florebant obsidem fuisse, non mulieres & filios ipsorum: Quia enim, respondit, iustum rectúmq; est nosmet ipsos nostra peccata luere. Cum vellet è patria catulos accersere, quidámque diceret venales Spartæ nullos esse: Antè, inquit, ne viri quidem: sed nunc sunt.

AGESIPOLIS Pausaniæ F. Athenienſibus de controversia quæ ipsi cum iis erat ad Megarensium provocantib. iudiciū: Turpe, inquit, est principibus Græciæ minus esse ius notum quàm Megarensibus.

AGIS Archedami F. mandantibus aliquando Ephoris, vt assumta iuuenum manu quendā in eius patriam sequeretur, qui esset ipsum in arcem ductu-

Proditor. rus, respōdit: Quomodo verò, Ephori, convenit tot iuuenes credere ei, qui suam ipsius patriam prodit. Interrogatus qúænam disciplina maximè exerceretur Spartæ, Peritia, inquit, imperandi & parendi. Dicebat Spartanos non quærere numerum hostium,

Fortiter. sed vbi sint. Ad Mantineam cùm prohiberetur pugnare quod hostes numero vincerent, Necesse est, inquit, contra multos pugnet, qui multis vult imperare. Interroganti quot essent Lacedæmonij, respondit, quanti ad profligandos malos sufficiunt. Corinthiorum muros perambulans, cum spectasset eos sublimes, validos, & in longum porrectos spacium, Qúænam, inquit, hîc habitant mulieres? Sophistæ dicenti Orationem omnium rerum esse optimam, Proinde, inquit, tu, cùm taces, nullius es precij. Cùm Argiui accepta clade ferociùs ei occurrerent,

rent, viderétq; ſociorum pleroſq; turbari, dixit: Bono eſte animo viri: vbi enim nos, qui vicimus, formido inceſsit, quid putatis animi eſſe iis qui à nobis fuerunt ſuperati? Abderitarũ legato, cùm is tãdem facto multa loquẽdi fine interrogaret quid ciuibus renunciaret: Hoc, inquit, referes, quàm diu tibi viſum fuit loqui, tam diu me tacitũ audiuiſſe. Laudantibus Eleos, quod iuſtiſsimè Olympicum certamen adminiſtrarent, Quid pręclari eſt, inquit, quòd toto quinquennio per vnicum diem iuſticia funguntur? Narrantibus invidere ei quoſdam ex altera familia, reſpõdit: ergo & ſua ipſis moleſta erũt mala, & prætera mea amicorúmq; meorũ bona. Conſulenti vt fugientibus hoſtibus tranſitũ concederet: Quomodo, inquit, pugnabimus contra eos qui fortitudine freti nos ſubſiſtunt, ſi in eos nõ pugnamus, qui præ timiditate fugiunt? Proponente quodã de libertate Græcis paranda ſententias, non ignobiles quidem eas, ſed exſecutu difficiles, Tua, inquit, hoſpes verba vim & pecuniam deſiderant. Dicenti Philippum ipſis Græciam inacceſſam redditurum, Sufficit, inquit, nobis ô hoſpes in noſtra verſari terra. Legatus Perintho Spartam miſſus, cum poſt longum ſermonem demũ interrogaret Agin quid reſponſi Perinthiis ferret, Nihil aliud, inquit, quàm te, me tacente, vix tandem finem loquendi feciſſe. Cùm ſolus veniſſet ad Philippum legatus, iſque quæreret quid ita ſolus veniſſet: reſpondit, Etenim ad vnum. Iam ſeniori quidam antiquas leges videns elangueſcere, prauáſque alias obrepere, dicebat Spartæ res ſurſum verſum inverti. Tum Agis per iocum: Hoc ſi fit, rationi conuenienter fit. nam puer ipſe audiui patrem meum dicere, ſurſum verſum res ſua ætate inverſas eſſe: idémq; is ſe puerum ex ſuo patre audiuiſſe aiebat. non ergo mirandũ, ſi poſteriora prioribus deteriora eveniunt, ſed ſi quando meliora aut ſimilia obtingerent. Interrogatus, qua quis ratione

Invidia.

Omnia in peius ruũt.

liber permaneat, respondit, si mortem despiciat.

Agis iunior Demade dicēte prestigiatores gladios Laconicos ob paruitatem deglutire: Atqui, inquit, gladiis potissimum nos hostem impetimus. Prauo homini sæpenumerò interroganti quis esset Spartanorum optimus, respondit: Qui tui est dissimilimus.

5 alii.

Agis vltimus Lacedæmoniorū regum per insidias captus, indictáq; causa damnatus ab Ephoris, cùm ad laqueū, quo erat ei guttur elidendū, duceretur, cuidā ministrorū, quem plorare videbat: Desine, inquit, me deflere, qui tam sceleratè atq; iniustè morti addictus, meliore sum quàm qui me necāt cōditione: atq; sic locutus funi vltrò ceruicē præbuit.

Acrotatvs parentib. postulantibus vt iniusta quadam in re operā ipsis nauaret, cùm aliquan diu verbis repugnasset, grauiùs vrgentibus dixit: Quandiu vobiscum vixi, nullam habui iusticiæ noticiam, sed postquam me patriæ eiúsq; legibus tradidistis, & ad iusticiam honestatémque pro viribus facultatibúsque vestris erudiuistis, conabor his potiùs quàm vobis obsequi. ac quoniā vultis me optima agere, optimum autem est cùm priuato, tū multo etiam magis principi id quod est iustū: agam quę vultis, quæ verò dicitis detrectabo.

Iusticia.

Alcamenes Telecli F. interrogatus quo quis pacto regnum optimè conseruaret, respondit, Si lucrum posthabeat. Alij quærenti cur dona à Messeniis nō accepisset, respondit: Quia iis acceptis fieri non poterat vt cum legibus pacem tenerem. Dicenti viuere ipsum contractè, satis alioquin opulentum, præclarum esse dixit eū qui sit locuples viuere secundum rationem, non secundum cupiditates.

Lucrum.

Anaxandridas Leonis F. cuidā exsulium iniquiùs ferenti, Heus tu, inquit, non quod ab vrbe sis alienus grauiùs est ferendum, sed si à iusticia esses. Ei qui ad Ephoros quædam non quidem abs re,

Oratio.

sed

sed tamen verbosiùs æquo verbis explicuerat, Hospes, inquit, re necessaria veteris nulla necessitate postulante. Interroganti cur seruis helotibus agros colendos traderent, non ipsi curarẽt, respondit: Quia eos parauimus non vt ipsos, sed vt nos curaremus. Quodam dicente, Existimationem esse damnosam, beatúmq; fore qui de gloria paranda non laboret: hac, inquit, tua ratione flagitiosi erunt beati. quî enim sacrilegus aut iniustè agens famam curaret? Interrogãti cur Spartani in bellis ita audacter periculà adirẽt, Respondit, Quia nobis studio est vt solicitiores simus de vita, non, vt alij, timidi. Interrogatus cur cùm de vita anquiritur in iudicio, causa à senioribus per complures dies disceptetur, & qui absoluitur, nihilominus reus maneat, sic respondit. plures dies iudicio impendi, quòd in tali casu error correctionem non admittat. interim reum legibus teneri, quia hac lege permissum sit rectiùs aliquid de eo decernere. *Capitalia iudicia.*

ANAXANDER Eurycratis F. quærenti cur pecuniam in ærarrũ non colligerent Spartani, respondit, Ne custodes ei præfecti corrumpantur. *Pecunia.*

ANAXILAS, miranti cur Ephori regibus non assurgerent, cùm quidem ab iis constituantur: causa, inquit, eadem est cum ea, ob quam ephori sunt.

ANDROCLIDAS Laco mutilatus pedem inter milites suũ nomen professus est. prohibentibus, quòd eum mutilum dicerent, Atqui, inquit, non fugientem sed manentem oportet pugnare in hostes.

ANTALCIDAS in Samothrace cùm initiaretur sacris, quærenti sacrificulo ecquid in vita flagitij perpetrasset: si quid, ait, tale egi, norunt ipsi dij. Athenienſi indoctos appellanti Spartanos, dixit: Soli ergo nos nihil à vobis didicimus mali. Alij Athenienſi dicẽti, Nos quidem vobis à Cephiſo pulſis ſæpenumerò inſtitimus: at nos, inquit, vobis nũquam ab Eurota. Interroganti qua quis ratione maximè *Gratiã quid pariat.*

placere hominibus posset, respodit, Si dicendo eos quamplurimum delectet, & in vitæ vsu maximè eis prosit. Sophistæ cuidam laudationem Herculis recitare volenti, Quis enim, inquit, eũ vituperat. Age filao in pugna à Thebanis vulnerato, Habes, ait, mercedem, qui eos inuitos ignaróſq; pugnare docueris. videbantur enim Thebani cõtinentibus in ipsos Agesilai expeditionibus bellicosi facti. Muros Spartæ aiebat esse iuuenes, terminos autem hastarum cuspides. Quærenti cur in bello gladiis breuibus vterentur Spartani, causam reddidit, quòd comminus in hostem pugnarent.

ANTIOCHVS Ephorus, audito Messeniis agrum à Philippo adsignatum, An, inquit, vim quoq; iis dedit, vt de eo pugnantes vincant?

Mulier. ARIGEVS, cùm quidam non suas, sed alienas laudarent mulieres, Me hercle, inquit, de pulcris & honestis mulierib. nihil temere dici, sed quales eæ sint omnib. extra maritos ignotum esse oportebat. Aliquando per Selinuntem Siciliæ vrbem iter faciens, in monimento quodã hanc legit inscriptionẽ:

Hos restinguentes Mars fortè tyrannida sæuus,
Ponè Selinuntis mœnia strauit humi.

tùm ille: meritò estis interfecti aggressi tyrãnidem ardentem restinguere, quæ vt conflagraret finere potius debebatis. *Salsè.*

ARISTO, laudante quodam Cleomenis dictũ, qui interrogatus quod esset boni regis officium, re- *Prudenter.* sponderat, Amicis bene, inimicis malè facere· quanto, inquit, mi homo rectius erat amicis bene facere, ex inimicis autem amicos redigere? Hoc constat primum omnium Socratem dixisse, eíq; vt autori acceptum fertur. Interroganti quot numero essent Spartani, Tot, inquit, quot hostibus arcendis sufficiant. Recitanti cuidam funebrem orationem in Athenienses à Lacedæmoniis cæsos, Quales, inquit,

quit, putas esse nostros, à quibus ij victi sunt?

ARCHIDAMIDAS laudanti Charilaum, quòd omnibus ex æquo mitis esset, Quî potest, inquit, iustè laudari, qui etiam malis se mitem præbet? Cuidam Hecateum sophistam reprehendenti, quòd in convictum ipsorû (quod syssition vocant) receptus nihil diceret: Ignorare mihi videre, dixit, Quòd qui dicere nouit, tempus etiam dicendi non ignorat. *Grauiter.*

ARCHIDAMVS Zeuxidami F. interrogatus quinam Spartæ præessent, respôdit: Leges, & magistratus ex earû præscripto. Laudanti citharœdum, ciúsq; peritiam admiranti, Mi homo, inquit, quis honor apud te erit bonis viris, qui fidicinem adeò laudes? Cùm ei quidam fidicinem commendaret ab arte: Hic quidem (dixit alio commonstrato) apud nos bonus est iuris coctor, innuens nihil præstare artificium quod voce voluptatem gignit ei quod obsonio aut iusculo parando voluptatem conciliat. Pollicenti se vinum ei dulce redditurum, Quid attinet, inquit? nam & plus insumetur, & virilia reddet minùs vtilia. Castra ad Corinthum metatus, cùm è loco muris vicino prodire lepores cerneret, commilitonibus dixit: Facilè hostes in nostram venient potestatẽ. Arbiter à duobus sumtus, adductus in Chalcœci Mineruæ fanum sacramento devinxit, staturos eos ei quam tulisset ipse sententiæ. qua confecta re, Pronunciare se dixit, non nisi priùs composita lite ipsos inde abire debere. Cùm Dionysius Siciliæ tyrannus preciosas vestes filiabus ipsius misisset, non accepit, quòd vereri se diceret, ne his indutæ deformes ipsi viderentur. Filium audaciùs pugnare adversus Athenienses videns, Aut adde, inquit, virib. aut aliquid de animi elatione deminue. *Laus quibus debeatur.* *Omen.* *Arbitrium egregium.*

ARCHIDAMVS Agesilai F. Philippo, qui ad Chæroneâ victoria potitus litteras ad ipsum dederat asperiores, rescripsit: Si tuam vmbram metiaris, deprehẽdes eam nihilo quàm fuit ante victoriâ esse *Silentium in superbientem.*

longiorem. Interrogatus quantum regionis Spartani posiderent, Quanto, respõdit, hasta pertingimus. Cùm Periander nobilis laudatissimúsq; medicus inepta carmina scriberet: Quánã, inquit, de causa proscito medico cupis appellari malus poëta? In bello cõtra Philippum, suadentibus nonnullis procul à patria pugnandum esse: Non hoc ait, considerandum est, sed an hostem prælio superaturi simus. Laudantibus ipsum quod Arcades vicisset, respondit: Præstabat eos prudentia à nobis, quàm viribus esse victos. Impresione in Arcadiam facta, Eleos Arcadibus auxilium velle ferre audiens, sic per litteras compellauit: Archidamus Eleis: bonum est quiescere. Sociis in bello Peloponnesiaco quærẽtibus quantum pecuniæ sufficeret, & tribtum definiri sibi postulantibus, respondit: Bellum determinato sumtu non ali. Vbi catapultæ tormentum vidit, tũ primùm ex Sicilia allatum, exclamauit: Hercules, periit viri virtus. Græcis ei obtemperare, & soluere cum Antigono & Cratero Macedonibus inita pacta, libertatémq; amplecti recusantibus, quia molestiores sibi fore Spartanos quàm Macedones putarẽt: Quis, dixit, semper voce vtitur eadem: homo multis & variis, dum conficiat quod vult.

Inepta curiositas.

Belli sumptus.

Perfidia.

ASTYCRATIDAS, postquã Agis rex ad Megalopolin fuit ab Antigono pugna superatus, dicenti, Quid facietis Spartani? an Macedonibus seruietis? respondit: Quid? an impedire potest victor, ne pugnantes pro Sparta mortem oppetamus?

BIAS insidiis circumventus ab Iphicrate Athenensium duce, militibus interrogantibus quid faciendum foret: Quid aliud, inquit, quàm vt vos vestræ saluti consulatis, ego pugnans moriar.

BRASIDAS murẽ in caricis à se deprehensum morsus ab eo dimisit. tum ad eos qui aderant cõversa oratione, Nihil, inquit, ita est exiguum quod saluum esse non possit, si vim inferentes vlcisci audeat.

Vltio.

deat. Quadã in pugna telo per clypeum adacto vulneratus, hoc ipso evulso hostem interfecit. interrogatúsq; quomodo vulnus accepisset, respódit, Prodente me clypeo. In bellum proficiscens, Ephoris scripsit: In bello omnia pro viribus rectè geram, aut moriar. Postquam liberatis qui in Thracia habitabant Græcis in acie cécidit, missíq; Spartam legati matrẽ eius Argileonidem convenerunt: primùm ea quæsiuit, an honestè obiisset Brasidas. deinde Thracibus eum laudibus ferentibus, nullúmq; alium esse talem dicentibus, Erratis, inquit, hospites. vir egregius fuit Brasidas, sed multos eo præstantiores habet Sparta. *Modestè.*

DAMONIDAS vltimo loco in choro constitutus ab eo qui chorum instituebat, Laudo te, inquit, chorage, qui rationẽ inveneris, qua hunc quoque locum alioqui ignominiosum cohonestares. *Fiducia sui.*

DAMIS ad postulata ab Alexandro missa, quibus decreto se in numerũ deorum referri iubebat: Concedimus, inquit, Alexandro, vt si ita vult, Deus vocetur.

DAMINDAS Philippo in Peloponnesum irruente, cùm quidam diceret fore in periculo Lacedæmonios, nisi cum illo pacem componerent, respondit: Semivir, quid mali nobis expectandum est, qui mortem contemnimus?

DERCYLLIDAS Pyrrho, ad quẽ iam exercitum ad Spartanorum fines habentem missus erat legatus, imperanti vt Cleonymum regem suum reciperẽt, alioqui cognituri nihilo se aliis fortiores esse, respondit: si deus es, nihil te metuimus, nulla tibi orta à nobis iniuria. sin homo es, nihilò nobis prestas.

DEMARATVS verbis ab Oronte asperiùs tractatus, dicẽti, Duriter te vsus est, Demarate, Orontes: respondit: Nihil is in me peccauit, nocent enim non qui ex odio loquuntur, sed qui gratiam blandiendo captant. Interrogatus à quodam, cur Lace- *Adulatio.*

cedæmone ignominia notarentur qui clypeum ami
sissent, non item qui galeam aut thoracem, retulit:
quia hæc sui ipsorum causa gestant, clypeum autem
propter communem ordinem. Audito fidicine, vi-
detur, inquit, mihi hic non malè nugari. Quodam
in consessu interrogatus, an ob fatuitatem quidam,
aut potiùs ob inopiam materiæ dicendi taceret: at-
Silentium. qui, inquit, stultus tacere non posset. Quærenti cur
rex cùm esset Sparta exularet, respondit, Quia ma-
iore vi sunt leges eius ciuitatis. Persæ cuidam, qui
continentibus largitionibus amasium ipsi abstulis-
set, ac diceret, Heus Laco, venatus sum tuum ama-
sium, respondit: Minimè verò, sed emisti. Defecerat
quidam Persa à rege suo, eíq; Demaratus persuase-
Turpe. rat vt ad regem rediret. quem cũ deinde rex necare
intenderet, Demaratus: Turpe, inquit, est ô rex, à
quo cùm inimicus esset pœnas sumere defectionis
non potuisti, eum nunc amicum factum abs te oc-
cídi. Parasito regis sæpius exilium sibi exprobranti
respondit: nolo, hospes, tecum contendere: cósum-
si enim vitæ ordinatos sumtus.

ECPREPES Ephorus Phrynidis musici fides
de nouem duas ascia præcídit, inquiens: Noli male-
ficium Musicæ inferre.

Mendacium. EPAENETVS omnium aiebat peccatorum &
iniuriarum causam esse homines mendaces.

EVBOIDAS quosdam audiens mulierem lau-
dantes alienam improbauit, dicens omnino de mu-
liebri natura apud exteros nullum debere sermo-
nem fieri.

EVDAMIDAS Archidami F. Agidis frater, vi-
In philoso-phos. dens in Academia Xenocratè iam grandi natu cum
discipulis philosophantem, quæsiuit quisnam esset
iste senex. cùm responderetur, sapientem esse, vnũq;
eorum qui virtutem quærerent: Et quando, inquit,
vtetur virtute, si eam etiamnum quærit. Philoso-
phum audiens differere solum sapientẽ esse bonum

impera-

imperatoré: oratio (inquit) admiratione digna, sed qui dicit fidem non meretur: non enim eum tubæ circumsonuerunt. Venit ad Xenocratem Eudamidas, cùm is explicato proposito iam finem dicendi feciſſet. ac quodam comitum dicente, Quando nos venimus, iſte ceſſat diſſerere: non iniuria, inquit, ſi quidem iam dixit quæ voluit. addenti, At qui expediebat audire, Quid, ait? an ſi veniremus ad iam cœnatũ, iuberemus eum denuò cœnare? Interrogatus cur ciuibus bellum contra Macedones molientibus ipſe quieſcere decreuiſſet: Quia, inquit, nihil mihi opus eſt eos erroris convincere. Alio Perſicis victoriis commemorandis eum ad bellum exhortante, Videris, inquit, mihi ignorare hoc idem eſſe, ac ſi quis quod CID oues ſuperaſſet, contra L lupos pugnandum ſibi duceret. Cum fidicen quidam placuiſſet, rogatus qualis ſibi is videretur, reſpondit, Magnus delinitor in re exigua. Laudante quodam Athenas, dixit Non poſſe meritò laudari eam vrbem, quam nemo propterea dilexerit, quòd ibi eſſet factus melior: Argiuo cuidam dicenti Lacones deteriores peregrinando fieri, quòd à patriis deſciſcerent legibus: At vos, inquit, Spartam venientes non deteriores abitis ſed meliores. Alexandro apud Olympiam edicto omnibus exſulibus reditum in patriam permittente ſolis demtis Thebanis: Infelix quidem, aiebat, ô Thebani hoc edictum vobis, ſed glorioſum. vos enim ſolos Alexander metuit. Interrogatus cur ante pugnam Muſis litarent, Vt, inquit, actionibus bona obveniant præconia.

Argute.

Peregrinatio.

EVRYCRATIDAS Anaxandridæ F. quærenti cur de contractibus Ephori quotidiè ius dicerẽt, reſpondit: vt etiam in hoſtico nobis invicem credamus.

ZEVXIDAMVS interroganti cur de fortitudine leges non ſcriptas ſeruarent, neq; potiùs literis

conceptas adolescentibus ad legendum proponerent: quia, inquit, condocefaciendi sunt vt facinoribus fortibus potiùs animum advertant, quàm scripturis. Aetolo quodam dicente virtutem affectanti commodiorem bello pacem esse, Non per deos, inquit: sed ei mors quàm vita est melior.

Leges non scriptæ.

Ocium.

HERONDAS Athenis quodam ocij damnato, cùm adesset idq; inaudiuisset, ostendi sibi petiit istum, qui tam liberalis criminis esset convictus.

THEARIDAS gladium in cote subigens, cùm interrogaretur acutusne esset, respõdit: Acutior est quàm calumnia.

THEMISTEAS vates cum prædixisset Leonidæ regi suam & exercitus ad Thermopylas internecionem, réxque ipsum Spartam ablegaret, prætextu eo vt quæ futura erant significaret, re ipsa autem vt ne vnà is petiret: non sustinuit abire, sed dixit, Pugnatum se, non nunciatum à patria missum.

THEOPOMPVS interroganti quo quis modo regnum tutò conseruaret, respõdit: Si iustam dicendi libertatem amicis permittat, & subditorum, quantum fieri potest, vindicet iniurias. Hospiti dicenti apud suos se ciues amatorem Laconum appellari, Præstabat, inquit, ciuium te quàm Laconũ amatorem nominari. Legato Elide misso, qui se iccirco à ciuibus aiebat missum, quod solus Laconicam imitaretur viuendi rationem, Tuáne, inquit, an reliquorum vita melior est? respondente suam, Quomodo igitur, inquit, seruari ea potest vrbs, in qua de multis vnus tantùm est bonus? Dicente quodam Spartæ salutem inde proficisci, quod reges ad imperandum haberet idoneos, dixit non eam esse causam, sed quod ciues obedire nossent. Pyliis maiores honores ipsi decernentibus scripsit, Mediocres honores tempore augeri, nimios aboleri.

Ciuis officium.

Salus reip.

THERYCION Delphis domũ proficiscẽs cùm in Isthmo videret angustias ab exercitu Philippi occupatas

cupatas, dixit: Malis vobis, ô Corinthij, ianitoribus vtitur Peloponnesus.

THECTAMENES iudicio Ephororum addictus morti, subridens abibat. ac quodam eorum qui vnà aderant rogante ánne Spartæ leges contemneret, Nequaquam respondit. sed lætor hanc mihi soluendam esse mulctam, quam possum neq; precario neq; fœnori sumpto quoquam præstare. *Mors.*

HIPPODAMVS cum Agide, qui tum Archidamo in castris aderat, à rege Spartam missus vt ibi res necessarias administraret, Nónne, inquit, honestiùs moriar pro Sparta fortiter pugnans? (excesserat autem iam annum ætatis octogesimum) ac post modo sumptis armis, & ad dextram regi adstans in pugna mortem obiit.

HIPPOCRATIDAS satrapæ Cariæ, qui per litteras significabat Lacedæmonium quendam consciũm insidiarum sibi structarum eas reticuisse, querebátq; quid de eo statuendum putaret, rescripsit: Si magno eum aliquo affecisti beneficio, interfice: sin verò, ditione tua eiice, hominẽ ob timiditatem ineptum ad virtutẽ. Occurrenti adolescenti, quem amator insequebatur, & colorem præ pudore mutanti: Cum talibus, dixit, ambulandum est, quibus cum visus eundem retineas colorem. *Consortia.*

CALLICRATIDAS classis præfectus, Lysandri amicis flagitantibus vt faceret ipsis facultatem cuiusdam inimici interficiendi, eóq; nomine L talenta offerentibus, quanquam ad stipendia naualibus sociis danda admodum pecuniæ egeret, tamen non assensit. cúmque Cleander vnus de consiliariis diceret, Ego si tuo fuissem loco, accepissem: respondit, Et ipse, si tuo. Sardes ad Cyrum iuniorem profectus confœderatum Lacedæmoniorum, impetrandæ gratia pecuniæ ad stipendia classiariis persoluenda, qua prima venit die, Cyro iussit nũciari se ipsius colloquiũ expetere: cúmq; responsum esset Cyrum *Iustè. Magnitudo animi.*

bibere, Expectabo, inquit, donec biberit. ac tum quidem, vt sensit congrediendi sibi copiam non fieri, discessit relicta de se rustici hominis opinione. Postridie iterum audiens eum bibere, & non prodire: fatus maiorem in id operam impendendum, vt nihil indignum Sparta agatur, quàm pecunia vt paretur, Ephesum rediit: diris prosecutus eos, qui primi sese barbarorum contumeliis exposuissent, eósque docuissent propter diuitias aliis insultare. iurauítq; coram præsentibus, se, vbi primùm Spartam rediisset, omnia conaturum vt Græcos in concordiam redigeret, barbaris ita terrori futuros, neque eorum auxiliis, dum se invicem premerent, opus posthac habituros. Interrogatus quales viri essent Iones, respondit: In libertate mali, serui boni. Cùm Cyrus classiariis stipendia, ipsi autem xenia misissent, remissis xeniis sola accepit stipendia, Nihil sibi cũ Cyro opus esse priuata amicicia: ad se enim pertinere, eam, quę cum rep. Lacedæmoniorum esset facta, inquiens. Apud Arginusas nauali prœlio decertaturus, Hermoni gubernatori monenti ex re esse classem abducere, quòd multò plures essent Athenienſium triremes, respondit: Quid tum postea? fugere quidem & turpe est, & damnosum Spartæ, optimum est manentem aut mori aut vincere. & ante conflictũ cùm audiret aruspicem ex extis vaticinari exercitui victoriam, duci obitum, nihil territus, ídque tantùm fatus, Non in vnius vita verti res Spartæ: ac se mortuo nihil decessurum patriæ, decessurũ autem si hostibus cedat. Cleandrum suo loco subire iussit præfecturæ classis, & ad prœlium nauale se cõtulit. inq; eo occubuit.

CLEOMBROTVS Pausaniæ F. hospiti cũ patre de virtute contendenti, Eò vsq;, inquit, pater te præstabit, dum & tu genueris.

Homerus. Hesiodus. CLEOMENES Anaxandridæ F. Homerũ Lacedæmoniorũ poëtam esse dicebat, Hesiodum seruorum

rum helotum. illum enim præcepisse quomodo bellum sit gerendũ: hunc, quomodo agri colendi. Hic aliquot dierum pactus cum Argiuis inducias, cùm explorasset eos tertia nocte dormire, fretos induciis, adortus partim necauit, partim cepit. cúmq; ei violatio iureiurandi exprobraretur, negabat se vnà cùm diebus noctes in eo complexũ fuisse. addebátque aliàs quocunque quis hostes modo læderet, & apud deos & apud homines summo iure factũ putari. Vsu tamen ei venit, vt & tũ Argis (quorũ occupandorum gratia fidem fefellerat datam) nõ potiretur, cùm mulieres Argiuæ arma è templis detrahentes iis eum propulsarent: & postmodò mente captus, arrepto quodam cultro à talis vsq; ad loca lethalibus opportuna vulneribus sese dissecaret, itaq; inter ridendum ac ringendum vita abiret. Vate dehortante à ducendo ad Argos exercitu, ignominiosúmq; fore discessum inde prædicente, duxit tamen eã ad vrbem: cúmq; portas inveniſſet clausas, & mulieres in muris stantes: Hic tibi, inquit, videtur inglorius recessus, vbi mortuis viris mulieres portas occluserunt? Argiuis ei periurium & impietatẽ exprobrantibus: Penes vos est, inquit, malè vt mihi dicatis: penes me, malè vt vobis faciam. Legatis à Samo prolixa prorsum oratione hortantibus vt bellũ Polycrati tyranno faceret, sic respõdit: Eorum quæ dixistis, prima non memini, ideóq; ne media quidem intelligo: vltima verò mihi non probantur. Cùm maritimus prædo incursiones in agrum feciſſet Laconicũ, essetq; deprehensus, ac diceret, Se nõ habuisse vnde stipendia militibus suis persolueret, neq; se ab habentibus potuisse impetrare vltrò vt darent, itaque veniſſe, vt vi auferret: Compendiosam hanc esse dixit maliciam. Maledictis ab improbo quodã prosciſſus, Videre, inquit, mihi propterea omnibus malè dicere, vt nobis defendendis nostris conviciis tempus de tua malicia dicendi præripiatur.

Perfidia nõ impunis.

Improbè.

In verbosum.

Scitè in maledicum.

Quodam ciue dicente bonũ regem debere vsque quaq; benignum esse: Sanè, inquit, dum nõ exponat se contemtui. Diuturno vexatus morbo, cùm animũ lustratoribus nonnullis atq; ariolis, de quibus antè diuersum sensserat, adverteret, miranti factũ: Quid, ait, miraris? non sum idem qui antè, mutatus itaq; & sententiam mutaui. Sophista quodam de fortitudine differente, affatim risit. dicẽtíq;, Quid rides Cleomenes, audiens de fortitudine differentẽ, cùm quidem rex sis: respondit. Idem, hospes, feciſſem hoc argumentum tractante hirundine: aquila autem perorante, quietissimè audiuissem. Cum Argiui dicecerent se acceptá cladem exsarcituros: (Græci hoc anamachæstæ dicunt: machæstæ pugnaturũ esse) miror, inquit, si duarum syllabarum additio meliores vos, quàm eratis antè, reddidit. Delicatiusculam viuendi rationẽ obiicienti, retulit: præstat hoc, quàm iniustum esse. tu quidem, etiamsi satis locuples, tamen amore pecuniæ teneris. Quidam vt fidicinem ei commendaret, cùm aliàs laudabat hominem, tum optimũ de Græcis fidicinem esse aiebat. huic Cleomenes quodam, qui ponè erat, ostenso, Mehercle, dixit, hic apud me coquorum optimus est. Mæander Sami tyrannus ob irruptionem Persarum Spartam confugerat, eíq; ostendebat quantum pecuniæ attulisset, donóq; offerebat quantũ accipere vellet. accepit nihil: sed veritus ne aliis ciuium ea elargiretur, ad Ephoros se cõtulit, atq; è re Spartæ fore docuit, si hospes suus Samius Peloponneso discederet, ne quem corrumperet Spartanũ. Ephori parentes consilio, ea ipsa die publico edicto cedere Mæandrum iusserunt. Dicenti, cur Argiuos devictos, qui sæpe bellum contra vos susceperunt, non deleuistis? Nequaquã delendi nobis sunt, respondit, ne desint qui iuuenes nostros exerceant. Interroganti cur Spartani capta ex hostibus spolia non suspenderent diis: Quia, inquit, è timidis capta sunt. talia autem neque cerni

Salsè. *Pecunia.* *Spolia.*

cerni ab adolescentibus, neq; diis dedicari cõvenit.

CLEOMENES Cleombroti F. offerenti gallos pugnaces, eósque inter pugnandum mori dicenti: Quin tu, inquit, aliquos horum mihi da, qui interficiunt eos, vtpote præstantiores.

LABOTAS cuidam verbosiùs dicenti, Quorsum, inquit, de paruis rebus magna texis exordia? cùm rei quantitatem oratio debeat æquare.

LEOTYCHIDAS primus dicenti pro occasionũ ratione ipsum esse mutabilem: respondit, Non enim sicvt vos propter vestram maliciam. Interroganti, qua quis ratione præsentia bona potissimùm conseruare posset, respondit: Si non omnia fortunæ committat. Rursum interrogatus, Quidnam maximè ingenuis pueris sit discendum. Ea, retulit, quæ prodesse queunt virilem ætatem assecutis. Quærenti cur pauco potu vterentur Spartani, respondit: Ne alij de nobis consultent, sed nos pro aliis. *Mutatio sententiæ.* *Sobrietas.*

LEOTYCHIDAS Aristonis F. narranti, Malè tibi dicunt Demarati filij: respondit, Non me hercle miror. bene enim eorũ nemo loqui possit. Cum propioris portæ pessulo se draco circumplicauisset, idque ostentum vates dicerent: non sanè, dixit, hoc mihi videtur. cæterùm tum putarem esse portentũ, si pessulus anguem circumplicauisset. Philippo Orphei sacrificulo extremè pauperi, dicenti abs se sacris initiatos post mortem beatos esse: Cur, inquit, fatue non quamprimum moreris, vt desinas tandem infelicitatem tuam, paupertatémq; plorare. *Contra superstitionẽ.* *Salsè.*

LEO Eurycratidæ F. interrogatus quánam in vrbe aliquis tutissimè habitaret: respondit, In ea, in qua omniũ ciuium possessiones essent æquales, plurimúmq; haberet virium iusticia, minimum iniusticia. Ad Olympiam videns cursores operam dare vt cùm emitterentur carceribus alius alteri fraudem faceret: Quanto, inquit, maius studium est cursoribus de celeritatis, quàm iusticiæ laude? Intempe- *Æqualitas.* *Victoria fraude parta.*

ſtiuè cuidã de rebus nõ invtilib. diſſerenti, Hoſpes, inquit, prẹter rẽ vteris re alioquin valdè opportuna.

LEONIDAS Anaxandridæ F. Cleomenis frater, cuida dicenti, Nihilo nobis es præſtãtior, quàm eo quod regnum geris, reſpondit: atqui nunquã rex veſter factus eſſem, niſi vobis præſtarẽ. Proficiſcens ad Thermopylas, vt cũ Perſis dimicaret, vxori Gorgoni ſcitanti quid ipſi mandaret. Vt bonis, inquit, nubas, & bonam prolẽm parias. Ephoris dicentibus paucos ipſum ad Thermopylas ducere: ſatis, reſpondit, multos, ad id quod ſumus acturi. Rurſum quærentibus, an aliquid aliud ſtatuiſſet agere, ſic reſpondit: Verbis præ me fero, ire me vt barbaris tranſitus intercludam: re vera proficiſcor moriturus pro Græcis. Poſtquam in Thermopylas cum ſuis venit, ita eos eſt allocutus. narrant barbarum eſſe in vicinia, nos autem tempus terere. iam enim aut morien dum eſt nobis, aut vincendi barbari. Dicente quodam fore vt ſagittæ barbarorum etiam ſolis conſpectum eriperent: ſcitũ ergo erit, inquit, in vmbra pugnare. Alij nuncianti, Prope nos ſunt hoſtes, reſpondit: Nimirum ergo & nos prope ipſos ſumus. Dicenti, ades ô Leonida cum paucis contra tantã decertaturus multitudinem, reſpondit. ſi numero æſtimatur res, ne tota quidem Græcia ſufficiet, exigua portio barbaricarũ copiarũ: ſin virtute, ſatis eſt hęc manus. Alteri idem dicẽti: At enim, dixit, multos adduco, quippe morituros. Xerxi in hãc ſcribenti ſententiam, Licet tibi, ſi contra deum pugnare nolis, & à meis velis ſtare partib. ſoli vniuerſis imperare Græcis: ſic reſcripſit, Si bona vitæ cognita haberes, vtiq; alienarum rerũ cupiditatem depoſuiſſes. mihi quidem potius eſt mori pro Græcia, quã in omnes gentiles dominationem obtinere. Eidem ſcribenti vt arma ſibi mitteret, reſcripſit, Veni & accipe. Cùm adoriri iam vellet hoſtes, & polemarchi reliquos eũ iuberent exſpectare ſocios: Quid, inquit, an nõ adſunt

Fortiter.

qui

qui sunt pugnaturi? aut nescitis solos eos cum hoste manum conserere, qui reges reverentur & metuũt? Milites monuit, vt ita pranderent, tanquá apud inferos cœnaturi: Interrogatus cur optimi nobilem mortẽ obscuræ vitæ anteponerent, respondit: Quia hoc proprium naturæ, illud sibi esse censent. Cùm cuperet adolescentulos eripere neci, & liquidò sciret id non passuros, vni post alterum scytalam dedit, ac cũ ea ad Ephoros misit. Sed & de his qui iam ætate erant perfecta, tres eodem modo voluit seruare. ij autem accipere scytalas noluerunt. primus aiebat se non vt tabellarium, sed vt militem in exercitu esse: alter, præstantiorem se fore si in pugna adesset: tertius non post, sed ante hos se pugnaturum.

Lochagvs, Polyænidis & Saronis pater, quodam nunciante alterum filiorum esse mortuum: iamdudum, inquit, noram fore ei moriendum.

Lycvrgvs legumlator, vt ciues ex vsitata vi ictus ratione (viuebant autem delicatè) ad magis solidam traduceret, virtutísq; studiosos redigeret, catulos duos educauit iisdem natos canibus, horúmque alterũ domi desidentem ad gulositatem adsuefecit, alterum ad venationem condocefecit. deinde in concionem eos produxit, propositísque quibusdam gulæ iritamentis, leporem etiam emisit. vtroq; ad id se incitante, ad quod erat adsuefactus, cùm leporẽ alter cepisset, dixit: Videtis, ciues, hos iisdem natos parentibus, educatione admodũ dissimiles effectos, & exercitatione magis quàm natura ad virtutem nos formari? Quidã dicunt, nõ produxisse eum catulos eorũdem canũ, sed alterum è domi desidentibus, alterũ de venaticis sustulisse, ac domesticũ ab eo fuisse venationi, venaticũ catulum voracitati adsuefactũ, cúmq; vtroq; ad id se propipiente, quod ei erat factum vsu familiare, ciuibus ostendisset quantum ad meliora aut deteriora studia conferret educatio, dixisse: Proinde vos quoque Spartani, vide-

Educationis vis.

tis,nihil nobis illam vulgo celebratā nobilitatem, ductúmque ab Hercule genus prodesse, nisi ea agimus, quibus ille omni alia humana gloria & celebritate maiorem sibi parauit, honesta per omnē vitam discentes exercentésq;. Cum agrorum diuisionem ita instituisset, vt omnium ciuium portiones essent æquales, fertur postea temporis aliquando è peregrinatione reuertens cùm agros Spartanorum pertransiret recèns demessos,cōspicatus aceruos æqua
Aequalitas. les iuxta sese iacere, delectatus fuisse, vultúq; renidente comitibus dixisse,Videri sibi totum agrū Laconicum,fundum esse fratrū multorum nuper diuisum. Nouis porrò tabulis introductis, conatus est etiam domesticā supellectilem apud omnes æqualem redigere, vt inæqualitatem omnem aboleret. Animadvertens autem ciues difficilimè passuros pa
Nomisma. làm sibi ista adimi, aureo & argēteo nomismate abrogato, solo iussit vti ferreo,ac definiuit quantum eius æquare vniuscuiusque facultates deberet.Hoc facto, omnis iniusticia Lacedæmone exterminata est.Nam neque furari,neque muneribus corrumpi, neque defraudare alium aut rapere quisquam poterat porrò, cùm neque occultare iniustè partum liceret, neque possidere id magnum haberetur, neq; vsus periculo careret, neque in commerciis apud exteros locum haberet.Præterea omnibus supervacaneis rebus Sparta interdixit. Quare nullus mercator,rhetor, ariolus,aut circulator,aut supellectilis supervacaneæ opifex Spartam veniebat: cùm ibi nomisma vtile abolitum esset, solúmq; ferreū vsurparetur,cuius mina Aeginensis quatuor asses æreos
Syssitia. valeret.Vt autem luxum exscindere,& diuitiarū studium exstirpare posset,convictus(syssitia,quod cibum multi vnà caperent, Græci dicunt) instituit. Proinde causam quærentibus, cur ea introduxisset, ciuésq; ita diuisisset, vt pauci armati simul discumberent,respondit:Vt promtè mandata capessant, & si quid

si quid rerum nouarum moliantur, penes paucos sit peccatum. Aequalibus autem portionibus cibus potúsque cunctis distribuebatur, & non hac modò in re, sed & veste stragula, vasisq; & aliis in vniuersum omnibus rebus nihil amplius diuiti erat atque pauperi. Ita ergo diuitiis ad vtilitatẽ redactis, cùm neq; vti quisquam, neque ostentare eas posset, familiaribus dixit: Præclarum est, socij, rebus ipsis demonstrare diuitias, id quod dicuntur esse cæcas. Id quoque præcauit, ne domi priùs cibo potúq; saturati ad syssitia venirent. & non bibentem edentémque secum reliqui culpabant vt intemperantem, ac qui ob molliciem victus communis esset impatiens. Mulctabatur etiam, qui eius criminis esset compertus. Diuitiæ cæcæ.

Agidi quidem regi non multo pòst tempore debellatis Athenienſibus domum reverso, semélque cum vxore volenti cœnare, ac partes suas qui adferret mittenti, polemarchi eas non miserunt: eúmque postridie Ephori re cognita mulctauerunt. Cæterùm Ephori huiusmodi instituta Lycurgi molestè ferentes, coitione facta maledictis eum prosciderunt, lapidibúsq; obruere aggressi sunt. Fuga cùm se per forum proripuisset, & cæteris evitatis in fanum Mineruæ Chalcioeci confugisset: Alcander eum insequens, respicientis oculum baculo excussit. Hunc Lycurgus plebis scito sibi traditum vt pœnas sumeret, neque vltus est, neq; obiurgauit: sed adhibitum suo convictui, laudatorem vitæ rationis quam vnà vsurpabat, studiosúmq; omnium suarum actionum reddidit. Monimentum autem sui casus posuit ad fanum Chalcioeci, sacellũ Mineruæ Optiletidis. nam oculi Dorienſium istorum lingua optili dicuntur. Interrogatus cur scriptis legibus non esset vsus, respondit: Quia rectè instituti atque educati norunt vtilitatem temporis. Aliis sciscitantibus cur ad fastigium domus faciendum sola securi, ad ianuam sola serra vti, nullo alio instrumento permisisset, respon-

dit : Vt ciues mediocritatem seruent in omnibus quæ in domum inferunt, neque eorum quicquam possideant, quæ ab aliis magnifiunt. Ex hac consuetudine tractum esse aiunt, quod Leotychidas prior, rex Spartæ, cœnans apud quendam, conspicatus fastigium domus magno sumtu exstructum & laquea tum, quæsiuit ex hospite, núm nam ista in regione arbores nascerentur quadrangulæ. Interrogatus præterea Lycurgus, cur vetuisset contra eosdem hostes sæpius expeditionem facere: causam attulit, Ne sæpius defendere se adsuescentes periti fiãt rei bellicæ. Ideo nõ leuiter vitio datum est Agesilao, quòd continentibus in Bœotiam expeditionibus Thebanos bello pares Lacedæmoniis redegisset. Percunctanti cur corpora virginum cursu, lucta, disci & iaculi iactu exerceret, respondit: Vt in valido corpore fetus validas agens radices pulcrè adolescat, ipsæq; deinde mulieres robore in partu fœtæ dolores facilè sustineant atque superent: vtque si ita necessitas postulet, pro se suisq; liberis & patria possint pugnare. Reprehendentibus virginum in pompis solennibus nudationem, causámque eius requirentibus: Vt, inquit, eadem cum viris exercentes studia, neque viribus corporis & sanitate, neque animi contentione & vitute iis cedant, populariémq; despiciant opinionẽ de se. Hinc est, quod Gorgo Leonidæ vxor narratur peregrinæ cuidam mulieri ad ipsam dicenti, Solæ vos Lacænæ viris imperatis, respondisse: Solæ enim nos viros parimus. Ludorum nudorũ spectaculo interdicens cœlibibus, addénsque ignominiam, accuratè providit, vt ciues liberis procreandis darent operam. Cœlibes honore & cultu, quem senioribus adolescentes debent, priuauit. Et quod in Dercyllidam dictũ fuit, à nemine est reprehensum, quanquã præclarum alioqui imperatorem. accedenti enim ei quidam iuniorũ sede nõ decessit, inquiens : neque enim tu genuisti, qui mihi olim

Virginum educatio.

Cœlibatus.

hi olim cesurus sit. Præterea interrogatus Lycurgus cur virgines sine dote nuptum dari iussisset? respondit: Ne vel ob inopiam aliquæ manerent innuptæ, vel propter opes expeterentur: sed quivis in mores puellæ intuens, virtutem in delectu sequeretur. Eadem de causa etiam fucandi artificium vrbe eiecit. Tempus etiam ineundi matrimonij constituit vtrique sexui. causamque rogatus hanc expo suit, vt valida nascerentur è perfectis corporibus. Miranti cur nouo marito concubitu cum sponsa interdixisset, iussissétque eum maiorem diei partem totámq; noctem cum æqualibus degere, cum sponsa autem furtim & cautè congredi: eò, inquit, hæc tendunt, vt & validi corporibus maneant, neque satietas incessat, & amor semper sit recens, prolémque edat validam. Vnguentum ex vrbe sustulit, vt olei perniciem: itémque tincturam, vt sensus adulationem. omnibus verò fucandi exornandique corporis artem tractantibus, Spartam inaccessam esse iussit, quòd malis artibus mores corrumperent. Tanta fuit isto tempore mulierum pudicicia tantúmque abfuit à leuitate earum quæ postea temporis exstitit, vt crimen adulterij apud ipsas habitum sit pro incredibili. Ac sermo memoria fertur Geradatæ cuiusdam è priscis Spartanis, qui interrogatus ab hospite qua pœna Spartæ in adulteros vindicetur, nihil enim se videre hac de re à Lycurgo statutum: respondit, Nullus apud nos sit adulter. Inferenti, Quid autem, si aliquando existeret? taurum, inquit, pendere cogitur tantæ magnitudinis, vt capite trans Taygetum porrecto ex Eurota bibat. Dicenti, Quomodo possit tantus inveniri taurus? subiecit: Quo verò pacto Spartæ possit adulter existere, vbi diuitiæ, luxus, & fucus ignominiosa censentur, verecundia autem, modestia, & subditorum obedientia obtinent? Postulanti vt populo administrationem

reip. traderet Lycurgus: Tu prior, inquit, domi tuæ imperium domesticis tuis trade. Interrogatus cur tam modica & vilia constituisset sacrificia, respondit: Ne vnquam deos venerari cessemus. Quærenti cur hæc duntaxat ciuibus permisisset certamina, in quibus nemo manum intendens victum se profitetur, respondit: ne quis eorum inter laborandum despondere animum adsuescat. Scitanti cur crebrò iubeat mouere castra: vt, inquit, pluribus hostes damnis afficiamus. Alij quærenti cur turrium ac murorum oppugnatione suis interdixisset: respondit, ne à muliere aut puero aut eorũ simili homine præstantiores interficiantur. Consultantibus Thebanis de sacrificio & luctu quibus Leucotheam venerantur, suasit, Si deam esse crederent, ne lugerent: si hominem, ne sacrificarent tanquam numini. Quærentibus ciuibus quo pacto hostium insultus amoliretur, Si, inquit, pauperes sitis, neque vnus altero amplius quærat. Interrogantibus etiam de muris quid sentiret, negauit Vrbem munitione carere, quæ viris non lateribus coctis cincta sit. Comam quoque colebant Spartani, Lycurgi memorantes dictũ, qui comam formosis pulcritudinem augere, deformes terribiliores reddere pronunciasset. Idem præcepit suis, vt si prœlio hostem fudissent ac vicissent, tãtisper modò insequerentur fugientes, dum victoriam cõstabilirent, deinde statim se reciperent. non modò, quia Græcanicum non esset cedentes interficere: sed & vtilis hæc ratio. hostes enim si scirent cedentibus parci, repugnantes occidi, fugam pugna vtiliorẽ sibi arbitraturos. Interrogatus cur hostium cadauera spoliare vetuisset: Vt ne, inquit, spoliis intenti pugnam negligant, sed simul cum pupertate ordinem seruent.

Argute.

Coma.

LYSANDER cùm duas ei stolas misisset Dionysius, & vtram mallet filiæ afferre iussisset, fatus ipsam filiam rectiùs delecturã, vtraq; sumpta abiit.

Improbe.

Hic

Hic homo versutus,& pleraque fraudibus miscens, iúsque in sola ponens vtilitate, veritatem aiebat nihilo meliorem esse mendacio, sed vtriusque dignitatem & precium vsu definiri. Reprehendentibus ipsum, & indignum Hercule dicentibus,quod pleraq; impostoris ageret,dolóque res nó ingenuè gereret,ridens respondit: Vbi non sufficit leonina pellis,adsuenda est vulpina. Aliis vituperantibus ipsum ob violatum iureiurandũ,quod Mileti dixerat:Pueros talis, viros sacramentis decipi debere respódit. Cùm Athenienses ex insidiis vicissent ad Aegos potamos,famáq; pressos vrbẽ dedere coëgissent,Ephoris scripsit:Captæ sunt Athenæ. Argiuis in controversia de agris aduersus Spartanos iustiora sese afferre argumenta dicentibus,gladiũ stringens: Qui hunc,inquit,tenet, is optimè de finibus agrorum disputat.Bœotos, cum per eorum ditionẽ esset transiturus, cernens in vtranq; nutare partem, misit qui interrogaret, Rectísne se hastis vellent, an verò demissis transire. Megarensi cuidam in concilio liberiùs ipsum appellanti, Tua, inquit,hospes verba ciuitate opus habent. Cum defecissent Corinthij, & iuxta eorum muros ducens suos videret ad oppugnationem parum habere animi, lepus autem conspiceretur fossam transilire:Non pudet,inquit,Spartani hos hostes metuere, quorum ob ignauiam muris lepores indormiunt. *Omeu.* In Samothrace oraculum consulentem sacerdos cùm iuberet dicere, quod in vita sua maximũ perpetrasset scelus,Tuóne,inquit, an deorum iussu?respondenti,Deorum:tu itaq;,ait, apage hinc, & ego diis, vbi interrogabunt, dicam. Persæ quærenti quam reip.formam maximè probaret: in qua,inquit, fortibus & ignauis suum tribuitur. Dicenti, laudo te & defendo, respondit, Duos se ruri habere boues, quibus tacentibus, se tamen exquisitè nosse vter eorũ piger sit, vter industrius. Cuidam peregrino conuicia in ipsum iacienti dixit:

Crebrò ista dicito, dicito absq; intermissione, si for
tassis animi tui mala, quibus plenus videris esse, pos
sis egerere. Aliquo post mortem eius tempore obor
ta sociali controuersia. Agesilaus domum Lysandri
venit inspecturus ea de re litteras, quas secum is re- 5
tinuerat. Invenit autem librum Lysandro scriptum
de repub. in quo erat hæc sententia, regnum familię
Eurytionidarú & Agiadarum adimendum, inq; me-
dio ponendum esse, regémq; ex optimatibus crean-
dum: ne posteris Herculis is honor haberetur, sed iis 10
qui imitarentur virtutẽ Herculis. qua is ad deos eve
ctus fuit. hãc orationem cũ vellet evulgare ad ciues
Agesilaus, vt ostenderet qualis ciuis Lysander fefel
lisset, eiúsq; amicos traduceret: Lacratidam ferunt
ephororũ tunc principem veritũ ne oratio ea per- 15
suaderet, inhibuisse eum ac monuisse, Nó esse eruen
dum è sepulcro Lysandrum, sed orationem consepe
liendam, vafrè & ad persuadendum aptè cõpositam.
Inqit. Qui filias eius ambiuerant, mortuo autem eo, quod
pauperem fuisse tum liqueret repudiabant, ephori 20
mulctauerunt, quòd quem ob diuitiarũ opinionem
coluissent, hunc iusticiam eius ac probitatem pau-
pertate arguente spernerent.

Mamertes legatus aliquò missus cũ à quo-
dam isthic felix prædicaretur ob multitudinem ami 25
corum, Habésne, inquit, indicium certum quo pro-
bare possis quis multos habeat amicos? doceri se id
postulanti, Rebus, ait, secundis.

Nicander narrante quodã Argiuos ipsi ma-
ledicere, Pœnas ergo, inquit, dabunt, qui de bonis 30
malè loquãtur. Quærenti cur comã & barbã alerent
Spartani, respondit: Quia virum & maximè ornat, &
minimo sumtu cõstat proprius ornatus. Athenien-
cuidam dicenti, Nimium ô Spartani ocio estis dedi-
ti: Vera, inquit, dicis: at non, vt vos, in quascunq; res 35
operam impendimus.

Panthoedas in Asia legatione fungens, o-
stenden-

ſtendentibus quibuſdam murum probè munitũ, Per deos, inquit, hoſpites, pulcrũ eſt gynæceum. In Academia philoſophis multa & præclara diſſerentibus, ac deinde ex ipſo quærentibus, quid ſentiret de his diſputationibus: Equidẽ, inquit, præclaræ ſunt, ſed nullius precij, cùm vos iſtis rebus non vtamini.

PAVSANIAS Cleombroti F. Deliis de inſulæ ſuæ iure adverſus Athenienſes diſputantibus, ac dicentibus Lege apud ipſos receptum eſſe, vt neq; pariant in inſula mulieres, neq; mortui ſepeliantur: Et quomodo, inquit, Delus patria veſtra ſit, in qua neque natus eſt quiſquam veſtrũm, neq; erit poſt mortem? Cùm exſules ipſum in Athenienſes vt duceret exercitũ, hortarentur, dicerẽtq; Olympicis ludis cùm renunciaretur victor, à ſolis Athenienſib. fuiſſe exſibilatum: Quid verò putatis, inquit, qui beneficio accepto me exſibilauerunt, facturos ſi lædantur? Quærenti cur Tyrtæũ poëtã Spartani donaſſent ciuitate: reſpõdit: Ne vnquã videremur peregrino vſi duce. Imbecillo homini terra mariq; decertandũ eſſe ſuadenti, Viſne, inquit, veſtib. te exuere, & oſtendere qualis homo pugnã nobis ſuadeas? Mirantibus nõnullis inter ſpolia barbarorũ ſumtuoſas veſtes, dixit: Præſtat aliquem ipſum magni eſſe precij, quàm res poſſidere precioſas. Poſt Plataicam de Medis victoriam, mãdauit ſuis vt præparatam Perſæ cœnam ſibi apponerent. quæ cùm eſſet admirabili luxu adornata, Per deos, inquit, gulę deditus fuit Perſa, qui tot rerum compos, noſtram appetiit mazam.

Arguté.

Tyrtæum.

Grauiter.

PAVSANIAS Pliſtonactis F. interroganti cur de antiquo iure nihil Lacedæmone liceret convellere: Quia, inquit, legum in viros, non virorũ in leges debet eſſe autoritas. Exſul hic cum Tegeæ laudaret Lacedæmonios, & quidam diceret, Cur ergo nõ manſiſti Spartæ, ſed ſolum vertiſti? reſpondit: Quia ne medici quidẽ apud ſanos, ſed apud ægrotos ſolent verſari. Interrogãti quomodo Thraces poſſẽt vinci,

Leges.

Si inquit, optimũ exercitui ducem præficiamus. Medico ipsum visitanti, ac dicenti, Nihil habes mali: retulit, Id fit, quia te medico non vtor. Amico reprehendẽti ipsum, quòd cuidam medico male diceret, non expertus ipsum, neq; passus quicquã: Si, inquit, expertus eum essem, non viuerem. Et dicenti medico, Senex es factus: quia, inquit, te non adhibui medicum. Optimum dicebat esse medicum, qui ægrotos non conficeret putrescendo, sed quamprimùm sepeliret.

In medicos.

PAEDARETVS dicente quodam magnum esse hostium numerum: Tanto, inquit, maior erit nostra gloria, quia plures interficiemus. Videns quendam natura mollem à ciuibus propter placidos mores laudari, dixit: Neq; viros mulierum similes debere laudari, neque mulieres virorum similes, nisi earum aliquis vsus incidat. Non allectus in trecentorum numerum (qui primus in ciuitate erat honoris gradus) hilaris ac renidens è comitiis discesit, revocatúsq; ab ephoris, & causam risus sui interrogatus: Hæc, inquit, est, quod gratulor ciuitati, quæ CCC quàm ego sim meliores habet ciues.

Grauiter.

PLEISTARCHVS Leonidæ F. quærenti causam, cur non à primis regibus cognomentum ducerent: Quia, inquit, illis vt imperarent ac regnarent necesse fuit, posterioribus nequaquam. Cùm advocatus quidã ridicula diceret, Non cauebis, inquit, hospes, ne quomodo continenter in palæstra se exercentes palæstæ evadunt, ita tu quoq; identidem risum captans, ridiculus fias. Narranti esse maledicũ quendam qui ipsum laudet: Mirum, inquit, nisi aliquis ei me mortuum esse dixit. de viuo enim nemine bene ille loqui potest.

In nimis facetum.

PLEISTONAX Pausaniæ F. cùm Atticus quidam rhetor Lacedæmonios indoctos vocaret, Vera, ait, prædicas. soli enim Græcorum nos mali nihil à vobis didicimus.

POLY-

POLYDORVS Alcamenis F. cuidã crebrò hostibus minanti, Non animadvertis, inquit, maximã te vindictæ partẽ sic insumere. Cùm exercitũ duceret cõtra Messenios, interroganti cuidã an pugnare cum fratribus vellet: Non sanè, inquit, sed ad hæreditatem nõdum diuisam proficiscor. Cùm Argiui post trecentorũ pugnam denuò ingenti pugna vniuersi essent victi, hortabantur Polydorum socij ne occasionem dimitteret, sed rectà ad Argos duceret, vrbémq; occuparet: quod fore aiebant facilimum, viris occisis, solísq; superstitibus mulieribus: respondit: collatis signis hostem superare ego pulcrum iudico: vt autem vrbem occupem, qui de finibus ditionis dimicauerim, iniustũ mihi videtur. veni enim nõ vrbis capiendæ, sed agri recipiendi gratia. Quærenti cur in bellis Spartani pericula fortiter adirẽt, respondit: Quia reuereri duces didicerunt suos, non metuere. *Mina.* *Iustitiæ exemplum in bello.*

POLYCRATIDAS cũ aliis missus legatus ad regis præfectos, interrogatus priuatímne adesset, an publico nomine, sic retulit: si cõsequimur quod volumus, publicè: si repulsam patimur, priuatim.

PHOEBIDAS ante pugnam Leuctricam dicentibus nonnullis, istam diem manifestaturam qui sit vir bonus: Magni, inquit, æstimanda talis est dies.

SOVS fertur cùm loco quodam iniquo & aquæ experte à Clitoriis obsideretur, pactus esse agrum se iis bello partum traditurum, si de proximo fonte omnes qui cum ipso erant bibissent. Iureiurando pactis vltro citróq; firmatis, suos conuocasse, regnũq; detulisse ei qui non biberet. nullo autem sitim cohibente, omnibúsq; bibentibus postremum ipsum descendisse, seq; aqua consperisse, & præsentibus adhuc hostibus discessisse, ditionémq; vt qui non bibisset, obtinuisse. *Callidè & toleranter.*

TELECLVS narranti, malè de te loquitur pater tuus: non faceret, inquit, si non esset faciundum.

Fratri querenti nō eadē se beneuolentia qua ipsum apud ciues accipi, iisdem ortum parentibus, respondit: Non enim item, vt ego, ferre nosti iniurias. Interrogatus causam consuetudinis Spartanæ, qua senioribus iuniores assurgunt: respondit, Eò id fieri, vt adsueti hoc honoris deferre alienis, tanto magis venerentur parentes. Quærenti quantas possideret opes, respondit, Non maiores quàm satis est.

CHARILAVS interrogatus cur tam paucas leges posuisset Lycurgus: Quia, inquit, pauca loquentes paucis opus habent legibus. Quærenti cur Spartani virgines detectas, mulieres velatas in publicum emitterent: Quia, inquit, virginibus quęrendi sunt viri, mulieribus opera danda vt seruent maritos. Heiloti cuidam asperiùs ipsi se opponenti: Interficerem te, inquit, nisi iratus essem. Interrogatus qúænam esset optima reip. forma, respondit: In qua plurimi de virtutis laude absque seditione certant. Causam scitanti cur Spartæ omnia deorum simulacra essent armata: Ne, inquit, quæ opprobria hominibus obiiciuntur ob ignauiam in deos referamus: ac ne inermes nostri iuuenes diis vota nuncupent.

Certamen virtutis.

Spartanorum & Laconum apophthegmata, ubi autoris nomen ferè non exprimitur.

Samiorum legatis longa vsis oratione Spartani responderunt: Primorum obliti sumus: eámque ob rem posteriora non intelleximus. Thebanis cótroversiam quibusdam de rebus mouentibus, dixerūt: Aut summissiores oportet vestros animos, aut maiorem esse potentiam. Laco quidā interrogatus cur tam prolixam aleret barbam, respondit: Vt canos videns, nihil iis indignum in me admittam. Laudante quodam optimos bellatores, Laco: Ad Troiam, ait, fuerunt. Alius cùm audiret quosdam in cœna se ad bibendum invicem coëgisse, dixit: An etiā ad edendum? Cùm Pindarus scripsisset Athenas fulcrum esse Græ-

se Græciæ, dixit Laco quidam, Vtique Græciam collapsuram, quæ tali inniteretur fulcro. Spectanti in tabula pictos Spartanos qui ab Athenienſibus occiderentur, ac dicenti, Fortes sanè Athenienſes, excipiens Laco verba, In tabula, inquit. Cuidam calumnias admittenti Laco, Desine, inquit, contra me aures impendere. Qui supplicio afficiebatur, ac se nolentem peccasse dicebat, ei quidam dixit: nolens itaque etiam pœnas da. In discessu videns quidam homines in curribus sedere: Absit, inquit, vt ibi sedeam, vnde seniori assurgere non licet. Chij Spartam profecti cùm à cœna in Ephoreo vomuissent, oletúmque feciſſent in sellis Ephororum: principiò inquisitum accuratè est in autores facinoris, si fortè ciues essent: sed vbi senserunt Ephori Chios esse, edixerunt publicè, Chiis permissum esse turpiter agere. Quidam amygdalas duras videns duplo vendi, An, inquit, rari sunt lapides? Laco cùm plumis luscíniam nudasset, ac parum admodum carnis reperiret, dixit: Vox tu es, & nihil præterea. Laco Diogenem canem videns statuam æneam amplecti cùm esset acre frigus, interrogauit, An riges? neganti, Quid ergo, inquit, magnum facis? Laco Metapontino cuidam timiditatem obiiciebat. qui cùm diceret, Atqui multum agri alieni nos possidemus: Ergo, inquit, non timidi solùm, sed iniusti etiam estis. Peregrinus quidam Spartæ rectus vno stans in pede, Laconi dicebat: non arbitror te tamdiu vni pedi posse insistere. respondit Laco: sanè. sed nullus est anserum, qui hoc non possit. Iactanti se ob artem oratoriam, Laco quidam: per Castores, inquit, neque est, neque erit ars vlla sine veritate. Argiuo dicenti apud Argos multa esse Spartanorum sepulcra, respondit Laco: at Spartæ Argiuorum nulla sunt. innuens Spartanos sæpe Argos adiuisse, Argiuos Lacedæmonem nunquam. Laco captiuus cum venderetur,

Senectutis honor.

In ostentatorem.

Argutè.

Veritas.

præconi clamanti Laconem se venderè, os obtu-
rauit, Captiuum, inquiens, proclama. Aera apud Ly
simachum merentium quidam ab ipso interrogatus
an ex helotibus vnus esset: putas verò, inquit, Laco-
nem aliquem ad tuum denarij bessem venturũ? The
bani victis ad Leuctra Spartanis cùm ad ipsum Eu-
rotã accessissent, ac quidam gloriabundus diceret,
Vbi sunt Lacones? quidam Spartanus ab iis captus,
Absunt, inquit: alioqui vos huc nõ venissetis. Athe-
nienſibus Spartani vrbem dedentibus ac Samũ dun
taxat sibi relinqui postulantibus, responderũt: Quo
tempore vestri iuris non estis, alios vobis dari posci
tis. hinc proverbium:

Qui non habet seipsum, habere vult Samum.

Vius ex hoſte. Cùm Lacedæmonij vrbem quandam vi cepissent,
Ephori dixerunt: Periit palæstra iuuenum, non ha-
biturorum concertatores. Aliam vrbem, quæ sæpe
negocium exhibuerat Spartanis, rege ipsorum pol-
licente se funditus deleturum, non permiserunt, in-
quientes: Noli abolere aut delere cotem iuuẽtutis.
In palæstra se exercentibus nullos adiunxerunt pæ-
dotribas, vt ne artis, sed virtutis istud esset certa-
men. itaque Lysander etiam interrogatus quomo-
do esset victus à Charonte, respondit, Artificij va-
rietate. Philippo, cùm in agrum Laconicum venis-
set, per litteras quærenti amicúmne ipsum vellent
aut inimicum venire, responderunt Spartani, Neu-
Liberè. trum. Legatũ quem ad Antigonum Demetrij F. mi-
serant, quanquã in penuria ille ab hoc medimnum
tritici in caput ciuis impetratum adferebat, tamen
quòd regem appellasset Antigonum, mulctauerunt.
Cùm prauus homo optimam tulisset sententiã: pro-
bauerunt quidem eam, sed ab eo ad hominẽ qui ho
nestè vixisset tanquam eius autorem transtulerunt.
Seuerè. Fratribus inter se litigantibus, patrẽ mulctauerunt,
quòd diſsidere filios pateretur. Peregrinum fidici-
nem mulctauerunt, quòd digitis fides feriret. Duo

pueri

pueri pugnabant. horum alter alteri falce vulnus le
thale intulit. cum autem pueri familiares, qui pacis
componendæ gratia intervenerant, promitterent
se vltores fore, & percussorem interfecturos: Noli-
te obsecro, inquit: fieret enim hoc iniustè. idē enim
ipse facturus eram, si strenuus fuissem, & antevertis-
sem. Alius pusio, cùm appetiisset tempus quo lege
iubebantur ingenui pueri furari quidquid possent,
turpe autem habebatur deprehendi: sociis vulpe- *Patientia.*
culam furatis, ipsiq; vt adseruaret tradentibus, vbi
quæsitum venerunt qui perdiderant, subter tunica
abdiderat bestiam: quæ cùm efferata latus eius vs-
que ad viscera corroderet, tamen se continuit, ne
furtiuam rem proderet. illis deinde digressis cùm
æquales viderent quid esset perpessus, reprehende-
réntque factum, præstare dicentes vulpeculam de-
tegere, quàm vsque ad mortem occultare: Nequa-
quam, inquit. nam moriendum potiùs fuit in dolo-
ribus, quàm furti compertum ob molliciem vita
turpiter potiri. Obvij quidam in itinere facti Laco- *Fortiter.*
nibus dicebant, Fauit vobis fortuna. iam enim la-
trones hinc discesserunt. respondérunt: nō per Mar
tem: sed latronibus fuit secunda, quòd in nos ij non
inciderunt. Laco quid sciret interrogatus, respon-
dit: Liber esse. Puer Spartanus captus à rege Anti-
gono & venditus, omnibus in rebus emtori morem
gessit, quas libero convenire putabat: iussus autem
matulam adferre, recusauit seruiturum se negans
ac vrgente domino, tectum conscendit, fatúsque,
Scies quid emeris, præcipitem se inde dedit, ac vita
decessit. Alius cum venderetur, quærenti, Probús-
ne eris si te emero: respondit, Etiam si non emeris
Alius captiuus cùm venderetur, & præco proclama
ret Mancipium vendo: sceleste, inquit, cur non di-
cis captiuum? Laco quidam clypeum musca insigni-
uerat, non excedente viuæ muscæ quātitatem. cùm
deridentes eum nonnulli dicerent latendi causa ab

eo factum hoc esse: Immò, inquit, vt agnoscar. ità enim propè ad hostes accedo, vt cernere possint insignis mei quantitatem. Alius allata in conviuio lyra dixit: Non est Laconicum nugari. Spartanus interrogatus an tuta esset Spartam via, respondit: * Pro eo atque descenderis: Leones enim venatum prodimus, lepores in latebris venamur. In lucta quidam cum apprehensus collo ad terram detraheretur, neque corpus sustinere posset, colluctantis brachium momordit. cúmque hic diceret, Mordes ô Laco sicvt mulieres: respondit, Nequaquam, sed vt leones. Claudus in militiam proficiscens cùm derideretur, dixit: Non fugientibus opus est, sed stantibus & locum suum tuentibus. Alius sagitta ictus cùm animam ageret, aiebat Non mortem sibi molestam esse, sed quòd nulla re gesta necatus esset ab effeminato sagittario. Quidam cum in diversorium publicum se recepisset, cauponi, cui apparandum dederat obsonium, caseum oleúmque poscenti, Quid, inquit, si caseum haberem, an præterea obsonium requirerem? Felicem prædicanti Lampidem Aeginetam, quòd prædiues putabatur ob multarum negociationibus destinatarũ nauium possessionem, Laco quidam dixit: non moueor felicitate à funibus pendente. Laco ei, qui mentiri ipsum dicebat, Quia enim inquit, liberi sumus: reliqui nisi vera dicant, eiulabunt. Intendebat quidam cadauer rectum constituere. cùm autem omnia experto res non succederet, Protectò, inquit, oportebat aliquid intus esse. TYNNICHVS Thrasybuli filij mortem magno tulit animo. extátque in hunc tale epigramma:

Exanimis Pitanam Thrasybulus in aspide uenit,
Argiui septem uulnera cui dederant,
Cuncta gerens aduersa rogo pater huncce cruentum,
Tynnichus imponens protulit ista senex:

Ploren-

Plorentur timidi. te fili ſiccus humabo
Lumina, qui meus es, qui Lacedæmonius.

Cùm Alcibiadi Athenienſi plurimum aquæ præberet balneator, Laco dixit: cur huic velvt immundo & admodum ſordido plus aquæ affundit? Philippuscùm in Laconicam irrupiſſet, Spartaniſque vniuerſis videretur exitium imminere, dixit cuidam Spartano, Quid nunc facietis Lacones? reſpondit is, Quid aliud, quàm moriemur fortiter? ſoli enim Græcorum nos liberi eſſe, & non obedire aliis didicimus. Poſt cladem duce Agide acceptam, cùm Antipater obſidum loco poſceret L pueros, ETEOCLES tum ephorus daturum ſe eos negauit, ne malè educarentur, & ab inſtitutis patriæ deſciſcentes ciuitati incommodi fierent: ſenum autem aut mulierum duplum, ſi vellet, numerum obtulit. cúmque Antipater atrocia minaretur niſi darentur, publico nomine reſpondit: Si difficiliora morte imperas, facilius nobis erit mori. Senex quidam Olympiæ commiſſum certamen ſpectare cupiens, ſedem non inveniebat, cúmque multa obiret loca, à nemine admiſſus contumeliis inſuper dicteriisque exagitabatur: cùm autem ad Lacedæmonios veniſſet, omnes ei pueri aſſurrexerunt, multíque viri loco ceſſerunt. quem morem vniuerſis Græcis plauſu approbantibus, ſummíſque laudibus vehentibus, ſenex iſte. *Educatio.*

Concutiens canam barbam q̃, & tempora cana:

Proh, inquit, calamitatẽ: norunt omnes Græci quid ſit honeſtum, ſed eo ſoli vtuntur Spartani. Idem aiũt Athenis quoque eveniſſe. Cùm enim agerentur Panathenæa, Attici ſenem contumeliosè vexabant vocantes vt locum daturi, neque tamen ſi acceſsiſſet recipientes. qui cùm penè præter omnes iuiſſet, vt venit ad eos qui Lacedæmone ſpectatum miſsi

erant, vniuersi relictis subselliis locum dederunt ei. quod factum cùm populus magno cũ plausu & admiratione approbasset, Spartanus quidam, Per Castores, inquit, norunt Athenienses quid sit honestũ, *In mẽdicos.* sed non agunt. Mendicus à Lacone stipem petebat. hic verò, Si darem, inquit, tibi, eò magis mendicares. nã huic tuæ deformitati causam præbuit is qui primus tibi dedit, eóq; te ignauum reddidit. Lacon videns quẽdam diis stipem colligentem, Non curo, ait, deos me pauperiores. Quidam cum deprehendisset adulterũ cum vxore deformi, Infelix, inquit, quæ te hoc coëgit necessitas. Alius rhetorem audiens magnas torquentem conversiones orationis, Aecastor, inquit, fortis iste homo est, nulla re proposita tam bene voluens linguam. Quidam cùm venisset Spartam, ac cerneret quem honorem senibus iuniores haberent, Hac sola in vrbe dixit expedire *Tyrtæus.* fieri senẽ. Laco interrogatus qualis esset Tyrtæus, Vtilis, respondit, ad blandè ducendos iuuenum animos. Alius ex oculis laborans ad pugnam ibat. interrogatus quò iret, aut quid facturus, qui hoc modo esset affectus: Si nihil aliud agam, inquit, hostis saltem gladium hebetabo. BVRIS & SPERTIS Lacedæmonij sponte sua profecti sunt ad Xerxem Persarum regem, pœnas persoluturi quas ex oraculo debebat Lacedæmon ob interfectos præcones Persæ ad ciuitatem missos. Vt ad regem venerunt, iusserunt eum ipsos quo vellet modo pro Lacedæmoniis interficere. Absoluti à rege virtutem eorum admirante, rogatíq; vt secum manerent, dixerunt: At quî possemus hic viuere, patria legibúsq; relictis, iisq; viris pro quibus morituri tantum confecimus iter? & Indarne duce impensiùs orante, ac promittente æquali eos in honore fore cum primariis regis amicis, responderunt: Videre nobis ignorare, *Libertas.* quanta sit libertas: quam qui sapit, non permutaret Persarũ regno. Lacon hospite, qui pridie ipsum decli-

declinauerat, splendidè eum precario sumpta veste stragula excipiente, pedibus vestem stragulam calcauit, inquiês: Propter ista heri ne in storea quidem dormiui. Alius cũ Athenas veniſſet, viderétq; Athenienſes ſalſamenta & obſonia præcone proclamante vendere, vectigalia exigere, lenociniũ exercere, multáq; alia parum decora agere, nihílque inhoneſtum ducere: reverſus in patriam, ciuibus interrogantibus Quales Athenis res eſſent, reſpondit, Omnia pulcra. per iocũ & ſimulationem innuens, apud Athenienſes omnia pulcra putari, turpe nihil. *Salsè.* Alius quadam de re interrogatus, negauit. & cum qui interrogauerat reſponderet, Mentiris: viden', inquit, vanũ te eſſe hominem, qui interroges de re tibi nota? Venerunt aliquando legati Lacones ad Lygdamin tyrannum. qui cum aliquoties colloquio diem produxiſſet, tandémque indicari iuberet valetudine ſe non ſatis eſſe firma, reſponderunt: Atqui per deos non colluctatum advenimus, ſed collocutum. Laconem quidam ſacris initians, dicere iubebat cuius maximi ſceleris ſibiipſi conſcius eſſet. reſpondit Laco, diis id notum eſſe. inſtantémque & omnino profitendum eſſe dicentem, interrogauit, Cui ergo id indicandum eſt, tibíne an deo? cùm reſponderet, Deo: tu ergo, inquit, interim recede. Alius noctu ſepulcrum præteriens, ſpectrúmque imaginatus, haſta irruit, eáque id traiecit dicens: quò fugis anima bis moritura? Alius cùm vouiſſet ſe præcipitem à Leucata ſeſe daturum, altitudine conſpecta abiit retrò. cùmque id ei vitio verteretur, dixit: Non putaueram hoc votum alio maiore voto indigere. Alius in prœlio gladium hoſti iam incuſſurus, cùm audiret receptui cani, ictum non intulit. & interrogatus cur pepercisſet hoſti quem necare potuiſſet, reſpondit: Quia melius eſt imperatori parére quàm interficere. *Obedièttia.* Laco quidam ad Olympiam victus, dicenti Collu-

ctator tuus te fuit melior, Nequaquam, inquit, sed deiiciendi peritior.

INSTITVTA LACONICA.

Arcana. Ingredientium in syssitia vnicuique maximus natu ostendens ianuam: per has, aiebat, nullus effertur sermo. Maximè apud eos probabatur ius atiũ quod vocabant, ita vt seniores carnem non requirerent, sed eam adolescentibus concederent. Eius gratia fertur Dionysius Siciliæ tyrannus Laconicum cocum emisse, ac iussisse vt nulli parcẽs impendio ius illud coqueret. coctum autem cúm gustasset, indignatum exspuisse. tum ei cocum dixisse: O rex, corpore prius Laconicum in morem exercitato, & abluto in Eurota ius istud cœnandum est. Lacones vbi mediocriter in Syssitiis biberũt, domum absq; face abeunt. non enim licet iis vel hãc vel aliam viam ire cum lumine: vt adsuescant in tenebris & noctu audacter & sine pauore ambulare. Litteras vsus gratia discebant, reliquas disciplinas vrbe sua exigebant, vt & peregrinos homines. Institutio ipsis erat bene obtemperandi, labores tolerãdi, & in pugna aut vincendi aut moriendi. Permanebant absq; toga, & vnicam in annum sumebant tunicam, squalidi corpora, & plerunque lauacris vnctionéq; abstinentes. Simul dormiebãt adolescentes gregatim ac turmatim in toris, quos ipsi congerebãt arundinum quas Eurotas fert summa manibus sine ferro defringentes. hyeme lycophonas quos vocant substernebãt, & toris permiscebant, quòd ista materia vim calefaciendi putabatur habere. Permissum erat amare pueros præclara indole præditos, sed turpe iudicabatur, si quis ab animo ad corpus amorem transferret. & qui polluisse aliquẽ crederetur, is infamis per omnẽ vitã habebatur. Mos erat porrò vt iuniores à senioribus interrogarentur, quorsum irent, & cuius rei gratia: ac qui non responderet, vel prætextus necteret,

ret, obiurgaretur. qui se præsente peccantem nõ castigaret verbis, in eadem erat culpa cũ delinquente: & qui ægrè ferret se increpari, in magno erat probro. Qui in aliquo delicto deprehẽdebatur, cogebatur aram quãdam in orbẽ circuire: compositãq; sui ipsius vituperationem cãtare, quod nihil erat aliud, quàm ipsum à seipso obiurgari. Condocefaciebant pueros, vt nõ suos modò parẽtes revererentur, iisq; obedirẽt, sed & omnes alios senes, iisq; & de via decederent, & de sedibus assurgerent, & præsentibus quiescerent. quo factũ est, vt quisq; præesset non, vt aliis in ciuitatibus, suis tantũ liberis, seruis, atq; bonis, sed vt de suis, ita & de vicini rebus curam gereret: vt quàm maximè inter se cõmunia haberent omnia, & tanquã propria quivis procuraret. Puer punitus ab aliquo si id ad patrem deferret, turpe erat patri nõ alia porrò addere verbera. ex sua enim quisque disciplina persuasum sibi habebat, nihil quenquam pueris inhonestum mandare. Furabantur adolescentes etiã cibi quidquid poterant, discentes callidè insidiari dormientibus, aut negligenter sua adseruantibus. Deprehensi pœna erãt plagæ & fames. cœna enim tenuis dabatur, vt suapte opera inopiã profligare coacti auderent & astuti fierent. & cũ hac de causa parcè cibus dabatur, tũ vt adsuescerent nũquã repleri, sed famem posse ferre. sic enim existimabant eos & in bello maiori fore vsui, si etiã post inediam nossent laborare: & temperantiores atq; frugaliores, si in lõgius tẽpus sumptus exiguus sufficeret. & si absq; obsonio cibus proximus quisq; vsurparetur, id ad augendã corporũ sanitatẽ censebant cõducere, cũ corpora posset in altũ ac profundũ ali, neq; obstaret nutrimentũ incremento in altitudinẽ. quin & ad pulcritudinẽ corporũ hoc conferre, gracilem enim & laxũ corporis habitũ formãdis artubus esse obsequentem. cũ alimento multo vsa ob molem resistant. Modulationibus quoq; & cãtilenis nõ minus

Castigatio.

Modici cibi vtilitas.

Musica.

impenderunt ſtudij, quæ ſtimulum haberent ad excitandum augendúmq; animũ, impetúmq; & quaſi inſtinctum quendam ad agendum ingenerarent. dicto ſimplex erat, minimeq; fucata. materia, laudes eorum qui præclarè vixiſſent, ac pro Sparta occubuiſſent, & beati prædicarentur. item vituperationes eorum qui timidè ſe geſsiſſent, quippe vitam miſeram infelicémq; degentium: tum exhortatio ad virtutem, & gloriatio ætatibus conſentanea. Tres enim chori erant in feſtiuitatibus pro triplicis ratione ætatis, quorum princeps ſenum ſic canebat:

Olim iuuentutem nos ſtrenuam egimus.

cui reſpondebat virorum ætate vigentium chorus:

Fortes ſumus nos: fac, ſi uis, periculum.

tertius puerorum cantabat:

Nos erimus his præſtantiores plurimo.

Embaterij quoq; moduli ad fortitudinẽ, audaciam, mortíſq; contemtum animabant, quibus vtebantur cum choris & ad tibiam ducentes in hoſtem. Lycurgus enim bellicæ exercitationi muſicæ adiunxerat ſtudium, vt nimium belli ſtudium modulatione temperatũ concinnitatem nanciſceretur. Itaq; ante pugnam Muſis immolabat rex, vt pugnantium forent memorabiles actiones, bonáq; dignæ fama. Neq; patiebantur quenquá priſcæ muſicæ modũ egredi. ſed *Terpander.* & Terpandrum admodum vetuſtũ citharœdum ac ſua ætate fidicinum principem, heroicorúmq; facinorum laudatorẽ mulctauerunt ephori, citharámq; ei ademtam in publico affixerunt, quòd vna chorda *Timotheus.* ampliùs intendiſſet vocis variãdæ gratia. ſola enim ſimplicia probabãt carmina. Et cũ Timotheus Carnea certaret, vnus ephororũ arrepto cultro quæſiuit ab vtra parte vellet abſcindi neruos qui ſeptem eſſent plures. Vniuerſam de ſepulcris ſuperſtitionẽ *Sepulcra.* Lycurgus abſtulit, conceſſo vt in vrbe mortui ſepelirentur, & moniméta eſſent templis vicina. Suſtulit & pollu iones, & nihil permiſit cum cadauere humari

mari, verũ illud in punicea veſte ac foliis oleæ com
poni eodem ab omnibus modo iuſsit. Inſcriptiones
quoq; monimentorũ, niſi ſiquis in bello cecidiſſet,
& luctus eiulationéſq; aboleuit. Peregrinando Spar *Peregrina-*
tanis interdixit, ne mores peregrinos, vitæq; malè *tio.*
inſtitutã rationem addiſcerent. Quin & arcuit Spar
ta peregrinos, ne in vrbem illi ſe inſinuantes malum
aliquid ciues docerent. Si quis ciuium non patere-
tur puerorum inſtitutionem, is iure ciuitatis exclu-
debatur. Sunt qui dicant peregrinos quoq; huic ſe
inſtitutioni accommodantes, admiſſos à Lycurgo
fuiſſe in partem ciuitatis ab initio deſtinatã: vende-
re autem nõ licuiſſe. Vicinorũ ſeruis itémq; cani- *
bus & equis, niſi domini vſu eorũ indigerent, vti li-
cebat tanquam propriis. ſed & rure ſiquis aliqua re
opus haberet, aperto vicini penu inde neceſſaria au *Punicea ve-*
ferebat, penúq; obſignatũ relinquebat. Punicea ve- *ſtis.*
ſte in bellis vtebantur. nã & color virilis videbatur,
& ob ſimilitudinem ſanguinis formidinẽ imperitis
oblaturus, vtiliſq; ad fallendũ hoſtẽ ob eandẽ rem,
ſi quis vulnus accepiſſet. Cũ callido cõſilio hoſtem
viciſſent, bouem Marti mactabant: ſi apertè, gallum.
duces adſuefacientes, vt non pugnaces modò, ſed
callidi etiam fierent. Votis hoc annectebant, poſſe *Votum.*
ferre iniurias. Votum autem erat pulcra poſt bona
conſequi: nihil præterea. Venerem colebant arma-
tam, omnéſq; alios deos tam mares quàm feminas
haſtatos faciebant: omnes eos virtute militari præ-
ditos innuentes. Proverbio iactabant,

Poſtquam manum operi admôris, Fortunam inuoca: *Labor.*

innuentes dei opem implorandam non eſſe, niſi rem
aggreſſus ipſe ſis, aliquídq; egeris. Vt pueros ab e-
brietate averterent, ſeruos iis vini plenos demon-
ſtrabant. Moris erat apud ipſos, nõ pulſare oſtia, ſed
foris clamare. Strigilibus nõ ferreis, ſed è calamo fa
ctis vtebantur. Comœdias & tragœdias non audie-
bant, ne vel ſeriò vel ioco contra leges dicentibus

Archiloc hus. aures præberent. Archilochum poëtam, cùm is venisset Spartam, eadem hora expulerunt, quòd in carmine quodam eum scripsisse intellexissent, præstare arma abiicere, quàm mori.

* *Nunc aliquis nostra se ex hostibus aspide iactet,*
Sub ucpre quam reliqui inuitus integram.
Illa quidem ualeat. nunc ipse à clade superstes
Emam suo non deteriorem tempore.

Pueris & puellis cõmunia erant sacra. SCIRAPHI-
In luxum. DAM ephori mulctarunt, quòd multi ipsum iniuria afficerent. Saccos solitum baiulare necarunt, quòd prætextam sacco inseruisset. Adolescentẽ à gymnasio verbis corripuerunt acribus, quòd viam nosset, quæ ducit ad portã, vbi in trivio colloqui homines solebãt. Cephisophontẽ professum de quavis re per integrũ diem se dicere posse, vrbe eiecerunt, dicentes: Boni oratoris esse orationẽ rebus æqualem habere. Lacedæmone pueri per integrum diem flagellis cæsi, sæpenumerò ad mortẽ vsq; apud Dianæ Orthiæ aram, læti alacrésq; tolerant, atq; inter se de victoria certãt, in eo posita, quis diutius magísq; perferat verbera: victorémq; summa consequitur gloria. Certamen illud flagellatio dicitur, & quotannis habetur. Vnũ hoc eximium & apprimè felix parasse
Ocium. videtur Lycurgus ciuibus. Ocij abundè. nam artem attingere sordidam omnino ipsis non licebat: neq; opus erat laboriosa aut negocioſa pecuniæ acquisitione, cùm planè omnem honorẽ & admirationem
Auariciæ obviã itũ. diuitiis iam ademisset. Heilotes agros colebant, ac antiquitus constitutos reditus pendebant: cùm diris agendum statuissent si quis pluris prædium locasset. causa erat, vt & heilotes lucrum facientes eò libentiùs operã nauarent, & domini solito amplius
Nautica res. non requirerent. Cauit etiam lege, ne Spartani vel nautæ fierent, vel nauali prœlio pugnarent. Posterioribus tamen temporibus, naualibus pugnis decerta-

certauerunt: marísque imperio potiti, rursum desti-
runt, videntes mores ciuium corrũpi. Sed & in hac
re, & in aliis, inconstantes fuerunt. Aliquando enim
qui pecunias Spartanis collegerant, morti fuerunt
adiudicati, quòd Alcameni & Theopompo regibus
oraculum erat datum,

Auaricia.

Nil *Spartam perdet, nisi cara pecunia facta.*

Nihilominus Lysander captis Athenis, multum au
ri argentíq; intulit Lacedæmoni, probatúmq; eius
id factum & honor ei habitus fuit. Enimverò Spar-
ta, quãdiu institutis Lycurgi stetit, iureiurandúmq; *Lycurgi le-*
ratũ seruauit: per annos 10 princeps Græciæ fuit, *gum vis.*
cùm legum bonitate, tũ gloria reliquis superior vr-
bibus. Paulatim verò desciscentibus ciuib. diuitia-
rúmq; studio & iniqua auaricia irrepentibus: cũ vi-
res deminutæ sunt, tum animi sociorũ maiorem in
modum abalienati. Et tamen isto rerum suarũ statu,
cùm Philippum Macedonẽ victoria ad Chæroneam
potitum, omnes Græci terra maríq; ducem renun-
ciassent, itémq; Alexandrũ eius F. post subactos Thebanos: Lacedęmonij quanquã & muris carentem vr
bem incolerent, & continentibus bellis ad paruum
essent redacti numerũ, multóq; imbecillores & op-
pressu faciliores redditi, paucas admodum à Lycur
go latarum legum seruãtes reliquias, neq; his, neq;
aliis deinceps Macedonũ regibus socios se expedi- *Spartæ rui-*
tionum præbuerunt, aut in cómune cócilium se ad- *na.*
iunxerunt, aut tributũ contulerunt, donec prorsum
posthabitis Lycurgi legibus, tyrannidi suorum ci-
uium subiecti, nihílq; priscorũ institutorũ seruãtes,
pristina gloria & libertate amissis, reliquorum simi-
les sunt facti, ínq; seruitutem redacti. Et nunc Ro-
manis, sicvt & cæteri Græci, obediunt.

Lacænarum apophthegmata.

ARGILEONIS Brasidæ mater, cùm occubuis-
set filius ipsius, & ab Amphipoli Spartam nonnulli

profecti ipsam conveniſſent, quæſiuit ex eis, an honestè & Spartæ convenienter Braſidas mortem oppetiiſſet. magnificè eum prædicantibus, affirmantibúsque præſtantiſsimum eum Lacedęmoniorum in
Modestè. id genus rebus gerendis fuiſſe, reſpondit: Fuit, hoſpites, vir præclarus meus filius, ſed multos Lacedæmon habet viros eo fortiores.

GORGO regis Cleomenis filia, cùm patrem Ariſtagoras Mileſius magnæ pecuniæ pollicitatione ad bellum pro Ionibus contra regem Perſarum ſuſcipiendum hortaretur, ac quanto magis repugnabat verbis, tanto plura adderet: Corrumpet te, dixit, mi pater homuncio hic peregrinus, niſi eum quamprimùm domo exturbas. Mandanti patri aliquando vt
Vinum. frumentum cuidam mercedis loco daret, dicentíq; eum ſibi tradidiſſe rationem, qua vinum mite redderetur: proinde, inquit, mi pater, & vini plus exhaurietur, & bibentes magis luxuriabunt, erúntq; deteriores. Calceos videns Ariſtagoræ à ſeruo ſubnecti:
In molles. Pater, inquit, hoſpes hic manus non habet. Peregrinum quendam molliter ac lentè accedentem depulit, inquiens: Non tu hinc te aufers, qui ne ea quidem potes, quæ mulieres præſtant?

GYRTIAS, cùm quodam tempore Acrotatus nepos ipſius in puerorum conflictu multis acceptis plagis pro mortuo domum referretur, domeſticis & familiaribus plorantibus, Non, inquit, tacebitis? oſtendit quo ſanguine ortus ſit. neque vociferari debent boni, ſed medicinâ applicare. Cum è Creta nuncius eſſet de morte Acrotati allatus, dixit illa: Annon debuit cùm ad hoſtes veniſſet, aut illos interficere, aut ipſe mori? mihi quidẽ iucũdius auditu eſt, ſeipſo eũ, patria, maioribúſq; dignâ mortem oppetiiſſe, quàm vt longum tempus viueret vitioſè.

DAMATRIA filiũ ad ſe reverſum, timidè & ipſa indignè ſe geſsiſſe eũ audito, interfecit. In hanc epigramma fertur tale:

Peccan-

Peccantem in leges Damatrion ipsa peremit
Spartanum, mater de Lacedæmoniis.

Alia Lacæna filium, qui ordines deseruisset, vt indignum patria necauit, inquiens: non mea est hęc soboles. de qua hoc extat epigramma:

I *pessum proles mala nunc, tenebrasq; petitum:*
Eurotas cerui ne fluat ut timidis.
I *catule, i mala sors pessum, manesq; petitum,*
Indigno Spartæ sit malè: non peperi.

Alia cùm fuga seruatum ex hostibus intellexisset filium, sic ad eum scripsit. Mala de te fama spargitur. aut igitur hanc elue, aut viuere cessa. Alia, cùm filij è prœlio fugissent, & ad ipsam venirent: quò, inquit, perfugere voluistis mala mancipia? an huc (simul veste sublata ventrem nudatũ eis ostendebat) vnde existis, redituri? Quædam filium adventantem cernens, interrogauit quo loco res patriæ essent. cúmq; is responderet, occidione ciues esse occisos, sublata eum tegula petiit atq; interfecit, dicens: Ergo te infaustæ rei nuncium illi miserunt nobis? Cùm quidam matri narraret fratrẽ honesta morte obiisse: Non, inquit, ea, turpe est talis te comitatus occasionem dimisisse? Quædam cùm quinq; filios in bellum emisisset, stans in subvrbio expectabat pugnæ exitum. cúmq; ei quidam adveniens scitãti quid rei ageretur renunciaret filios omnes occubuisse: prauum, inquit, mancipium, non hoc quærebã, sed quo loco essent res patriæ. cùm respóderet, victoria suos potiri: ergo, inquit, mortem quoq; filiorum nõ invita audio. Ad quandam, quæ filium sepeliebat, anicula accedens dicebat, Heu fortunam. tum illa, Per Castores, inquit, propiciam. cuius enim rei gratia eum peperi, vt pro Sparta moreretur, id sum consecuta. Ionicæ cuidam mulieri glorianti de suo quodam precioso texto, Lacæna commóstratis quatuor suis filiis elegãtissimis: Huiusmodi, inquit, esse opor

tet honestæ mulieris opera, hísque eas sese iactare. Alia, cùm auditu accepisset filium peregrè malè se gerere, scripsit ei: Mala de te spargitur fama. aut abole eam, aut viuere desine. Affine huic est illud. Chij exsules cùm veniissent Spartam, multa de PAEDARETO vulgabant crimina. acciuit eos TELEVTIA mater, criminibúsque auditis, cùm sontem iudicaret filium, ita per epistolam compellauit. Mater Pædareto: aut viue rectiùs, aut isthic desperato Spartam reditu mane. Altera filio criminis alicuius causa in iudicium vocato, dixit: Aut crimen amolire, aut vitam. Alia claudum filium in pugnam emittens, Fili, inquit, ad singulos gressus virtutis recordare. Alia filio reverenti à pugna, in qua vulnus in pede acceperat, & ex eo magnum percipiebat dolorem: Si, inquit, fili virtutis sis memor, & dolore leuaberis, & bono eris animo. Laco in bello ita erat sauciatus, vt cùm aliter nequiret, quadrupes cogeretur incedere ei, cùm puderet ipsum ita esse deridiculum, mater: quanto, inquit, præstat, de virtute gaudere, quàm ob risum fatuum pudore affici? Alia cùm filio aspidem traderet, eúmque ad rem bene gerendum hortari vellet: Fili, inquit, aut hanc, aut super hac. Alia filio in bellum proficiscenti porrigens scutum: Hoc, ait, pater tuus semper seruauit. itaque aut tu idem facito, aut peri. Alia filio dicenti paruum sibi esse gladium, Adde, inquit, gressum. Alia audito filium re probè gesta in acie cecidisse, Meus enim, inquit, erat. alterum audiens fuga ob timiditatem sibi salutem parasse, Non enim, inquit, meus erat. Alia cùm narraretur filium ipsius in pugna statione sua seruata cecidisse: Hunc, inquit, sepelite, ínque ipsius locum frater eius succedat. Alia cùm solenni pompæ ducendæ interesset, nunciato filium in prælio victoria potitum è vulneribus quæ multa accepisset mori: non detracto ser-

&o ſerto, ſed iactabunda proximis mulieribus dixit: Multo pulcrius eſt, amicæ, vincentem in acie mortem oppetere, quàm ſuperſtitem vincere Olympia. Cum quidam ſorori narraret ſuæ, filium eius mortem generosè obiiſſe: reſpondit ea: quantum eius nomine gandij, tantum tui gratia mihi doloris accidit, qui comitatum tam honeſtum non aſſecutus ſis. Ad Lacænam mittebat quidam percunctatum, an vitio vellet adſentiri. reſpondit ea, puellam ſe didiciſſe patri obtemperare, ídque feciſſe, mulierem autem viro. proinde ſiquid honeſtum peteret, primùm id liquidò declararet. Virgo inops interrogata quid dotis eſſet ſponſo allatura, paternam, inquit, pudiciciam. Lacæna interrogata an virum adiuiſſet: Non, inquit, ſed vir me. Quædam occultè compreſſa virgo, cùm fetum interfeciſſet, tanta patientia dolores pertulit, vocémque protinus inhibuit, vt & patrem & vicinos partus fefellerit: opprimente magnitudinem doloris metu dedecoris. Lacæna cum væniret, interrogata quid ſciret, Fidelis, inquit, eſſe. Alia eadem conditione, cùm ex ipſa idem quæreretur: Noui, inquit, domum bene incolere. Quædam ſcitanti, Probáne eſſet futura ſi ipſam emeret: Sum, inquit, proba futura, etiam ſi non emas. Alia dum venderetur, præconi quid noſſet quærenti libera, inquit, eſſe noui. Cúmque emtor quædam ei iniungeret, non decentia liberam: hoc fata

Flebis, qui tibi talem poſſeſsionem
invideris, mortem ſibi
ipſa conſciuit.

Caſtè.

Dos eſt magna, parentum Virtus, &c. Horatius, 3. 24.

PLVTARCHI
De mulierum virtutibus, liber.

ALia est, ô Clea, de mulierum virtute mea, quàm Thucydidis sententia. Is enim ei primam laudem tribuit feminæ, de qua foris minimus est vel in bonam vel in malam partem sermo. censens nimirum vt corpus, ita famam quoq; bonæ mulieris domi inclusam esse, neque in publicum exire debere. Mihi autem elegantior videtur Gorgiæ opinio, qui mulieris non formam, sed famam vult multis esse notam. Et Romanam legem maximè probo, quæ mulieres itidem vt viros post mortem publicè laudari pro dignitate iubet. Itaque optima Leontide vita defuncta, cùm statim, tunc mihi tecũ colloquium fuit non expers philosophicæ consolationis: tum in præsentia quidquid restabat eorum, quę ad docendum eandem esse viri ac mulieris virtutem differuntur, historica demonstratione tibi conscripsi. Non est hic noster commentarius ad voluptatem auditione parandam accommodatus. sed tamen si exemplorum hæc est natura vt persuadendo simul oblectent, oratio non abhorrebit à venustate demonstrationem adiuuante, neque verebitur Musis admiscere Gratias, pulcerrimo (vt ait Euripides) coniugio: maximè cùm ab animo honestatis cupido captet fidem. Agedum enim si dicentes eandem esse virorum ac mulierum artem pingendi, tales à mulieribus elaboratos proferremus picturas, quales Apelles, Zeuxis, aut Nicomachus reliquerunt: essétne qui nos repræhenderet, ac gratificandi & delectandi maiorem nos, quàm fidem faciendi rationem habuisse diceret? non sanè opinor. Rursum si poëticam imitandi ve artem eandem esse mulierum

Hercul. fur.

lierum & virorũ affirmantes, Sapphùs carmina cum Anacreonteis, aut Sibyllæ cũ Bacidis oracula compararemus, iusténe aliquis culpare demõstrationem posset, quòd gaudentem ea & voluptate affectum auditorem ad fidem proposito habendam adduceret? nõ profecto. Atqui similitudinem ac discrimen mulieris atque virilis virtutis alivnde rectiùs discere non possis, quàm si vitas vitis, & actiones actionibus tanquam magnæ artis opera componens, conspideres eandémne habeant formam atque effigiem Semiramidis & Sesostris magnificentia, Tanaquilidis & Seruij regis callidítas, Porciæ magnanimitas & Bruti, Timocleæ & Pelopidæ, si ad vim istarum virtutum præcipuam respiciatur. Alias enim quasdam differentias virtus, tanquã colores quosdam peculiares accipit ob diuersitatem naturæ, adsimilatúrq; moribus, temperiei corporis, cibo & viuendi rationi eius cui inest. Aliter enim fortis fuit Achilles, aliter Aiax: neq; prudentiæ Nestoris similis fuit Vlissis prudentia: neque eodem modo iusti fuerunt Cato & Agesilaus: aliter maritũ dilexit Eirene quàm Alcestis: diuersa fuit ratio magnanimitatis Corneliæ & Olympiadis. Neq; tamen eo adducimur, vt multas & diuersas constituamus fortitudines, prudentias, & iusticias: dum modò diuersitates singulorum nullam virtutem sua definitione excludant. Proinde exempla nimis trita, & quæ tibi (quippe versatæ in frequenti librorum lectione) cognita esse puto, in præsentia omittam, nisi siqua digna memoratu fugerunt eos qui ante nos vulgaria & publicè nota in litteras retulerunt. Quando autem mulieres multa præclara facinora cùm publicè tum priuatim ediderunt, pauca quædam de publicis referre operæprecium videtur.

TROADES.

Qui ab Ilio, cùm id everteretur, profugerũt, eorum pleriq; tempestatis vi, & ob imperitiam nauti-

gandi, marísq; ignorationem ad Italiam sunt delati: & ad Tiberim fluuium ægrè portubus ac stationibus necessariis subvecti, pervagati sunt regionem, quærentes qui ipsis locorũ istorũ conditiones enarrarent. Interim mulieribus cogitatio incidit, qualemcunq; sedem quavis in terra potiorem esse rectè suas res gerentibus hominibus quàm errores & nauigationem: patriámq; eã esse faciendam, cùm amissa recuperari non possit. Proinde conspiratione facta, naues cremauerunt, duce facinoris Roma, vt aiunt. Hoc facto, maritis opitulatũ nauibus ad mare contendentibus occurrerunt, metuentésq; iram eorum, aliæ maritos, aliæ necessarios amplexæ, blandéq; deosculatæ sunt, eáq; suauitate animos eorum deliniuerunt. Inde mos ortus est etiamnum durans, vt Romanæ feminæ cognatos osculo salutent. Nam necessitatem nimirum cernentes Troiani, simúlque humanos & benignos experti incolas eorum locorum, factum mulierum probauerunt, ibiq; cum Latinis habitauerunt.

Osculi mos.

PHOCIDES.

Phocidum facinus à nullo nobili scriptore commemoratur. sed virtutis laude nulli muliebri facto cedit. testimonium ei ferunt magna sacrificia quæ Phocenses hodiéq; ad Hyampolin peragunt, ac vetusta decreta. Singulas historiæ totius partes ego in vita Daiphanti perscripsi. Phocidũ res ita gesta est. Implacabile bellum erat ortũ inter Thessalos & Phocenses. Hi enim principes ipsorum & tyrannos in Phocicis vrbibus vna die vniuersos necauerant: illi autem CCL Phocensium obsides trucidauerant, omnibúsq; cum copiis per Locros in Phocidem irrumpebant, decretóq; facto iubebant nulli adulto parcere, pueros & mulieres captiuos abducere. Ibi Daiphantus Bathyllij F. qui cum duobus collegis Phocensium reip. præerat, suis persuasit, vt ad puguam conserendam Thessalis obviam irent: mulieres

Daiphãtus.

fieres autem cum liberis vnum in locũ ex vniuersa Phocide conducerent, eúmq; congestis lignis cingerent, ac custodes adderent, mandato vt si suos victos sentirent, confestim materiam accenderent, ac corpora combvrerent. Hæc cum esset reliquorũ sententia, vnus in cõcilio surgens, Aequum est, inquit, vt mulieres quoq; istuc probent, alioquin omittendum est, neque vi eò sunt adigendæ. Qui sermo vt pervenit ad mulieres, ipsæ seorsim convenerunt, itáq; fieri debere decreuerunt, Daiphantúmq; coronauerunt, vt qui optimè rebus Phocicis cõsuluisset. Idem quoque pueros aiunt concione priuatim convocata sciuisse. His ita actis, Phocenses ad Cleonas Hyampolidis cum hoste conflixerũt, victoriáq; sunt potiti. Decretum hoc Phocensium, Græci Aponœam, vtpote desperatis rebus audacter factum, appellauerunt. Omnium autem festiuitatum suarum maximam Elaphebolia Mineruæ Phocenses in hunc vsque diem quotannis peragunt atque celebrant. vox à feriendis ceruis ducta est.

Thessali à Phocensibus victi.

CHIAE.

Chij Leuconiam coloniam duxerunt tali de causa. Quidam in Chio non minimi nominis matrimonium contraxerat. cùm autem sponsa in curru duceretur, rex Hippoclus sponsi familiaris, qui vnà cũ reliquis aderat, oborto ex ebrietate iocandi studio, in currum insiluit, non animo vllius iniuriæ faciendæ, sed communem consuetudinem lusúmq; secutus. tamen huc sponsi amici interfecerũt. Inde cùm Chij iræ diuinæ argumenta cernerent, oraculo consulto iussi sunt percussores Hippocli necare. cúmque vniuersos eius cædis sontes se esse diceret, vniuersos deus iusit vrbe excedere, siquidem vniuersi flagitio isto se obstrinxissent. Ita demum sontes, cædísq; socios aut approbatores, vtcunq; & multos & potentes, in Leuconiam deportauerunt. Hanc Coronensibus ademtam primùm cum Erythræis pos-

ſederant Chij. Poſtea temporis bello cũ Erythræis Ionum potentiſsimis contracto, cùm hi ad Leuconiam ducerent exercitum, Chij impares ſe viribus videntes, pacti ſunt exceſſuros ſe Leuconia, vná tantum quoq; chlænam, vnámq; tunicam ſecum aſferente. Mulieres autem Chios obiurgabant, quòd armis dimiſsis nudi per hoſtes eſſent exituri. cúmque hi dicerent iureiurádo adhibito ſe id promiſiſſe, monuerũt ne arma relinquerent, ſed hoſtibus dicerent haſtam eſſe loco chlænæ, clypeum loco tunicæ viro animoſo. Cùm obtemperaſſent Chij, liberéq; adverſus Erythræos locuti arma oſtenderent: territi eorum audacia Erythræi ſunt, nemóq; eorum acceſsit aut prohibuit, ſed diſceſſum eorum gratum habuerunt. Atque hi quidem à mulieribus edocti audere, hoc modo tum ſeruati ſunt. Sed nihilo minoris virtutis facinus eſt Chiarum mulierũ, longo pòſt perpetratũ tempore. Philippus Demetrij F. vrbẽ Chiorum oppugnans, ſuperbum ac barbaricum edictum propoſuerat, quo ſeruos ad defectionem ad ſe invitabat, pollicens iis dominarum coniugia & libertatem. Mulieres verò atroci atque efferа correptæ ira vnà cum ſeruis, ipſis quoque vnà indignantibus & auxilium ferentibus, cum impetu in muros evaſerunt, lapidéſque & tela congerentes, ac pugnantes exhortantes & animantes, ipſaéque etiam ad extremum hoſtem profligantes & telis impetentes, Philippum repulerunt: cùm quidem ad hunc nullus omnino ſeruorum tranſiuiſſet.

Seruorum fides.

ARGIVAE.

Inter res à mulieribus publicè præclarè geſtas, nullum illuſtrius extat facinus certamine, quod Argiuæ pro patria adverſus Cleomenẽ Teleſillæ poëtriæ hortatu obiuerunt. Hanc ferunt nobili ortá familia, cũ eſſet corpore morbis obnoxio, deos de paranda bona valetudine cõſuluiſſe: oraculóq; monitam vt Muſas coleret, deæ obtemperaſſe, ſtudiúmq;

Teleſilla.

in car-

in carmina & harmoniam collocasse: & cùm morbo liberatam esse, tum ob poëticam in admiratione mulieribus fuisse. Cũ Cleomenes Spartæ rex multis Argiuorũ occisis (fabula est quidam numerũ eorũ perhibet IↃↃ CIↃ CIↃ IↃCCLXXVII) ad ipsam vrbem duceret, impetus & diuinitus quædã iniecta audacia mulieres quæ ætate integra essent excitauit ad propulsandos à patria hostes. Proinde Telesilla duce arma capiunt, propugnacula occupant, muros corona cingunt, non sine admiratione hostium. Ac Cleomenem quidem repulerunt, multos suorũ desiderantem. alterũ regem Demaratum (vt Socrates ait) qui in vrbem pervenerat & Pamphyliacũ occupauerat, vi exturbarunt. Hoc modo vrbe seruata mulieres quæ in pugna ceciderant, in via Argiua sepultæ sunt à ciuibus: superstitibus autem præmiũ virtutis dedicatio Martis concessa est. Pugnatũ alij septima die, alij ipso in nouilunio tradũt mensis, qui nũc quartus, olim Hermæus, id est Mercurialis, apud Argiuos dicitur. Ea die etiam hodie Hybristica (id est contumeliosa) sacra agunt, mulieres virilibus tunicis & lænis, viros muliebribus vittis ac velis vestientes. Virorum penuriam vt exsarcirent, mulieres non (vt Herodotus narrat) seruis, sed vicinorũ optimis in ciuitatem receptis coniunxerunt: quos illæ videbantur contemnere & ignominia afficere in concubitu. Itaque legem posuerunt, quæ nuptas barbam iubebat habere, quando cum viris concumberent.

PERSIDES.

Cyrus cùm Persas ab Astyage rege & Medis abalienasset, prœlio victus est. Persis autem fuga se ad vrbem recipientibus, cùm parum abesset quin simul hostes irruerent, occurrerunt ante vrbem mulieres, vestibúsque sursum ab inferioribus partibus attractis, dixerunt: quò fugitis omnium hominum pessimi? non quidẽ fuga hãc penetrare potestis, vnde existis. Hoc spectaculum, atq; hæc vox pudorẽ incussit

Persis, séq; ipsos culpantes conversi sunt, & instaurata pugna hostes fuderunt. Inde lex posita à Cyro est, vt quoties rex in vrbem intrat, singulis mulieribus aureus detur. Ochum ferunt, alioquin etiá pra-
Auaricię exemplum. uum hominem & regum auarisimum, semper circumiisse vrbem, neq; ingredi vnquá voluisse, itáq; mulieres dono defraudasse. Alexander verò bis intrauit, & grauidis duplum dedit.

CELTICAE.

Celtæ, antequàm Alpes transgressi Italiæ eá obtinerent partem quam nunc incolunt, è graui & implacabili discordia in bellum inciderant ciuile. Mulieres autẽ inter media arma progressę, cognitis cõtroversiis, tam dextrè eas & inculpatè diiudicauerunt, vt admirabilis earũ ex arbitrio amicicia omnium cum omnibus per vrbes singuláſq; familias existerit. Itaq; in posterum à Celtis mos seruatus est, vt consultationibus de bello & pace mulieres suas adhiberent, & lites cũ sociis ortas earum opera discepterent. Quare in suo etiam fœdere, quod cum Annibale icerunt, scripserunt: si Celtæ haberent quo
Celtarũ cũ Annibale fœdus. nomine Carthaginienses accusarent, iudicium fore Carthaginiensiũ ducum ac præfectorũ in Hispania: si verò Carthaginiẽses Celtis aliquid obiiceret, causæ cognitionẽ futuram penes Celtarum mulieres.

MELIAE.

Melij cùm solo ampliore indigerent, Nymphæo iuuene pulcherrimo coloniæ ducendæ præfecto, naiugauerunt, deo iubente ibi habitare, vbi à quibus portabantur amitterent. Accidit autem vt cùm ad Cariam nauibus applicatis egressi in terrã essent, naues tempestate perderentur. Cares autẽ qui Cryassam incolebant, siue inopiam eorũ miserati, siue audaciam metuentes, habitare eos secũ iusserunt, partéq; agri sui impertiuerunt. deinde, cum videret eos breui temporis spacio magna fecisse incremẽta, per insidias eos interficere statuerunt, conuiuio ad hoc instru-

instructo. Fortè virgo quædam Caria, nomine Caphena, Nymphæum amabat. quæ cùm ista agerētur, non sustinens salutem amasij negligere, consilium ei ciuium aperuit. Cùm ergo Cryassenses venirēt eos vocatum, respondit Nymphæus moris nō esse Græcis, ad cœnam venire sine mulieribus. quo audito Cares, eas vt secum adducerent iusserunt. Tū Nymphæus re Meliis expositā, ipsos tunicatos & inermes secum ire ad cœnam iussit, mulierum autem quamque gladium sub sinu gestare & suo marito assidere. Sub mediam cœnam cum Cares tesseram dedissent, Græci articulum temporis rei gerendæ adesse sentiētes, simul omnibus vxoribus sinus pandentibus gladios arripuerunt, barbarósque adorti vniuersos interfecerunt: agróque & vrbe ea potiti, aliam nouam condiderunt, Cryassámque nouam appellauerunt. Caphena autem Nymphæo nupsit, dignámque beneficio gratiam & meritos honores consecuta est. Digna autem est admiratione mulierum taciturnitas atque audacia, & quòd nulla earum inter tam multas ne invita quidem præmetu officium prodidit.

TYRRHENAE.

Tyrrheni cùm Lemnum & Imbrum occupassent, Athenienſium mulieribus Braurone abreptis filios procreauerunt, quos vt semibarbaros Athenienses insulis expulerunt. Hi cum Tænarum appulissent, Lacedæmoniis in seruili seu hałotico bello vtilem præbuerunt operam, ideóque ciuitate & matrimoniis dignati sunt. Quod autem in senatum & ad cōsilia non adhibebantur, venerunt in suspicionem quasi nouarum rerū moliendarū causa coirent. Itaq; à Spartanis compræhensi & in carcerem cōiecti, accuratè custodiebantur, cupientibus liquidis & stabilibus eos convincere argumētis. Captorum verò vxores ad carcerē venerunt, multísq; obsecrationib. & precibus à custodibus impetrauerunt, vt ad ma-

ritos intromitterentur, ſaluaturæ eos & compellaturæ. Poſtquã intrò venerunt, celeriter viros ſecum permutare veſtes iuſſerunt, muliebribúſq; in veſtibus exire. Ita mulieres quidem paratæ ad omnia aduerſa in carcere manſerunt, viros autem decepti cu ſtodes pro vxoribus dimiſerunt. Exinde Tyrrheni Taygeta occupauerunt, hẽlotéſq; ad defectionem ſuãmq; ſocietatẽ pertraxerunt. qua re Spartani cùm in magnum veniſſent metum, pacem cum iis per internuncios compoſuerunt, ea conditione, vt receptis vxoribus, acceptáq; pecunia & nauibus diſcederent, alibíq; agrũ & vrbem nacti, coloni Lacedæmoniorum cognatíq; haberentur. Fecerunt hoc Pelaſgi, Polli duce & fratre eius Crataida Lacedæmoniis. ac pars quidem eorũ in Melo ſedem fixit: pleriq; cũ Polli in Cretam nauigarunt, oraculíq; eventum periclitati ſunt. reſponſum enim fuerat, vbi deã & anchorã amiſiſſent, fore finem errorum, ibíq; eas eſſe vrbem condendam. Cùm ergo ad locũ Cretæ, qui dicitur Cherroneſus (id eſt peninſula) appuliſſent, noctu panici terrores oblati iis ſunt. quib. conſternati tumultuaria feſtinatione naues conſcenderunt, relicto in terra Dianæ ſimulacro, quod à maioribus acceperant Braurone in Lemnum advectũ, & à Lemno ſemper ſecum circumtulerãt. Cùm autem tumultu ſedato nauigantes id deſiderarent, Pollis, qui ſimul etiam anchoræ vnguem deeſſe ſenſerat, (vi enim attracta anchora is in ſaxoſis, vt apparet, locis abruptus erat) oraculum Pythiæ finem ſuum conſequi iam dicens, ſigno dato retrò nauigauit in Cretam, occupauítque regionem, multíſq; pugnis cum viciſſet hoſtes, Lyctum aliáſq; vrbes in ſuã poteſtatem redactas incoluit. Itaque Lyctij & Athenienſium ſe cognatos matrum cauſa ducunt, & Spartanorum colonos.

LYCIAE.

Fabuloſum eſt quod eueniſſe in Lycia dicitur, quan-

quanquam ei fama testimonium ferat. Sic autem narratur. Amisodarus, quem Isaram Lycij nominant, ex colonia Lyciorum quæ apud Zelæam erat cum nauibus venit piraticis, ducę Chimaro, homine bellicoso, cæterùm crudeli & effero. eius nauis in prora leonis, in puppi draconis habebat insigne: Multum is mali fecit Lyciis, infestúmq; habuit mare, vt neque nauigari hoc, neq; maritimæ vrbes habitari possent. Hunc cum interfecisset Bellerophontes, fugientem Pegaso insecutus, & Amazones quoque eiecisset, nullam retulit ab Iobate gratiam, sed est ab eo iniustissimè tractatus. Itaque ad mare accessit, ac Neptunum precatus est vt Iobatæ regionem sterilem invtilémq; redderet, votísque factis retrò discessit. Fluctus autem elatus terram invndauit: erátque atrox spectaculum, cùm sublime mare sequeretur eum & agros occultaret. Cùm deprecantes viri Bellerophontem non mouerent, mulieres occurrerunt ei, tunicis sublatis corpora denudantes. itaque præ pudore eo retrò recedente, fluctus quoque (vt aiunt) simul recessit. Alij fabulam vitantes, non exsecrationibus mare ab eo adductum dicunt: sed cum pinguissima pars planiciei ad mare esset humilior, supercilium mótosum, quod præter litus maris porrectum vndas arcebat, fuisse à Bellerophonte perruptum: cúmq; mare vi inferretur, & planiciem illuuie tegeret, viros Bellerophontem deprecando nihil impetrasse, mulieres autem facto agmine circumfusas obtinuisset vt ipsas reveritus iram poneret. Sunt qui affirment, Chimæram illam poëtarum fabulis nobilitatã, montem omnino fuisse Soli oppositum, in quem Solis radij cùm reflecterentur, & æstum vehementem ac quasi igneum in planiciem retorquerent, factum esse vt fruges marcescerent. Bellerophontem autem causa mali intellecta, præcipitij eam partem quæ erat læuissima, & maximè Solis radios reflectebat, excidis-

Bellerophontu fabula.

Chimæra.

se.cúmq; ei non haberentur gratiæ,iratum ad vlciscendum Lycios se contulisse, à mulieribus autem fuisse placatum.Nymphis quarto de Heraclea libro causam adfert à fabula maximè remotã. Aprum,qui in agro Xanthio animalia & fructus perderet, fuisse interemtum à Bellerophonte, neque ei vllam relatam gratiam. Itaque eum Xanthios fuisse exsecratum, impetrasséq; vt totum solum salsuginem emitteret, terræque amarore indito omnes fruges corrumperentur. idq; durasse, donec mulierum victus reverentia deprecantium, Neptunum exorauerit vt finem iræ faceret. Atque hinc legem esse apud Xanthios, vt nó à patribus,sed à matrib.nomina sumãt.

Lex de nominibus.

SALMANTICAE.

Cùm Annibal Barcæ F.antequam bellum Romanis inferret,in Hispania Salmanticã vrbem magnam oppugnaret, metuentes sibi oppidani, promiserunt imperata se facturos, daturósq; Annibali ccc argenti talenta, & ccc obsides. vt Annibal ab obsidione destitit,mutata Salmantici sententia promissis non steterunt. Itaque reversus est,vrbémque diripiendam militib. proposuit. Ibi tum prorsus perterriti barbari, pacti sunt,vt liceret liberis corporibus discedere tunicatis,relicta vrbe, armis,opibus, & mancipiis. At mulieres ratæ in viros inquisitum singulatim, se exploratum non iri, gladiis sumtis occultatísque viros exeuntes comitatæ sunt. Egressis omnibus Annibal custodiæ causa Masæsylios addidit,inque subvrbio eos his stipatos continuit.reliqui promiscuè vrbem diripuerunt. Masæsylij autem magnam agi prædam cernentes, continere se ampliùs, aut captiuorum custodiæ intenti esse non potuerunt: sed indignè suam ferentes sortem, ipsi quoque abiuerunt vt prædæ partem peterent. Interim mulieres viros suos exhortatæ sunt clamore, eísq; gladios tradiderunt. atque adeò nonnullæ ipsæ custodes sunt adortæ : inter quas vna Bannoni

noni interpreti haſtam eripuit, eáque ipſum, quamvis thorace indutum, feriit. viri aliis fugatis, aliis occiſis, frequentes vnà cùm mulieribus effugerunt. Annibal nuncio rei accepto inſecutus, quos in fuga arripere potuit, necauit: reliqui montes cùm attigiſſent, cæde evitata, poſtmodo ſupplicibus miſſis deprecatoribus, gratia impunitateq; impetrata, in vrbem ab eo ſunt reducti.

MILESIAE.

Mileſias virgines quodam tempore, atrox animi & abſurda inceſsit perturbatio. qua de cauſa, incertum: niſi quod putabatur aëris temperies veneno infecta, & ad inſaniam excitandam parata, mutationem iſtam animorum atque abalienationem effeciſſe. Subitò omnes mortis cupiditas, & ad vitam ſuſpendio finiendam furioſus impetus egit. & multæ clàm cõſecutæ ſunt quod volebant. Verba & lacrymæ parentum, amicorúmq; alloquia nihil agebant, ſed ſeſe interficiendis omnem ipſas cuſtodientium induſtriam atque calliditatem vincebant, ita vt calamitas diuinitus immiſſa, & remediis humanis videretur validior, donec quidam homo prudens legem promulgauit, quæ iuberet omnes quæ ſibi ſuſpendio mortem conſciuiſſent, nudas per forum efferri. Hæc lex ſancita, non inhibuit modò, ſed & omnino aboleuit illam qua virgines laborabãt mortis cupiditatem. Magnum verò argumentum eſt bonæ indolis ac virtutis, metus ignominiæ: & quod nihil formidantes mortẽ ac dolorem, quæ omnium maximè terribilia habentur, turpitudinis tamẽ imaginationem non pertulerunt, neq; ſuſtinuerunt dedecus poſt mortem ipſis eventurum. *Verecũdia.*

CIAE.

Cianis virginibus mos erat, vt ad ſacra publica coirent, diémq; vna exigerent. proci autem ludentium & choreas ducentium ſpectatores erãt. ſub veſperam autem ſingularũ domos adibant, invicémq;

parentibus & fratribus inſeruiebant, adeò vt pedes eorum abluerent. Sæpe eandem plures amabant, ita modeſtè atque legitimè, vt puella vni deſponſa, reliqui ſtatim eam amare deſinerent. Muliebris autem huius modeſtiæ, vt in ſumma dicam, hic fuit fructus, quod apud Cianos annorum ıɔccc ſpacio neq; adulterij vllius, neque virginitati oblati extra matrimonium vitij mentio vlla fuit.

Caſtus amor.

PHOCIDES.

Cùm Phocenſium tyranni Delphos occupaſſent, contráq; eos à Thebanis bellum, quod Sacrũ vſurpatur, gereretur: Baccho addictæ mulieres, quas Thyadas vocát, furore correptæ, actęq; per noctem erroribus, imprudentes Amphiſſam venerunt: vtq; erant defatigatæ, nec dum ad ſeſe redierant, corporibus ſparſim in foro demiſsis obdormiuerunt. Amphiſſenſium autem vxores veritæ, ne quia multi tyrannorum milites ea in vrbe, Phocenſibus nimirum fœdere iuncta, aderát, iniuria aliqua Bacchis fieret: in forum vniuerſæ procurrerunt, tacitæq; in orbem adſtantes, neq; aggreſſæ dormientes, ſomno ſolutis aliæ aliis operam dederunt, cibûmq;, obtulerũt, tandémq; à maritis hoc impetrauerunt, vt eas tutò deductas ipſæ ad fines vſque comitarentur.

VALERIA & CLOELIA.

Lucretiam, viri vxorem illuſtris & genere regibus propinqui, vſus eius hoſpitio mulieris quidam de filiis Tarquinij, eius qui cognomine Superbus, à Romulo ſeptimus rex Romæ fuit, vi conſtupraverat. hæc re amicis atque neceſſariis indicata, confeſtim ſeipſam iugulauit. Hoc flagitium, & virtus mulieris, Tarquinium regno eiecit. Pulſus cùm alia multa geſsit bella, conatus regnum recipere: tũ Porſenæ Etruſcorum principi perſuaſit, vt magno cum exercitu ad Romam expeditionem faceret. Romani ſimul & bello & fame preſsi, cognito Porſenam non bello tantum, ſed & iuſticia atque humanitate præ-

præclarum esse, arbitrium huic causæ Tarquinianæ detulerunt. Contumaciter hoc Tarquinio recusante, ac dicente Porsenam iustum arbitrum non fore, si in fide societatis non persisteret: eo omisso Porsena hoc egit, vt Romanorum amicus, quem hi Etruscis ademerant agro, captiuisq; receptis, discederet. datis ei hanc ob rem obsidibus decem pueris, totidémque puellis, tametsi nondum confectis pactis, omnem statim belli apparatum dimisit. Virgines, quas obsides datas dixi, cum sub lauandi præscriptione ad fluuium aliquantulum longiùs à castris processissent, vna earum Cœlia ipsas exhortante, tuniculis circum capita alligatis, ausæ sunt fluuium vastum atque vorticibus profundis periculosum magno cum labore tranare, invicem sese tenentes, ægreque vlteriorem in ripam evaserunt. Sunt qui Cœliam dicunt nactam equum, eo conscenso sensim transiuisse, aliisque natantibus ducem se præbuisse, & animum verbis adiecisse, opémq; tulisse. quo hi vtantur argumento, mox dicetur. Romani vbi eas saluas rediisse videre, audaciam quidem & virtutem admirati sunt, reditum tamen non probauerunt, neque vinci se fide ab vno homine sustinuerunt. Itaque additis qui deducerent in castra eos Porsenæ remiserunt. cum transissent fluuium, parum abfuit quin per insidias à Tarquinio interciperentur. consulis tamen Poplicolæ filia Valeria cum tribus famulis occupauit in castra Porsenæ effugere: reliquas Porsenæ F. armis statim suppetiis latis ex hostibus eripuit. Adductas ad se conspicatus Porsena, quæsiuit qúænam autor fuisset huius consilij. tum Cœlia, reliquis, quòd ei metuerent tacentibus, ipsa de sese indicium professa est. Magna autem admiratione permotus Porsena, equum egregiè ornatum adduci iussit, eo Cœliam donauit, vniuersásq; benignè & humanè suis remisit. Hoc signo multi docere volunt, Cœliam equo

Fidei exemplum, & aliud humanitatis.

amnem traieciſſe. Alij hoc negant. ſed Porſenam aiunt, virtutem eius audaciámq; muliebri maiorem admiratum, dignatũ eſſe dono quod bellatori conveniret viro. Sanè equeſtris ſtatua poſita eſt mulieris in via ſacra: ab aliis ea Clœliæ, ab aliis Valeriæ attribuitur.

MICCA & MEGISTO.

Ariſtotimus auxilio regis Antigoni tyrannide, quam in Eleos occupauerat, conſtabilita, iniquè admodũ atq; immoderatè ſua vſus eſt potentia. quippe homo natura ferus, barbaríſq; ſtipatoribus corpus tyrãnidémq; eius tutantibus convenis ſeruiens præ metu, multa ab iis in ciues contumelioſè, multa crudeliter facta diſsimulabat. Quo in numero fuit Philodemi calamitas. Huius enim filiam formoſam, Miccam nomine, quidam tyranni peregrinis militibus aliquot dux præfectus Lucius, cõtumeliæ inferendæ magis ſtudio quàm amore ductus cùm cuperet corrumpere, miſit qui eam accerſerent. Parentes quidem neceſsitatem animadvertentes, ire eam iubebant. Micca verò, vt erat generoſa indole, animóque magno, patrem amplexa ſuppléxq; obſecrari, pateretur potiùs mori ipſam, quàm ita turpiter atque iniuſtè virginitate ſpoliari. Interiecta mora, ipſe Lucius libidine ac vino ebrius, inter potandum proſiluit iratus. cúmq; Miccam inveniſſet caput inter patris habentem genua, ſequi ſe iuſsit. detrectanti veſtem deripuit, flagríſq; eam cecidit, tacitè dolores perferentem, cùm pater & mater poſtquam deprecãdo & flendo nihil ſe proficere ſentirent, deos hominéſq; teſtarentur atrociaſe & iniqua pati, tãdem barbarus ira & crapula planè in furorem actus, virginem, vt in patris tum ſinu faciem habebat, confodit. Neq; hoc animum tyranni flexit facinus. ſed & multos interfecit, & plures iis in exſulium eiecit. nam octingenti ad Aetolos veniſſe dicũtur extorres, flagitantes vt ſe in vxoribus & liberis à tyranno auferendis

rendis iuuarent. Paulo pòſt Ariſtotimus vltrò propoſuit edictum, quo mulieribus, ſi quæ vellent, permittebat proficiſci ad maritos, ac de dotalibus bonis quantũ vellent ſecum ferre. Vbi ſenſit omnibus gratũ eſſe hoc edictũ, (nam amplius ɪɔc erant quę ſe ad iter parabãt) diem definiit ad quam confertim irent, tutum ſe iter ipſis præbiturũ ſimulans. Cùm dies appetiiſſet, & mulieres ad portã conuenirent, pecuniamq; congererent, & pueros aliæ in vlnis geſtarent, aliæ curribus imponerent, ac ſe invicẽ præſtolarẽtur: ſubitò multi à tyrãno immiſsi ſatellites, eminus clamore elato eas manere iuſſerunt: cum autem appropinquaſſent, mulieribus vt retrò abirent imperauerunt, currúſq; & vehicula invertentes per ipſas retrò impulerũt nihil cuiquã parcẽtes, & neq; abire, neq; manere, aut infantibus opitulari ſinẽtes: quorũ alij curribus excidentes peribant, alij curribus ſupervehentibus delapſos elidebantur, deniq; eas vniuerſas cum clamore & flagris tanquam oues mutuò ſeſe trudentes & evertentes in carcerẽ compulerunt, & pecuniã ad Ariſtotimũ retulerunt. Hãc rem cùm grauiter ferrent Elei, Baccho ſacræ mulieres, quas ſedecim vocant, ſupplicibus ramis & ſtematibus dei ſumtis in foro obvias ſeſe Ariſtotimo tulerunt, decedentibúſq; ob reverentiam ſtipatoribus, tacitæ primùm adſtiterunt, ſupplicatorias frondes prætendentes. At Ariſtotimus, ſimul atq; deprecari eas pro mulieribus ſenſit, ſtipatoribus iratus & cum clamore exprobrans quòd eas paſsi eſſent accedere, effecit vt alias trudendo, alias verberando è foro exigerent. vnamquanque porrò duobus talentis mulctauit. His ita actis, Hellanicus Elide conſilium de opprimendo tyranno agitauit, re cum aliis compoſita: homo quem vt ſenem & duobus filiis orbatum, ideóque nihil quicquam acturum tyrannus negligebat. ſimul etiam exſules ex Aetolia traiicientes, in agro Eleo Amymonam locũ cómodam

dam arcem bello futurum occuparunt, compluréſque ciuium Elide profugientes ad ſe receperunt. Ariſtotimus, cui mecum iſta obiiciebant, ad captiuas ſe contulit, rémq; terrendo ſe faciliùs quàm gratia confecturum ratus, mandauit vt miſsis ad maritos litteris diſcedere ex ea regione iuberent: ni facerent, vniuerſas ſe contumelioſè vexatas necaturum, liberis antè interfectis, minitans. Cùm aliquandiu inſtaret atq; dicere iuberet an facturæ eſſent quod poſtulabat, reliquę nihil reſpondentes, intuitæ ſunt ſeſe mutuò, tacita invicem benevolentia ſignificantes, nihil ſe metuere, neq; minis his terreri. At Megiſto Timoleontis vxor, & cùm mariti, tum propriæ virtutis cauſa cæterarũ facilè princeps, non dignata aſſurgere, neque reliquas paſſa, ſedens tyranno reſpondit. Si vir eſſes cordatus, non vtiq; de viris cum mulieribus colloquereris: ſed ad ipſos, vt qui in nos ius habent, miſiſſes meliori inventa oratione, quàm qua nos decepiſti. quod ſi autè deſperato te iis perſuaſurum, noſtra opera imponere illis moliris: neq; ſperare debes te nobis denuò verba daturum, & abſit tam nullius ij conſilij vt ſint, vt dum parcant mulieribus & infantibus ſuis, patriæ prodant libertatem. non enim tantum mali eſt nos amittere, quibus quidem aliàs carent, quantum boni eſt ciues tua ſæuicia & inſolentia liberare. Hæc fata Megiſtone Ariſtotimus animi impos, filium eius adferri ilicò iuſſit, ante oculos matris eum necaturus. quem cùm quærerent miniſtri inter alios ludentem & lucta ſe exercentem, mater eum nominatim vocans: Ades huc, inquit, fili, & antequam ſentias ac intelligas, liberare acerba tyrannide. mihi enim difficilius fuerit ſeruientem te indignè, quàm morientem cernere. Ariſtotimum verò ſtricto gladio ipſam iam matrem impetiturum, iráq; concitum in eam ruentem, Cylo vnus de familiaribus, cui tyrannus fidem habebat, cùm quidem is ipſum odiſſet, ſociúſq; factæ ab Hel-

Fortitudo mulieris.

ab Hellanico conſpirationis eſſet, reſtitit, eúmque avertit orans, monénſque, Indignum fore hoc ipſo, & muliebre factum, non conveniens principi viro & rerum gerendarum gnaro. itaq; vix tandem Ariſtotimus, cùm ad ſe rediiſſet, inde abiit. Magnum verò oſtentum ei factum eſt. Cùm enim meridie cum vxore cubaret, prandiúmque eſſet paratum, viſa eſt aquila in aëre ſe librans ſupra domum, ac quaſi prudens & dedita opera lapidem iuſtæ magnitudinis in eam partem tecti deiecit, vbi erat cubiculum in quo iacebat Ariſtotimus. ſimul autem deſuper ingenti ſonitu exiſtente, & foris clamore ſublato ab his qui auem viderant, perterritus tyrannus re cognita vatem acciuit, quo ſolebat aſſiduè in foro vti, perturbatúſque interrogauit quid iſto ſigno portenderetur. Vates bono ipſum eſſe animo iuſsit, quòd excitatus & adiutus eſſet à Ioue. ciuium autem quibus fidebat, iis dixit, vindictam tyranni capiti impendere, ac iamiam illapſuram. Itaque etiam Hellanico viſum eſt non cunctandum, ſed poſtridie rem gerendam. Nocte iſta Hellanicus per quietem imaginatus eſt alterum filiorum ſuorum mortuorum ſibi adſtare, ac dixiſſe: Pater, quid tibi áccidit vt dormires? cras te ciuitatis ducem eſſe oportet. Hoc ille ſomnio confirmatus, ſocios ad inſtitutum exequendum cohortatus eſt. Et Ariſtotimus audito Craterum auxilij ſibi ferendi gratia Olympiæ cum magno exercitu caſtra habere, tantum concepit audaciæ, vt abſque ſtipatoribus in forum Cylone comitante deſcenderit. Hellanicus occaſione conſpecta, teſſeram, qua data ad irruendum ſuos è compoſito fuerat hortaturus, non protulit: ſed ambas intendens manus, clara voce, Quid ceſſatis, inquit, viri boni? præclarum eſt hoc theatrum in medio patriæ certaturis. Primus ibi Cylo enſe ſtricto quendam comitum Ariſtotimi feriit. Thraſybulo autem & Lampide adverſis

Oſtentum.

Somnium.

sese ei inferentibus Aristotimus fuga in Iouis templum evasit. Hæc eũ interfecerunt, & cadauere in forum protracto, ciues ad libertatem vocarunt. Neque verò multum anteverterunt mulieres suas. statim eæ procurrerunt cum gaudio & eiulatu, viriſq; circumfusæ eos coronauerunt. Deinde multitudine ad tyranni domum confluente, vxor eius cubiculo clauso sese suspendio vita eduxit. Erant tyranno duæ filiæ, virgines adhuc & forma pulcerrima, iámque nuptiis tempestiuæ. has Elei captas foras protraxerunt, omnino quidem necaturi, sed prius excruciare ac contumeliis afficere volentes. Quibus occurrens cum aliis Megisto vociferata est, Indignum verò eos facinus meditari, qui populum se profitentes liberum, facinora libidinosorum tyrannũm imitentur. Multis dignitatem mulieris reverentibus, liberè loquentis ac plorantis, placuit omissis contumeliis, ipsis vita sese exuendi permittere potestatem. Cùm introò adductas virgines iussissent absque mora necem sibi consciscere, maior natu Myro cùm zonam solutã collo circundedisset, sororem consalutauit, hortatáque est vt se imitaretur, ne (inquiens) abiectè nobisque indignè finiamus vitam. Iuniore precante vt sibi prius moriendi copiam faceret, cingulúmque apprænhendente, Neque antè, inquit, quicquam tibi oranti denegaui, & nunc hanc quoque tibi facio gratiam. ego autem id, quod morte ipsa mihi est gratius, tolerabo, spectans te carissima me priùs morientem. Proinde cùm docuisset sororem cingulo ceruicem elidere, vt mortuam vidit, deposuit atque texit. ipsa autem Megistonem orauit, vt curam sui gereret, neque pateretur mortuam se indecorè collocari. Itaque inter eos qui aderant nemo fuit ita acerbus, nemo ita infensus tyrannis, qui non defleret aut miseraretur virginũ egregiã indolem. Hæc exempla rerum à mulieribus publicè præclarè gesta-

gestarum de innumeris pauca hæc sufficiant. Singularum autem pulcra facinora sparsim vti sese nobis offerent referemus: nihil arbitrati temporum ordine præsentem indigere narrationem.

PIERIA.

Ionum, qui Miletum se contulerant, nonnulli ob natam cum Nelei filiis discordiam Myuntem sunt prrfecti. quibus ob defectionem Milesij bellum multáque damna intulerunt. Neque tamen id bellum omnino induciis commerciisque carebat, sed quibusdam festis diebus mulieres Myunte Miletũ commeabant. Erat inter Myuntios Pythes quidam vir illustris, eiq; vxor Iapygia, filia Pieria. Is cùm festiuitas Mileti in honorem Dianæ esset, & sacrificium, quod Neleium dicebatur, eò vxorem & filiam misit, precatas vt ei se pateretur interesse festiuitati. Ibi Phrygius Nelei filiorum potentia primus amore Pieriæ flagrans, cogitare cepit quidnam præstare posset ei quammaximè gratum. illa verò significauit, nihil sibi fore acceptius, quàm si efficeret, vt frequenter sibi Miletum & multis comitatæ venire liceret. Sensit Nymphius, amiciciam suis eam ciuibus ac pacem expetere, bellúmq; pacauit. Ex eo celebris vtraq; in vrbe, inq; honore fuit Pieria: ac mulieres Milesiæ etiamnum optant ita se amari à viris, vt Pieriam amauit Phrygius.

POLYCRITA.

Propter Neæram Hypsicreontis Milesij vxorem bellũ inter Naxios & Milesios ortum fuit. Ea enim cùm amaret Promedontem Naxium mariti sui hospitem, corpus cum eo miscuit, veritáq; iram mariti, cum eo in Naxum nauigauit. Eam Promedon supplicem Vestæ collocauit. Naxiis autem mulierẽ sub præscriptione supplicationis in gratiam Promedontis non dedentibus, bellum quod dixi, conflatum est. Milesiis cùm alij multi, tum Ionum studiosissimè Erythræi auxilia tulerunt, bellúmque hoc tra-

ctum magnis calamitatibus, tandem virtute mulieris finitũ est, sicvti ceperat mulieris ob prauitatem. Diognetus Erythræorum dux munitionem quandam sibi commissam tenebat, opportunè admodum contra Naxiorum vrbem sitam. itaque & magnam Naxiis prædam abstulit, & mulieres ac virgines liberas. Harum vnam, nomine Polycritam, amore captus, secum non vt captiuã, sed vxoris loco habuit. Evenit vt in castris Milesiorum dies ageretur festus. ibi cùm omnes poculis essent ac conviuiis diditi, rogauit Diognetum Polycrita, vt liceret sibi fratribus partes placentarum mittere. cúmq; is permitteret ac iuberet, plumbeam tabellam placentæ inseruit, mandato ei qui eam fratribus adferebat, vt solos vesci iuberet fratres iis quæ mittebat. Hi cùm offendissent tabellam, & legissent quæ scripserat Polycrita, (hortabatur autem vt noctu hostes adorirentur, ob ebrietatem festo die contractam planè socordia dissolutos) rem ducibus Naxiorum significaueruntt, & permouerunt vt secum exirent rei gerendæ causa. Occupato à Naxiis castello, multisque hostium interfectis, Diogneto precibus Polycrita à ciuibus impetrauit salutem. Ipsa autem ciuibus ad portam occurrentibus magno cũ gaudio, collaudantibúsq; & serta ferentibus, magnitudine lætitiæ exanimata, in ipsa porta cóncidit mortua. atque ibi sepulta est, & monimentum eius vocatur Liuoris tumulus: quòd invidia quadam fortunæ fascinata Polycrita putaretur meritis honoribus non potuisse frui. Hæc Naxiorum historicorum est narratio. Aristoteles captam Polycritam fuisse non dicit, sed conspectam à Diogneto, sui eum amore irretiuisse, ipsúmq; promisisse omnia se, vt ea potiretur, dare ac facere paratum esse. at Polycritam se ad ipsum venturam pollicitam, si vnicum quippiam ab eo obtineret, fuisse. cúmque id iureiurando interposito Diognetus cófirmasset, tradi sibi Delium postulasse,

Astutè factum.

Mors ex gaudio.

ſtulaſſe, (id enim caſtello nomen erat) aliter ſe morem geſturam ipſi negaſſe. victum amore Diognetum, & iureiurandi permotum religione, Polycritæ caſtellum, hócq; eam ciuibus tradidiſſe. Ita Naxios rurſum Mileſiis pares viribus factos, pacem in ſuas leges confeciſſe.

LAMPSACE.

Codridæ genere, patria Phocæenſes fuerũt duo gemini fratres Phobus & Blepſus. quorum Phobus primus à Leucadib. petris in mare ſe dedit, vt Charo Lampſacenus ſcriptum reliquit. Is Phobus, vir potentia & dignitate præditus regia, cum nauigaſſet Parium ſuorum cauſa negociorum, amiciciam & hoſpitij ius contraxit cum Mandrone Bebrycum rege, eorum qui Pityoëſſenſes cognominantur, eíque à vicinis bello infeſtato auxilium tulit. Mandro autem nauibus avehenti Phobo cum alia detulit officia, tum partem vrbis agríq; largiturum ſe promiſit, ſi Phocæorum coloniam liberet Pityoëſſam deducere. Phobus cum id conſilium ciuibus probaſſet, fratrem miſit, qui colonos eò deduceret. Stetit ſanè promiſsis Mandro. Sed Phocæi, cũ ſpoliis, prę-da, opibúſq; magnis è finitimis barbaris potirentur, inviſi primùm, pòſt etiam terrori Bebrycibus fuerunt. Cupientes itaq; iis liberari, cùm Mandro homo probus & iuſtus perſuaderi ſibi nõ pateretur vt mala fide cum Græcis ageret, peregrè eo profecto moliti ſunt, quomodo eos per dolum necarẽt. Lampſace autem Mandronis filia virgo, cũ inſidias præneſſet, primũ à facinore hoc amicos & domeſticos avertere dictis aggreſſa eſt, impiam docens eos rem & atrocem perpetraturos, ſi benefactores, & quorum auxiliis in bello vſi eſſent, eóſq; iã ciues, interficerent. vbi non perſuaſit, occultè Græcis quid ageret detexit, vtq; ſibi cauerent monuit. Phocæi ſacrificio quodã & conviuio apparato, Pityoëſſenos in ſubvrbium evocauerunt: ipſi in duo diuiſi agmi-

na, altero vrbem occuparunt, altero homines trucidauerunt. Sic vrbe potiti, Mandronem acciuerũt, vt de suis consilium vnà caperet: Lampsacénq; cum ea ex invaletudine mortua esset, magnificè in vrbe sepeliuerunt, cui & ab eius nomine Lampsaci nomen imposuerunt. Vt autem Mandro proditionis vitans suspicionem, habitare cum ipsis recusauit, petiitq; vt mulieres liberique defunctorum ad se mitterentur: Phocæi absque omni maleficio studiosè eos miserunt. & Lampsacæ cùm initiò heroicos honores habuissent, postmodò vt numini sacrificandum decreuerunt, idque decretum adhuc ratum est apud eos.

ARETAPHILA.

Aretaphila Cyrenæa, non ita prisca fuit, vt quæ belli Mithridatici tempore vixerit: sed virtute & rebus gestis comparari cum heroidibus posse meruit. Filia fuit Aeglatoris, vxor Phædimi, illustrium virorum, forma egregia, prudentia singulari, & rerum ciuilium dextrè gerendarum non ignara. Hanc cõmunes patriæ calamitates illustrem reddiderunt. Nicocrates enim occupata in Cyrenæos tyrannide, cùm alios ciuium multos interfecit, tum sua manu Melanippum Apollinis sacerdotẽ, idq; sacerdotium ipse invasit. Maritum quoq; Aretaphilæ Phædimum interemit, & ipsam inuitam vxorem duxit. Infinitis aliis contra leges institutis adiecit hoc. custodes ad portas vrbis constituit, qui mortuos quotquot efferrentur violarent, mucronibus eos pungentes, & materiam ardentem applicantes: ne quis ciuium sub mortui specie clàm efferri vrbe posset. Enimverò Aretaphilæ cùm propriæ calamitates molestæ erant: (quanquam tyrannus ob amorem ipsius, quo subactus erat, maxima potentiæ parte frui eam sineret, mulierique huic soli cicurem & mansuetum se præberet, durissimus alioqui & efferus) tum apprimè patriæ vicem dolebat, indi-

Tyrannidis singulare exemplum.

gnis

gnis modis atrocia patientis. Iugulabatur enim ciuium vnus post alium, neque erat vnde vltio speraretur: cùm exsules timidi planè atque infirmi, hinc inde dispersi essent. Itaque Aretaphila spes patriæ in se solam recipiens, æmulatione quadam Thebes Pheræ pulcrorum egregiorúmque conatuum, adiutoribus tamen fidelibus & domesticis (quales huic res ipsæ suggesserunt) destituta, venenis maritum interficere aggressa est. Quam ad rem dum se parat, materiam cogit, & vires paratorum periclitatur, non fefellit delato indicio, & argumentis perquisitis, Calbia Nicocratis mater, femina ad cædes natura procliuis atque implacabilis, censuit statim interficiendam esse, priùs tamen contumeliosè tractatam, Aretaphilam. Nicocratis autem iræ moram iniiciebat virésque adimebat amor: eíque affectioni excusationem parabat, quòd Aretaphila animosè criminibus se opponebat, & sese defendebat. Quæ vbi vidit se convinci, neque locum esse veneficij negandi, fassa venenum se, non tamen exitiale, parasse: magnis, inquit, est mihi de rebus certamen. qua enim gloria fruor, quáque potentia ob tuam erga me benevolentiam, ea me invisam multis reddidit malis mulieribus. quarum ego metuens veneficia & technas, animum induxi contrà quædam moliri: fatua fortasis, & mulíebria, mortis tamen non digna supplicio. nisi fortè tibi iudici videbitur vxor interficienda amatorij gratia veneficij, quod amplius, atque tu velles, diligi voluerit. Visum est Nicocrati Aretaphilam hoc modo se defendentem quæstioni subiicere, præsidente tormentis Calbia immiti implacabilíque muliere. At enim Aretaphila in cruciatibus ita sibi constitit, adeóque invictam se præbuit, vt ipsa tandem Calbia invita & defatigata concesserit, ac Nicocrates fide innocentiæ sibi facta, missam vxorem

fecerit, torturæq; pœnitentia ductus sit. Exiguo autem intermisso tempore, statim amore superatus ad eam venit, benevolentiámque blandiciis & honoribus reparans, eius vsus est consuetudine. Illa verò, quæ tormentis ac doloribus nihil fracta esset, demerendo se everti passa non est: sed ad studium honestatis accedente quadam pulcri propositi tenendi pervicacia, rem alia via instituit aggredi. Filiam habebat satis elegante forma, & iam viro maturâ. hanc tyranni fratri Leandro submisit, vt eum inescaret, adolescentem qui voluptatibus propositis facilè caperetur. fama tenet, Aretaphilam præstigiis & veneficiis vsam ita comparasse filiam, vt adolescentem ei manciparet, ac de sanæ mentis vsu dimoueret. Postquã in casses incidit, precibúsq; multis à fratre impetrato matrimonio est potitus: partim eum puella à matre docta instigare ad libertatem ciuitati reddendam, quando in tyrannide ne ipsi quidem liberè esse, aut ducendę retinendæúe vxoris potestatem habere liceret: partim amici Aretaphilæ gratificantes subinde calumnias ei aduersus fratrẽ aliquas & suspiciones suggerere. Leander vbi Aretaphilã sensit eadem consilia tractantem, negocium aggressus Daphnidem famulum subornauit, qui Nicocratem iussu ipsius necaret. Deinceps autem Aretaphilæ animum non aduertit, sed factis illicò demonstrauit fratricidam se esse, non tyrannicidam: cùm stolidè & insolenter rebus præesset. Erat tamen Aretaphilæ suus apud eum honor atque potentia, non inimicam se gerenti, neque palàm repugnanti: sed occultè suas res disponenti. Ea primùm aduersus Leandrum concitauit bellum Africũ, pellecto Anabo quodam regulo ad incursandam regionem hostilitérque ad vrbem accedendum. Deinde amicos & duces apud generum culpauit, vt ad bellum non alacres, sed pacem magis quietémque requirentes. quam quidem etiam flagitare tyranni res aiebat, si

Callidè.

firmum

firmum in ciues vellet obtinere imperium. se quoque promittebat pacificationem confecturam, & Anabum ad colloquendas cum eo res adducturam, si ita iuberet, priusquam immedicabile aliquod damnum eo ex bello acciperetur. Mandante sic vt ageret Leādro, priùs ipsa cũ Afro est collocuta, magnísque donis & multa promissa pecunia impetrauit, vt tyrannũ ad colloquium venientẽ à se compræhensum iri polliceretur. At verò Leander cunctari, & tamen verecundia Aretaphilæ, interfuturã sese colloquio dicẽtis, permotus, absq; armis & præsidio exire: ac vbi propius accessisset, conspecto Anabo tergiversari, & stipatores operiri cupere. socrus cõtrà præsens eum quà cohortari, quà incusare: ac tãdem cũ mora necteretur, manu iniecta audacter planè ac proteruè ad barbarũ adducere, eiq; tradere. Leāder cõfestim abreptus ab Afris, comprẽhensus, vinctúsque est adseruatus, donec promissam mercedẽ Aretaphilæ amici, comitãtibus reliquis, ciuibus, attulerũt. Horũ enim pleriq; renũciata, ad locũ colloquio destinatũ excurrerunt: & conspecta Aretaphila, parum abfuit quin irẽ in tyrannũ obliti, supplicium de eo sumere aliis rebus posthaberẽt. atq; adeò primũ hunc libertatis ceperunt fructũ, nihilq; aliud eo duxerunt antiquius, quàm vt eam læti flentésq; salutarent, tanquam simulacro alicuius dei circũfusi. aliis autem supra alios affluentibus, vix tandem sub vesperam recepto Leandro in vrbem reverterũt. Ibi postquam honoranda & laudanda Aretaphila cupiditati suæ satisfecerunt, ita demũ ad tyrannos conversi, Calbiam viuam cremauerunt, Leandrũ culleo insutum in mare abiecerunt. ab Aretaphila autem contenderũt, vt gerendæ gubernandæq; reipublicæ sociam sese adiungeret optimatibus. Illa verò, tãquam si variam & multis constantem partibus in theatro fabulam vsq; ad coronæ donationem peregisset, simul atq; liberã esse vidit ciuitatem continuò in gy-

næceum sese recepit, omníque rebus tractandis se admiscendi repudiato studio, reliquum ætatis inter stamina cum amicis & familiaribus exegit.

CAMMA.

Inter Galatiæ tetrarchas potentissimi erant Sinatus & Sinorix, genere etiam invicem propinqui. Erat Sinato vxor, quam virginem duxerat, Camma nomine, nõ formæ duntaxat præstãtia & ætatis flore spectabilis, sed multo magis ob virtutem in admiratione habita. non enim pudica modò & mariti amans fuit, sed & prudens & magnanima, ac propter mansuetudinem benignitatémq; subditis mirificè accepta. augebat etiam splendorem, quòd Dianæ, quam deam maximè colunt Galatæ, sacerdos, semper in sacris pompis & apud sacrificia magnificè ornata spectabatur. Eam cùm deperiret Sinorix, & neque pellicere neq; vim facere viuo marito posset, facinus ausus immane, Sinatum dolo necauit: exiguóque interposito temporis spacio, Cammam ambiuit, in fano frequenter degentem, casúmq; mariti non abiectè aut miserabiliter, sed animosè ferentẽ, prudentérq; intentam occasioni vlciscendi Sinorigis. Is verò assiduis ambiebat mulierem precibus, videbatúrque ei non prorsus deesse honesta in speciem oratio: aliis se in rebus præstãtiorem fuisse Sinato, ac interfecisse eũ non malicia, sed amore Cammæ impulsum. Illa initiò non admodum asperè denegare, ac deinde paulatim molliri videbatur. nam & amici ac familiares instabant, Sinorigem cuius maxima erat potentia demerentes, suadebántq; vt assentiretur & vrgebant. Tandem concesit Camma, & ad se venire Sinorigem iusit, vt coram dea matrimonium stipularentur invicem. Venientẽ blandè excepit, & ad aram adduxit, cúmq; deæ libasset è patera, reliqui partem ipsa hausit, partem ei ebibendam propinauit. erat autem mulsum veneno infectum. Postquam bibisse eum vidit, claro sublato

eiulato

eiulatu deam adorans : Te, inquit, venerandiſsima dea, teſtem invoco, huius me diei cauſa vitam à morte Sinati produxiſſe, táto tempore nullum ex ea fructum adeptam præter ſpem vltionis. quam conſecuta nunc ad maritum meum deſcendo. Tibi verò omnium ſceleſtiſsime hominum, loco thalami & nuptiarum apparent ſepulcrum tui. Hæc cùm audiuiſſet Sinorix, & agere iam venenum, corporíque motum inferre ſentiret, vehiculum conſcendit, vt agitatione & concuſsione ſibi mederetur. ſtatim autem eo relicto in lecticam ſe poſuit, ac veſperi eſt mortuus. At Camma cùm per noctem duraſſet, audito eum viuendi finem feciſſe, læto animo exſpirauit.

STRATONICA.

Eadem Galatia Stratonicam Deiotari, & Chiomaram Ortiagontis vxores protulit, dignas memoratu. Stratonica cum eſſet ſterilis, maritúmq; legitimos liberos quos hæredes regni relinqueret deſiderare ſciret, perſuaſit ei, vt alia ex muliere prolem ſuſciperet, ſibiq; eam ſubderet. Deiotaro ſentétiam admirante, vxoríſq; arbitrio rem totam permittente: formoſam ea ex captiuis virginem Electram nomine adornauit, & Deiotaro copulauit: natóſque ex ea liberos tanquam ſuos amanter ac magnificè educauit.

CHIOMARA.

Quo tempore Romani duce Cn. Manlio vicerũt Gallos Aſiaticos, qui iidem Gallogræci dicuntur & Galatæ, vſu venit Chiomaræ vt inter alias ipſa quoq; duceretur captiua. Qui ea potitus erat centurio, homo & libidinoſus & auarus, pudicitiæ eius vim fecit. Victus deinde pecuniæ cupiditate, cũ mulier corporis ſui liberandi gratia magnam ei vim auri pollicita eſſet, eduxit eam ad locum, qui amne ſecabatur. hunc cùm tranſiuiſſent qui eam redemtum venerãt Galatę, datóq; auro Chiomarã recepiſſent, vni eorum illa innuit, vt centurionẽ, qui ipſam tum

amplectens valedicebat, percuteret. cúmque is pa-
ruisset, & caput occiso amputasset, Chiomara id gre
mio involutum secum abstulit, cúmq; ad maritũ ve-
nisset, ante eum proiecit. & mirante eo, ac dicente,
O mulier, præclara res est fides: omnino, inquit: sed
id pulcrius est, vnum tantũ viuere qui mecum rem
habuerit. Cum hac muliere Polybius scribit se col-
locutum Sardibus, miratúmq; fuisse animi magni-
tudinem eius ac prudentiam.

MVLIER PERGAMENA.

Mithridates Galatarum præstantissimos LX sub
amicitiæ specie Pergamum evocatos cùm tractaret
contumeliosè ac pro imperio, omnésq; id indignè
ferrent: Toredorix Tosioporũ tetrarcha, vir & cor-
pore robustus, & animo magno præditus: in se rece
pit, velle se Mithridatem, quãdo is in gymnasio pro
tribunali sedens ius diceret, arreptum cum tribu-
nali in convallem præcipitare. Cùm forte fortuna
Mithridates in gymnasium ea die non ascendisset,
Galatásque ad se domum suam vocaret: bono idem
animo suos esse iussit, cúmq; convenissent, vndique
in eum impetum facere, corpúsque eius divellere.
Non fefellit hoc Mithridatem, sed re ex indicio co-
gnita Galatas vnum post alterum iugulandos tra-
didit. Deinde recordatus adolescentis inter eos cu-
iusdam, qui elegantia formæ reliquis antecedebat
æqualibus omnibus, miserabatur eũ, ac factum mu-
tabat, satísq; præ se ferebat, ægrè se interitum eius
ferre, quem inter primos necatũ fuisse putabat. mi-
sit tamen qui viuum relinqui iuberent si nondũ pe-
riisset. Nomen adolescenti Bepolitanus erat: eique
mirabilis casus evenit. cum enim comprehenderetur, pulcram & preciosam, gestabat vestem, quam
dum sibi puram à sanguine seruare cupit carnifex,
ideóq; paulatim detrahit, vidit regis nuncios accur
rere, nomen Bepolitani clamantes. Ita huic auari-
cia, quæ multos perdidit, insperatam attulit salu-
tem.

tem. Toredorix autẽ occisus, & sepultura cadaueri proiecto negata est. Muliercula autem Pergamena, cum qua is viuus consueuerat, ausa est mortui corpus componere & humare. quã custodes deprehensam ad regem adduxerunt. Fertur sanè Mithridates aliquantulum fuisse conspectu puellæ affectus, cùm iuuencula planè simplex videretur: magis tamen inflexit animum, quod causam ei facinoris fuisse amatoriam audiebat. itaque ei permisit, vt vestitu & ornamentis de bonis ipsius sumtis auferret ac sepeliret Toredorigem.

TIMOCLEIA.

Theagenes Thebanus de ciuitate eandẽ cũ Epaminõnda, Pelopida, aliisq; optimis viris sectatus sententiam, in communi Græciæ ad Chæroneam clade occubuit, cũ iam viciſſet & persequeretur sibi oppositos. Is enim fuit, qui vociferanti, Quousq; persequeris? respondit, Vsq; ad Macedoniam. Mortuo ei soror superfuit, quæ testaretur & ipsum virtute generis & natura magnum illustrémq; factũ virum. huic tamen mulieri contigit fructum percipere suæ virtutis præclarum, vt tanto faciliùs ferret quãtum in ipsam ex publicis redvndauit calamitatibus. Cùm enim Thebas in potestatem redegisset Alexander, aliiq; alias vrbis partes pervagantes diriperent, domum Timocleę occupauit homo nihil minus quàm modestus, sed insolenter iniurius atque stolidus, Thracicæ cuiusdam turmæ dux, Alexandri cognominis, sed planè cætera dissimilis. Is neque genus, neq; vitam mulieris reveritus, cum sese vino impleuisset à cœna, dormire Timocleam secum coëgit. neque hunc iniuriarum finem fecit, sed præterea aurum argentúmq; requirebat, si quid horum ea reconditi haberet, adhitis partim minis, partim pollicitationibus, quòd habiturum se eam perpetuò vxoris loco diceret. Illa ansam ab eo sibi præbitam arripiens: Vtinam verò, inquit, hanc noctem mors mea

antevertisset:vt omnibus rebus perditis saltem corpus cõtumeliæ inexpertũ conseruassem. nunc quando res ita acta est,& te diuinitus mihi tutorem,dominum,virúmq; datũ existimare debeo,non spoliabo te tuis rebus. nam me quidem id futuram video, quod tu volueris.Habui mundum muliebrem,& pocula argentea, nonnihil etiam auri & nomismatis. cùm autẽ vrbs caperetur,ancillis mandaui vt omnia convasarent,abiecíq;,aut potiùs deposui in puteum aqua carentem paucísq; notũ.est enim tectus operculo, vmbrosúmq; circa nemus occultat. Hæc tibi accipienti fausta sint: mihi quidem apud te erunt argumenta & indicia fortunarum ac splendoris familiæ meæ.His auditis Macedo,nõ exspectata die confestim ad locum perrexit ducente Timoclea, ac horum claudi iussit ne quis sentiret,tunicatúsq; in puteum descendit. Horribile autem eum ducebat ad supplicium parca, irrogante id Timoclea. supernè enim adstans,cùm è voce sensit eum in imo esse,multos ingessit lapides, multos etiam magnósq; ad volutos ancillæ iniecerunt, donec eum contuderunt atque obruerunt saxis. Macedones vbi de ea re facti sunt certiores, sublato cadauere, cùm iam edictum esset ne quis Thebanorũ occideretur, captam Timocleam ad regem adduxerunt, facinúsq; narrauerunt. Alexander ex vultus constantia,lentóq; incessu grauitatem generosamq; indolem ratiocinatus, principio quæsiuit qúænam esset mulier. Illa verò impauidè prorsus & confidenter, Mihi, inquit, frater fuit Theagenes qui ad Chæroneam dux exercitus & cõtra vos pro libertate Græciæ dimicans cecidit, ne quid nobis tale accideret. cũ autẽ perpessa sim genere meo indigna,mori non recuso.potiùs enim hoc est,quàm viuentem aliã talem experiri noctem,nisi tu id prohibeas.Humanissimus quisq; adstantium ad hæc lacrymas emisit.Alexãdro miserari mulierẽ,vt miseratione superiorẽ, non subiit.admiratus

Vltio diuina.

ratus autē virtutem, orationémq; qua satis grauiter se notatum sentiebat, ducibus mādauit vt attenderent præstaréntq;, ne porrò talis cōtumelia familiæ alicui illustri inferretur. Timocleam autem dimisit, omnésq; qui eam cognatione attingere invēti sunt.

ERYXO.

Batti, eius qui Felicis cognomentum tulit, filius fuit Arcesilaus, moribus patri nequaquam similis. Nam & viuens eū pater talento mulctauerat, quòd propugnacula ædibus suis circumposuisset: & mortuo patre, cùm & ingenio esset aspero, (vnde & cognomen ASPERI reperit) & amico malo vteretur Laarcho, pro rege tyrānus fuit. Laarchus autem cùm affectaret tyrannidem, ac Cyrenęorū optimos aut pelleret vrbe aut interficeret, culpam in Arcesilaum conferebat: tandémque eum in morbum grauem ac tabificum propinato lepore marino coniecit, vitáq; exuit: & ipse imperium occupauit, Batto eius filio id se adseruare prætendens. Filius porrò Arcesilai & quia claudus erat, & propter ætatē contemnebatur: matrem eius magni faciebant plerique, feminam pudicam atq; humanam, & familiaribus multis potentibúsq; stipatam. Itaq; eam Laarchus demerens, nuptias ipsius expetebat, promittebátque se ea ducta Battum adoptaturum, & socium regni habiturum. Eryxo (ita enim appellabatur mulier) re cum fratribus deliberata, Laarchum cum his agere iussit: se fingens assentiri. Laarcho cum fratribus Eryxûs locuto, cùm rem illi de industria traherent, morámq; producerēt, Eryxo ancillam ad eum mittit, nunciátque: Fratres in præsentia repugnare. quòd si secum concubuisset, finem eos dissentiendi facturos, & concessuros nuptias. veniret itaq; ad se noctu, si videretur: facto enim initio, reliqua facilè successura. Voluptati hæc fuerunt Laarcho, animóq; ob blādicias mulieris vana spe protinus inflato, venturum se vbi ipsa iussisset, pollicitus est. Hæc

autem Eryxo agebat Polyarchi, qui fratrum nãtũ erat maximus, consilio. Constituto coitus tempore, Polyarchus occultè in cubile sororis introductus est, stipatus duobus adolescentibus gladios tenentibus, pœnásq; de nece patris exacturis, quem Laarchus recèns interfecerat. Laarchus ergo ab Eryxone vocatus, absq; stipatoribus venit, & ab irruentibus gladiisque ferientibus adolescentibus interfectus est. Cadauere trans murum eiecto, Battũ productum regni paterni successorem declarauerũt, pristinámq; reipublicæ constitutionẽ Polyarchus Cyrenæis restituit. Aderãt ea tempestate permulti milites Amasidis regis Aegyptiorum, quorũ fideli opera vsus Laarchus, & propter eos non minimè terribilis ciuibus fuerat. Hi ad Amasin miserunt, qui Polyarchum & Eryxonẽ accusarent. Is cùm indignaretur, ac de bello Cyrenæis inferendo cogitaret, matrem eius mori contigit: iustaq; ipso faciente, renũciatum est illud Cyrenam. Placuit itaq; Polyarcho sui excusandi gratia ad Amasidem proficisci: cúmq; Eryxo vnà ire ac periculũ obire vellet, mater etiam Critola, quantumvis vetula, comitem se adiunxit, maximę autoritatis mulier, vtpote soror Batti quondam Felicis. Postquam in Aegyptum venerunt, cùm aliis maiorem in modum causam suam probauere, tum ipse Amasis maximo opere pudiciciam fortitudinémq; Eryxonis est amplexus: donisque honoris gratia affectos & regio more tractatos Polyarchum ac mulieres Cyrenam remisit.

XENOCRITA.

Aristodemus.

Non minorem admirationem meretur Xenocrita Cumana, ob facinus in Aristodemum tyrannum. Qui Mollem hunc à mollicie cognominatum putant, ignoratione veri id faciunt. Fuit enim Mollis dictus à barbaris, quasi Ephebus: quòd adolescentulus admodum inter æquales adhuc comam alentes, quos (vt apparet) coronistas à coma dicebãt, in bellis

bellis contra barbaros claruit, non audacia modò & opere militari, sed calliditate etiam ac providentia vsus singulari. Itaque à ciuibus in admiratione habitus, & ad maxima imperia evectus fuit. Romanis quoque missus est suppetias adducens, cùm ij bello vrgerentur ab Etruscis Tarquinium Superbum in regnũ restituere conantibus. In ea expeditione, quę diu durauit, omnia in gratiam militũ agens, magisq; popularem captâtis fauorem quàm ducis personam gerens, persuasit eis vt se in invadêdo senatu, eiicien disque vrbe Cumana optimis potentissimisq; ciuibus adiuuarent. Inde potitus tyrânide, iniuriis quas in mulieres & ingenuos pueros exercebat, omnia sua superauit flagitia. Memoriæ enim proditum est, masculos eum pueros condocefeciſſe vt comam alerent, aurúmq; gestarent. mulieres autem coëgisse vt tonderentur rotundè, chlamydes epheborũ gestarent, & tuniculas perbreues. Erat Xenocrita quædã Cumis, puella patre nata, qui tum in exsilium actus erat. Hanc Aristodemus singulari amore ardens secum habuit, non adductam aut persuadendo conciliatam sibi, sed ratus vtcunque gratum futurũ puellæ, quòd cum tyranno viueret, & à ciuibus suspiceretur ac beata putaretur. At Xenocritam hæc nihil mouebant. sed cùm molestè ferebat se nullis pactis nuptialibus, absq; vlla desponsione cum viro degere, tum eorum qui tyrannum oderant libertatis patriæ cedebat desiderio nemini. Fortè tũ eo tempore Aristodemus fossa regionem quandam ambiebat. quod opus neq; necessarium erat neq; vtile, tantùm ad vexandos laboribúsq; atterendos ciues excogitatum. Erat enim singulis certa mensura egerendæ terræ designata atque imperata. * vt vidit accedentem Aristodemum, declinauit, tunicáq; faciem velauit. eóq; digresso cùm adolescentes per iocum & illudendi gratia quærerent, quid esset causæ, quòd solum præ pudore fugeret Aristodemum, neq; aliis

maribus eodem modo afficeretur. planè seriò respondit, Solus enim inter Cumanos Aristodemus vir est. Ea vox cùm omnes tãgeret, generosos etiam pudor instigauit ad recuperãdæ libertatis studium. Et quidem ipsam Xenocritam aiunt cùm hoc inaudiuisset, dixisse: Malle se quoque pro patre, si ei reditus esset in patriam datus, terram portare, quàm in tanto luxu & potentia cum Aristodemo viuere. Hæc confirmauerunt eorum animos, qui principe Tymotele in Aristodemum conspirauerant. cúmq; eis aditum securum præberet Xenocrita, & Aristodemum inermem atq; custodiæ expertem: non magno negocio irruerunt, eúmq; trucidauerunt. Hoc modo Cumæ duarum mulierum virtute libertatem receperunt: altera cogitationem eis rei gerendæ, sti mulúmq; iniiciente, altera ad rem conficiendam auxilium ferente. Cùm autem magni honores & dona ampla Xenocritæ offerrentur, omnibus ea repudiatis hoc petiit, vt Aristodemi cadauer sibi sepelire liceret. Neque hoc tantùm à ciuibus impetrauit, sed & Cereris eam sacerdotem fecerunt: rati hunc honorem non minus gratum deæ, quàm Xenocritæ decorum fore.

PYTHIS *vxor.*

Pythæ quoque vxor, qui Xerxis ætate vixit, à sapientia & humanitate commendatur. Inciderat (vt aiunt) maritus eius in metalla auri: & quas inde consequebatur diuitias, nõ moderatè amplexus, sed inexpleti animi studio persequens, cùm ipse supra modum ei negocio vacabat, tum vniuersos ciues eò adductos ex æquo fodere, aut egerere, aut purgare aurum cogebat, omnibus aliis actionibus operibúsq; prorsum neglectis. Multis tum pereuntibus, omnibúsq; animũ despondentibus, mulieres ad ianuã Pythis vxoris sese contulerũt, ibiq; de more supplicationis signũ deposuerunt. Ea, discedere his, & bono esse animo iussis, aurifabros, quib. maximè fidebat,

ad se

ad se acciuit, domíq; inclusos iussit panes, bellaria, poma, & alios cibos quibus maximè delectari Pythen nouerat, ex auro omnia conficere. Iuerat tum fortè Pythes peregrè. Qui vt domũ rediit, cœnáq; popoſcit, auream ei mulier mensam appoſuit, nullo esui apto cibo, sed omnibus aureis instructam. Cum initio delectatus artificio naturã imitãte, satur spectaculi poſceret cibum: quodcunq; peteret, id aureum ei mulier attulit. Indignanti, & esurire se respondenti: atqui, inquit, harum tu nobis rerum copiam, nullius præterea parauisti. omnia enim artificia, omnis vsus aliarum rerũ desertus est. agros nemo colit, & posthabita satione, plantatione, alimentorúmq; è tellure cõparatione, fodimus inutilia ac quærimus, nobis ciuibúsq; extremã exhibentes molestiam. Permouit hæc oratio Pythem: & quanquã à fecturis aureis non planè destitit, contentus tamen quinta ciuium parte ad hanc rem, reliquos agriculturæ & artibus incũbere iussit. Is Pythes cùm Xerxem in Græciam proficiscentem splendidissimè excepisset, donísq; amplissimis demeritus esset, hanc sibi petiit à rege fieri gratiam, vt cùm plures haberet filios, vnus eorum immunitate militię donaretur, qui domi manens senem patrem curaret. Xerxes verò iratus, hunc vnum, quem sibi relinqui pater orauerat, iugulari ac dissecari iussit. castrísque motis reliquos omnes abduxit eius fratres · qui omnes diuersis in prœliis perierunt. Qua ex re cum magnum animi dolorem cepisset Pythes, idem in se est expertus, quod vitiosis solet fatuísque euenire hominibus. Nam & mortem timebat, & vitam ægrè tolerabat. cúmque & viuere nollet, & vitam proiicere nequiret, hoc egit: Agger in vrbe erat magnus, pérq; eam amnis labebatur, quem Pythopolitè nominabant. Eo in aggere monimentũ sibi parauit, fluuiíq; alueum ita auertit, vt delapsu suo sepulcrum attingeret. opere perfecto, vxori vrbẽ imperiúmq;

Stultè auari exitus.

omne commisit, mandato ne ad monimentum accederet, sed sibi quotidie cœnam lintri impositam per amnem demitteret, tantisper dum linter cum cibo intacto sepulcrum præterveheretur: hoc si eveniret, tum mittendi faceret finem, séque mortuum sciret. Hoc ille modo vitæ reliquum consumpsit. Vxor autem rebus præclarè præfuit, ciuibúsque malorum mutationem parauit.

Aquáne, an ignis sit vtilior.

Initio Olymp.



Indarus pronunciauit, aquam esse rerum optimam, aurum autem flagrantem ignē. is ergo palàm posteriorem locum igni assignauit. Adstipulatur huic Hesiodus, ita scribens:

Principio factum Chaos est. ——

nam voce Chaos pleriq; eum existimant expresisse aquam ob diffusionem, quæ est Græcis chysis. Cęterùm testium in vtranq; partem æqualia sunt momenta. Sunt enim qui ignem vniuersi principiũ esse pronunciant, eúmq; tanquã semen & gignere ex sese omnia, & in sese facta cõflagratione recepturum. Omissis itaq; autoribus, rationes ipsas considere-

Pro aqua.

mus in vtrã nos partem inclinent. Nónne autem id vtilius est, quo semper continentérq; indigemus, & quidem plurimo? quomodo supellex, aut instrumentum, atque adeò amicus aliis præfertur, qui nobis quavis hora & ad quasvis occasiones vtendi præstò est. Atqui ignis non semper vtilis est: & aliquando eum molestè ferimus atq; amolimur. Aquæ & hyeme & æstate, tam sanis quàm ægrotis, noctu diéque, deniq; nunquam non vsus est & opus. nimirũ enim mortui hinc alibantes dicuntur, quòd humore careant, ideóq; vita sint priuati. Deinde absque igni multa fuerunt: sine aqua nullus vnquam homo. Est verò

verò id quod initiò statim & ab ipso ortu hominum exstitit, vtilius eo quod postea temporis inventum fuit. liquet enim illud naturam nobis vt rem necessariá dedisse, hoc ob vsus supervacaneos studio machinationéq; partum esse. At verò dici non potest quando aqua caruerint homines: neque eius inventor deorum aliquis aut heroum perhibetur. Ignis vsus nuper adeò, vt aiunt, à Prometheo est repertus. ita sine igni, non absque aqua vita fuit. Et non esse hoc à poëtis confictum, nostra demonstrat vita. Sunt enim quædam hominum gentes, absq; igni vitam degentes, domibus focisque carentes, & sub diuo agentes. Quin & Diogenes cynicus minimè igni est vsus. qui etiam polypum crudũ deglutiens, Tantum dixit, pro vobis adeo periculum. Absq; aqua autem neq; commodã, neq; omnino tolerabilem quisquam putauit vitam. Quanquã, cur in has me conijcio angustias? cùm infinitæ sint aliæ naturæ, quæ solo ferè homine ignis vsum sciente, absque igne nutriuntur & viuunt pascentes, volantes, repentes, aluntúrq; fructibus, radicibus, carnibus, sine igni. Sine aqua autem nihil viuit neque marinum, neque aëreum, neque terrestre. & ipsa illa carnivora animalia, quæ bibere Aristoteles negat, mero tamen humore vitam sustentant. Est autem omnino id vtilius, absque quo nulla constat aut perdurat natura. Transeamus nunc ab iis quæ vtuntur, ad ea quibus nos vtimur, stirpes inquam & fructus. Horum alia prorsus expertia sunt caloris, quędam exiguam eius & obscuram habent partem. Humor autem omnibus, quorum stirpes terra continentur, nascendi, augescendi, fructúmque ferendi suum causa est. Iam quid attinet me enumerare vinũ, oleum, & alia quæ vindemia nobis suggerit, aut quæ mulgemus, & in promtu sita cernimus? quando ipsum quoque triticum, quod alimentum siccum putatur, mutatione, putrefactione, diffusionéq; humoris nascitur. Porrò

Diogenes.

autem vtilius hoc est, quod nunquam nocet. Ignis verò facilè perniciem affert: aquæ natura nusquam est damnosa. Inter duo id quoque vtilius censetur, quod minimo apparatu suum exhibet vsum. Atqui ignis vsus sumtum materiámq; desiderat: ideóque magis eo diuites & reges vtũtur, quàm pauperes & priuati. Habet autem aqua id humanis vsibus commodum, quòd æqualiter omnibus prostat, & similiter non indiget instrumentis, non supellectile, nihil extra sese desiderat, bonum est seipso perfectum. Ad hæc, minus vtile est, quod multiplicatum suam vtilitatem amittit. quod sanè igni accidit tanquam feræ voraci, & obiecta insumenti, & quia arte magis scitáque moderatione quàm suapte natura sit vtilis. Ab aqua nihil vnquam timendum est. Præterea de duobus illud vtilius iudicatur, quod cum altero coniungi potest. Sed ignis quidem aquã non recipit, neque eius communione prodest. Aqua autem igni adscito conducibilis est. nam aquæ suapte natura calidæ remedium habent aduersus morbos ipsis etiam sensibus manifestum. Et ignem profectò humidum nusquam reperies. aqua autem tam calida quàm frigida, humanis apta est vsibus. Adde, quòd cùm quatuor sint elementa, aqua quin-

Mare. tum, vt sic loquar, ex se produxit elementum, mare puta, quod vtilitate illis inferius non est, cùm alias ob res, tum ob hominum commercia. Vitam enim nostram agrestem alioqui & commerciorum expertem hoc elementum coniunxit ac perfecit, mutuis auxiliis directam, ac permutationibus communitatem amiciciásq; conciliantẽ. Heracleti est, si sole careremus, noctem nobis futurã perpetuam. Licet autem nobis eodem modo dicere: absq; mare fuisset, animal fuisset homo omniũ animalium ferisimum & impudentisimum. Nunc mare ab Indis vitẽ Græcis aduexit, & transmarinis frumenti vsum è Græcia attulit, & è Phœnicia litteras memoriæ aduersus obli-

obliuionem remedium acciuit. vinum quoq; appor tauit. deniq; maior hominũ pars ne absq; fructu & institutionis exsors esset, præstitit. Quomodo ergo non sit vtilior aqua, quæ elemẽto excedit ignem? An verò potiùs pro igne dicendi aliquis hæc habeat argumenta. Quatuor elementa deus vniuersi conditor ad omnium rerum effectionem constituit. quæ elementa rursum hoc ipso differunt, quòd aqua & terra materiæ instar subiiciuntur effectioni, ac finguntur: eóq; ornatum & ordinem, adeóq; vt sint & procreent consequuntur, quòd ab aëre & igne tanquam artificibus formantur: & cùm antea tanquam mortua iacerent, ab his ortus sui initium habent. Ignis verò in efficientibus causis dignitate hîc præstat. Quod dixi, inductione potest intelligi. Terra enim absque calore, sterilis est, & infrugifera. ignis sua eruptione & vi diffundendi materiã turgentem fertilem reddit. Quam enim aliam adferes causam, cur saxa & aridiores montium partes steriles sint, quàm quòd ignis vel nihil, vel parum nãciscuntur? In vniuersum autem, tantũ abest vt aqua ex sese sufficiat aliis rebus generandis aut conseruãdis, vt ipsa quoque igne destituta pereat. Calor enim est, qui quemadmodũ cæterarum rerũ formam naturámq;, ita aquæ etiam conseruat. & calore deficiente, putrescit aqua: ita vt aquæ interitus ac quasi mors sit penuria caloris. Nimirũ enim palustres aquæ, & aliæ quæ nó profluunt, aut exitu carentibus in cauitatibus inclusæ tenentur, vitioſę sunt, ac ad extremũ putrescunt: quòd motum, cuius agitatione calor in rebus fouetur atq; conseruatur, habent nullũ. Contrà aquas quæ maximè feruntur atq; concitantur, viuas vocamus, quòd in iis calorem motus cõtinet. Quomodo autẽ duabus rebus ratione vtilitatis cõparatis, hæc nõ præferatur, quæ efficit vt sit altera quod quidẽ ignis aquę cõfert. Enimverò vtilius est id, quo prorsus summoto animal perit. liquet enim id, quo

Pro igni.

Aqua viua.

sublato res interit, causam fuisse ei, vt subsisteret in natura. At humor etiã cadauerib. adest, neq; omnis aboletur. alioqui non putrescerent humida corpora: cùm putrefactio sit sicci in humidũ mutatio, aut potius humidi in carne corruptio. Tum ipsa mors nihil est aliud, quàm omnis caloris priuatio. vnde fit vt frigidissima sint cadauera. adeò, vt sua frigiditate hebetent acies nouacularum admotas. Quin etiam in ipso animali quæ minimum sortita sunt caloris, minus etiã habent sensus. vt (verbi gratia) ossa & capilli, & quæ à corde absunt longiùs. Ferè enim sensus largior minórve adesse intelligitur, pro eo atq; caloris in re plus est aut minus. Stirpes quidem & semina, non humor producit, sed calidus humor. frigidæ enim aquæ aut minus sunt frugiferæ, aut prorsus steriles. Quòd si suapte natura fertilis esset aqua, omnino oportebat ipsam quoq; ex sese proferre fructus. illa verò fructibus nocet. Iã alio sumto initio sic ratiocinemur. Ad ignis, quatenus ignis est, vsum aqua nihil indigemus. immò aqua vsum ignis impedit, eúmque exstinguit atque abolet. in plerisque autem rebus aqua nisi igne adiuuante vsui non est. aqua enim calida aptior vsibus est, alioqui damnosa. Est verò inter duo illud vtilius, quod seorsim suos præbet vsus, neq; altero indiget. His accedit, quòd solo tactu vtilis est aqua lauantibus aut contrectantibus. Ignis per omnes sensus suam vtilitatem spargit. non solo tactu, sed procul etiam visus prodest. vt accedat reliquis eius vtilitatibus multitudo emolumentorũ. Cæterùm id falsum est, quod dicitur aliquos homines absq; igni esse. in vniuersum enim carere eo nullus homo potest: discrimina in hoc genere, vt & aliis in rebus, fatemur esse. Mare autem vt esset vtilius, à calore est consecutum: quoniam magis quàm aliæ aquæ à calore afficitur. pro se enim nihil à reliquis differebat aquis. Qui verò ignem foris adhiberi sibi non requirunt, non

eo id

eo id faciunt, quòd nihil opus habeant calore: sed ob abundantiam insiti caloris hoc fit. vt hac quoq; in parte ignis priores ferat: quandoquidem aqua nunquam ea est conditione vt non indigeat externis, virtus sua ignem seipso facit contentum. Sicvt ergo ducem præstantissimum censemus, qui vrbem ita instruit, vt externis non indigeat auxiliis: ita hoc quoq; elementum dicemus potius, quod efficit, vt plerisq; in rebus extra nos nihil desideremus. Quod idem de aliis volo intelligi animalibus, quæ caloris externi non indigent. Et verò in contrariam sententiam sic possumus argumentari. Melius id esse, quo soli vtimur, eiúsq; bonitatem ratione percipimus. Alioqui ratione quid cõducibilius est homini, quid vtilius? Dices: atqui eo carent bruta. quid, inquam? an propterea minus vtilis est, inventus ex providentia vtilitatis. Denique quoniam huc nos oratio deduxit, scire velim quid arti in conferendis ad vitam commoditatibus præstet aqua. Ignis verò & reperit omnes, & conseruat artes. itaq; etiam Vulcanũ principem ac ducem artium faciunt. Dixit Aristo, temporis nobis ad vitam dati exigiui somnum quasi vectigalis exactorem dimidiam auferre partem. Ego autem sic dico: etiam si quis tenebris obtinentibus vigilaret per totam noctem, nullum fore huius vigiliæ fructum, nisi ignis bona nobis diei repræsentaret, noctísque & diei discrimen aboleret. Itaque si nihil homo habet, cui ratione vtilitatis vitã postponat: ignis, qui vitã multiplicat, quomodo nõ mereatur omnibus anteferri rebus? Deniq; cuius temperiem sensus omnes maximè participant, id haud dubiè arbitrari debemus esse vtilissimum. Nónne autem animadvertis humore nullũ per se vti sensum, nisi in eius temperie spiritus aut ignis sit admixtus? Omnis autem sensus igne, vtpote vitalem ingenerante facultatem, communicat: maximè omnium visus, qui acutissimus est sensuũ corporis, ignea quę-

Somnus.

Visus.

dam natura exsiliens cùm sit: & qui fidem nobis fecit esse deos. quò accedat, quod à Platone est dictũ, visu animum hoc consequi, quòd cœlestium corporum conversionibus sese potest accommodare.

PLVTARCHI

Capitulorum descriptio: hoc est, Quæstionum solutio, siue problematum.

QVAESTIONES ROMANAE.

I. Vid causæ est cur sponsa in nuptiis iubeatur aquam & ignem tangere? An quòd horum, quatenus in elementis ac principiis numerantur, alterũ mas est, alterũ femina: & ignis principia motionis suggerit, aqua subiecti ac materiæ facultatem obtinet? An quia ignis lustrat, aqua purgat: debet autem quæ nubit puritatẽ ac castimoniá conseruare? An quòd sicvt ignis absq; humore nutriẽdi vi destituitur, éstque aridus, aqua autem absque calore sterilis est & ociosa, ita mas quoque & femina seorsim nihil valent, coniunctione eorum vitæ consuetudo perfecta à nuptiis redditur? An id significare volunt, alterum ab altero deseri non debere, sed eos in societate qualiscunque fortunæ persistere, etiam ita rebus ferentibus, vt præter ignem & aquam nihil boni vnà frui detur?

II. Cur in nuptiis quinq; faces, (cereos ipsi vocant) non plures his aut pauciores accendunt? An quia, vt Varro ait, prætores trinis, pluribus ædiles vtebantur, ab his autem sponsi accendũt ignem? An quòd cùm vtantur compluribus aliàs etiam numeris, tum alioqui præstantior atque perfectior impar creditus est, tum ad nuptias melius quadrare visus? Par enim

enim dividi se patitur, partésque eius æquis inter se viribus contendunt. Impar autem omnino diffindi se non fert, sed divisus semper aliquid relinquit. Inter impares porrò omnium maximè congruit nuptiis quinarius. nam ternarius primus est de impari-
5 bus, binarius primus de paribus: ex his tanquã mare & semina miscetur quinarius. Aut potiùs, quoniam lumen procreationis signum est, mulieres autem ad quinq; plerunq; pariunt, totidem vtuntur facibus?
10 Aut quia matrimonium contrahentes quinq, deorum ope indigere putãt, Iouis perfecti, Iunonis perfectæ, Veneris, Suadæ, ac Dianæ, (ea Lucina est) quã parturientes invocant.

Paris & impari numeri vis, & quinarij.

Quamobrem de multis quæ Romæ sunt Dianæ templis, id solum non intrant viri, quod est in vico patricio? An id fit ob sermonem vulgatum? narrãt enim mulierem ibi deæ cultum exhibentem à quodam vi fuisse compressam, eùmq; à canibus discerptum. inde superstitionem natã, ne viri eò intrarẽt. III.

Cur reliquis Dianæ fanis soliti ceruorũ cornua affigere, ei quod in Auentino est bouum cornua affixerunt? Fortasis vt monimentum esset antiqui casus. Fuit quidam in Sabinis Antro Coratius. is vaccam habebat magnitudine & forma reliquis præstantem: monitúsq; à vate quodam, qui in Auentino bouem hanc Dianæ immolasset, ei fata summam potestatem deferre, vrbémq; ipsius Italiæ totius regno potituram, Romam se contulit bouis ibi mactandæ gratia. seruus autem regi Seruio clàm id vaticinium, ídque rex Cornelio pontifici indicauit. tum Cornelius Antroni mandauit, vt ante sacrificium aqua Tiberis profluente sese ablueret: sic enim legibus præscriptum esse litaturo. ita hic lotum abiit. interim Seruius occasionem immolandæ vaccæ in honorem Dianæ præcepit, mactatæque cornua templo affixit. Hoc & Iuba narrat, & Varro. nisi quod hic Antronis nomen non habet, deceptúmque IV.

non à Cornelio sacerdote Sabinum, sed ab ædituo refert.

V. Cur quos peregrè mortuos falsò fama nũciauit, reversos non per fores admittunt, sed cõscenso tecto in domum demittunt? Fabula omnino est, quod Varro pro causa adfert. Cùm bello apud Siciliã magnum nauale prœlium fuisset commissum, multósq; fama mentiretur periisse qui erãt superstites, hos domum reversos, intra breue tempus vniuersos fuisse mortuos. vnum ex illis domi suæ ianuam fortè fortuna occlusam offendisse, neque aperire potuisse. ipsum cùm ante fores obdormiuisset, per quietem spectrum vidisse, quod ei præciperet, vt se de tecto in domum demitteret. cúmq; consilio huic paruisse, longámq; vitam feliciter exegisse, atque huius ab exemplo istam fuisse introductam consuetudinem. Quid verò, si ea quoq; Græcis moribus est similis? Græci enim profanos habebant, neq; iis sese permiscebant, neq; ad sacrificia admittebant eos, quibus factum fuerat funus & sepulcrum tãquam mortuis.

Aristinus. Et relatum in commentarios reperi, Aristinũ quendam ea ipsa obstrictum religione Delphos misisse, qui pro se deprecarentur, & quo pacto difficultatibus, in quas legum autoritate compulsus erat, sese extricaret, rationem ostendi peterẽt. ei sic à Pythia fuisse responsum:

His, peragit quæcunque puerpera, ritè peractis
Omnibus, ad superũm tua dona altaria sistes.

eúmque oraculo probè intellecto, mulieribus sese quasi renatum præbuisse lauandum, vinciendum, lactendum. ídque reliquos deinde, quos idem casus excepisset, imitatos fuisse omnes, noménque iis factum Hysteropotmi, quòd scilicet à credito exitio quasi postliminio revertissent. Sunt qui hunc de Hysteropotmis expiandis morem ipso putent Aristino priorem, priscúmq; fuisse. Non itaq; mirum est, si

Romani

Romani tunc quoque eos quos semel sepultos ac rebus humanis exemtos esse fuerat creditum, existimauerunt non debere per ostium ingredi, per quod sacrificatum exitur, ac sacrificatu reditur: sed eum deorsum exaëre voluerunt in atrium sub dio positum demitti. Expiationes enim omnes solent ferè sub dio peragere.

VI. *Osculi mos.*

Quare mulieres osculo salutant cognatos suos? An id sentiendũ est, quod plerisq; probatur? Interdictum vsu vini mulieribus fuisse: ac proinde ne latére posset si qua vinum bibisset, sed à familiaribus inter congressum deprehenderetur, osculandi morem fuisse institutum. An verò quam adfert Aristoteles philosophus causam, ea recipienda est? Id enim quod fama pervulgatum est, multisq; locis adscribitur, facinus Troadum, ab iis in Italia perpetratum fuit. nam ibi cùm post nauiũ appulsum viri essent dilapsi, mulieres ignem nauibus iniecerunt, vt erroribus finem imponerent ac nauigationi. deinde sibi metuentes à maritis, cognatos & familiares, vt quisque se obtulerat, cum suauio sunt amplexæ. iráque placata vt in gratiam fuit reditum, hoc deinde eis blandiendi genus retinuerunt. Aut potiùs datũ est hoc mulieribus, vt honorem simul eius potẽtiámq; concilians, si viderentur multos ac probos habere cognatos & propinquos? Siue hoc verius est? cũ esset legibus interdictum cognatarum nuptiis, vsque ad osculum tamen amori permissum progredi, eáq; fuit consanguinitatis tessera & communicatio. Antiquitus enim sanguine iunctas Romani non copulabant sibi in matrimonio, vt ne nũc quidem materteras aut sorores. Serò cõcessum fuit, vt ducere consobrinas liceret: ídq; tali de causa. Vir quidam, pecuniæ indigens, aliàs honestus, & gratia populari nemine inferior, consobrinam habere putabatur vxoris loco, ad quam hæreditate dos magna pervenerat, eáq; ratione diues ipse esse. cui cum esset eo no-

Nuptiæ cũ propinquis.

mine dies dicta, populus omissa causæ cognitione eum absoluit, decretoque facto nuptias consobrinarum permisit publicè, coniugio autem superiorum graduum interdixit.

VII. *Donationes coniugum.* Cur donationes inter maritum & vxorem prohibitæ sunt? An quemadmodũ Solon donationes mortis causa factas valere voluit, iis tãtùm rescissis quæ necessitate extortæ, aut muliere persuadente factæ essent: nimirum quòd necessitas vim animo faceret, voluptas autem eidem imponeret. an, inquam, eodẽ modò Romanis suspectæ erant coniugum donationes? Aut potiùs, quòd signum benevolentiæ futilissimum putarent esse donum, (dant enim etiam alieni & non amantes) ideò istud demerendi genus è coniugio sustulerũt, vt absq; mercede gratis, ac propter se non alius causa coniuges invicẽ amarẽt? An, quia muneribus capiũdis maximè corrũpuntur mulieres vt alienos admittant viros, grauitatem iis cõciliare censuerũt quòd suos nihil dantes diligerẽt? An hæc est verior ratio, quòd mariti & vxoris omnia debent esse cõmunia? Qui enim accipit quod datur, is discit pro alieno putare quod datum non est: itaque pauca invicem dantes, reliqua omnia adimunt.

VIII. Cur à genero aut socero donum capere vetitum fuit? A genero, quia id per patrem videbatur ad vxorem rediturũ. à socero, Quod iustum videbatur nihil accipere eum, qui nihil daret.

IX. Quamobrem rure aut peregrè domum redeuntes mariti, præmittũt qui adesse ipsos significet? An quia hoc est probitati vxoris suæ confidentis viri, (nam ex improviso & subitò supervenire, speciem insidiarum & infensæ obseruationis habet) ideo dãt operam vt desiderantibus se atque exspectantibus vxoribus lætum sui adventus nuncium offerant? Aut potiùs quòd ipsi rescire cupiunt, saluásne & desiderio sui affectas vxores domi sint offensuri? Vel

quoniam

quoniam plura sunt mulieribus domestica negocia & rei familiaris occupationes plures, mariti vbi absunt, variæque curæ & discursus: ideò adventus nũcium accipiunt, vt omissis istis negociis absq; tumultu ac suauiter maritum excipiant?

X. Cur deos velato capite adorant, cùm alioquin hominibus obviam facti venerandis, caput, si fortè eo tecto incedunt, detegant? hoc enim est, quod quæstionem videtur facere difficiliorem. Narrant Aeneam cùm rem sacram faceret, Diomede prætereunte caput velasse, itaq; sacrificium absoluisse. Hoc si verum sit, non est alienum à ratione, sed consentaneum, vt quemadmodum aduersus hostem caput tegimus, ita amicis & præstantibus hominibus obviã dati idẽ nudemus. & quòd deos velato capite venerantur, non propriũ id est, sed fit per accidens, facto isto Aeneæ in cõsuetudinem tracto. Quod si alia est afferenda causa, vide ne id modò quærẽdum sit, cur in veneratione deorum caput tegatur: alterum verò eius sit consectarium. Nam quòd corã potentioribus hominibus caput nudant, non faciunt augendi honoris eorum gratia, sed vt eos invidia liberent potiùs, ostendántque eos non poscere sibi eosdem cum diuinis honores, neq; ferre aut gratum habere eodem se quo deos modo coli. Deos autem operto capite adorauerunt, vel quòd ea re animi demissionem cõfiterentur, vel potiùs, quòd verentes ne qua vox mali ominis foris accideret, vsque ad aures vestem sursum attrahunt. hoc enim eos admodum vitare, ex eo liquet quòd ad oraculum consulendum accedentes, tinnitu æris circumsonãtur. Aut, vt Castor tradit, qui Romana instituta Pythagoricis accommodat, vt ostendant genium qui in nobis est deorum qui extrà sunt ope indigere iisq; supplicare: capite operiendo per ambages arguẽtes animum à corpore occultari atq; tegi.

Capitis nudatio & velatio

Cur Saturno sacrificantes capita habent retecta? XI.

An quia velare caput institutum est Aeneæ, Saturni
Saturnus qualis deus. autem sacrificium multo est vetustius? An quòd ca
pita operiunt coram cœlestibus diis: Saturnum au-
tem inter inferos terrestréſq; deos numerant? An
quòd veritati nihil opertum est, nihil occultũ? nam
veritatis patrem Romani Saturnum (qui Cronos
Græcis dicitur) esse censent.

XII. Cur verò Cronum hunc veritatis patrem faciũt?
Veritas Tẽporis filia. Siue quòd tempus est Cronus, vt nonnulli philoso-
phorum interpretantur: veritatem autem eruit tem
pus. siue quòd sæculum Saturni cùm fabulæ ferát iu
stissimum fuisse, probabile est plurimum fuisse vsum
veritate.

XIII. Cur Honori sacra faciũt aperto capite? An quòd
honor splendida est res, illustríſq; & aperta, qua de
causa etiam egregios honoratósq; viros capite re-
tegendo venerantur: ideò numini quoque eiusdem
nominis hunc ritum exhibent?

XIIII. Cur parentes efferunt filij velatis capitibus, filiæ
nudis capitibus, passísque crinibus? An quia filiis
venerandi sunt patres tanquam dij, filiabus autem
lugendi vt mortui, lex vtrique parti suum decoro
In luctu res insolitæ. conveniens assignauit officium? An quia luctui ma
xime congruit, quod est alienum à consuetudine? so
lent autem ferè mulieres tectis, mares nudis capiti-
bus in publicũ progredi. Nam apud Græcos etiam
si qua calamitas incidit, tondentur mulieres, viri co
mam alunt: cum alioquin hi tonderi, illæ crinem ge
stare soleát. Aut potiùs de filiis prior causa meliùs
est allata. nam super sepulcris parentum circũagunt
se, vt Varro scribit, ea tanquam deorum templa co-
lentes: crematísque parentibus cùm primùm os re-
periunt, mortuum diuinam esse consecutũ naturam
dicunt. Mulieribus omnino non licebat caput ob-
nubere. Etenim narrant historiæ, primum omnium
Sp. Carbilium vxori nuncium remisisse ob sterilita-
Diuortia. tem: secundum Sulpitium Gallum, quòd suam vi-
disset

disset veste attracta caput tegere: tertium P. Sempronium, quòd sua vxor ludos funebres spectasset.

Cur Termino, quem Deũ censent, & sacris terminalibus honorant, nullum animal immolatur? An quia Romulus terminos agro populi nullos posuit, vt liceret progredi, aliisque ademtum adiicere suo, & putare omnem ditionem ad se pertinere, quam (vt Læto ille dicebat) hasta assequi possent: Numa autem Pompilius, homo iustus, ciuilis, ac philosophus, limitibus suum agrum à vicino distinxit, iisq; Terminum nuncupans inspectorem atq; custodem amicitiæ & pacis, existimauit sanguinis purum, nullaque inquinatum cæde debere seruari? XV.

Cur seruæ aditu templi Matutæ (quæ Leucothea Græcis est) prohibentur: vnam duntaxat matronæ introducunt, & colaphos genis eius infligunt? An hæ ipsæ alapæ signũ sunt interdicti: reliquas autem arcent fabulam secutæ? Fertur enim Ino exæmulatione aduersus maritum, quem ancillam amare suspicabatur, in insaniam prolapsa filium perdidisse. eam ancillam Græci Aetolam domo, nomine Antipheram fuisse tradunt. Itaque apud nos Chæroneæ ædituus ante fanum Leucotheæ stans, accepto flagello edicit, Ne quis seruus intret, ne qua serua, ne quis Aetolus, néve vlla Aetola. XVI.

Cur ab hac dea nulla suis, sed sororum liberis bona precãtur? An quòd Ino sororis studiosa fuit, eiúsque filium enutriit: in propriis autem liberis infelix fuit? aut aliàs etiam consuetudo hæc boni moris est, multúmque necessitatibus conciliat benevolentiæ. XVII.

Cur multi diuitum Herculi decimam suorũ bonorum consecrant? An quòd is quoque Romæ decimam boum Geryonis partem deposuit? Aut quòd effecit, ne Romani porrò decimas Etruscis penderent? Aut hæc quidem fide digna historia nulla confirmantur? Herculi autem vt voraci & largiter cœ- XVIII.

nanti copiosiùs sacrificauerunt? Aut potiùs nimias diuitias ciuibus invisas carpentes, iisq; tanquã corpori nimio incremento turgenti aliquid detrahentes, maximè honorari ac delectari huiusmodi contractione abvndantiæ putauerunt Herculem, cuius vita fuit modicis contenta rebus & frugalis?

XIX. *Mensium ordo.* Cur à Ianuario nouum annum auspicantur? Antiquitus enim Martius primus fuit mensis numeratus. quod cùm aliis multis manifestum fit indiciis, tum eo præcipuè, quòd quintus à Martio mensis Quintilis, sextus Sextilis, reliquiq; sic deinceps nominantur vsq; ad vltimum, qui December appellatur, numero decimus à Martio. quæ res nonnullos mouit vt opinarentur atq; affirmarent etiam antiquos Romanos nõ duodecim, sed decem mensibus annum compleuisse, quorum nonnulli plures xxx diebus haberent. Alij sic tradunt, Decembrẽ à Martio mensem esse decimum, Ianuarium vndecimum, Februarium duodecimũ, quo mense lustrationibus vtuntur, & defunctis parentant anno finiente. mutato autem ordine Ianuarium primum factũ, quod Kalendis Ianuarij cõsules primi electis regibus Romæ magistratum iniuerunt. Probabilius est, quod alij dicunt. Martium à Romulo, homine bellicoso Martisq; cupido, & qui Martis filius putaretur, cæteris mensibus præpositum esse, vtpote Martis cognominem. Numam verò pacis studiosum, & qui ciues à re bellica ad agriculturam transdere cuperet, Ianuario principem locum assignasse, Ianóque magnos honores detulisse, vt qui ciuilis & terræ colendæ quàm belli fuisset studiosior. Verùm hoc considera, an non potiùs Numa anni principium sumserit nostræ naturæ magis accommodatũ. In vniuersum enim in his quæ circulo circumaguntur, natura nihil est primum aut vltimũ: sed arbitrio hominum alius aliud temporis statuit initiũ. Optimè verò, qui *Bruma.* post solstitium hybernum anni exordium faciunt, quando

quando Sol progrediendi fine facto convertitur, & ad nos cursum reflectit: tunc enim in ipsa quoq; natura conversio quædam fit, quæ luminis tempus auget, & tenebrarum minuit, nobisque propiùs admouet principē atque dominū vniuersæ fluxæ naturæ.

Cur matronæ domi suæ sacellum muliebris deæ, quam Bonam vocant, ornantes, myrtū non inferūt: quanquam omnibus germinantibus & florentibus studiosè ad eam rem vtantur? An credendum est fabulæ, quæ perhibet Faulij cuiusdam aruspicis vxorem cùm clàm poto vino nó fefellisset, à marito virgis myrteis fuisse castigatam: ideóq; mulieres myrtum non inferre, sed vinum ei sub lactis appellatione libare? An verò quòd cùm ab aliis rebus puræ, tum maximè rei Venereæ, sacra ista peragunt? non enim solùm maritos, sed omnes in vniuersum mares domo exterminant, cùm deæ sacris operantur ritibus. Itaque myrtum vt Veneri sacram abominatur. Nam quæ hodie Murtia Venus dicitur, ea scilicet olim Myrtia fuit dicta. XX. *Myrtus.*

Cur picum Latini venerantur, eóq; vniuersi magnopere abstinent? An quia Picum veneficio vxoris mutatum in picum auem fabula fert, & oracula pronunciasse, ac responsa interrogantibus dedisse? An hoc quidem omnino incredibile est & mōstrosum? alia verò fabula probabilior, Romulo & Remo expositis nō tantùm vbera lupam præbuisse, sed & picum frequēter advolasse ac bucceas in ora inseruisse? Frequenter enim etiamnū in locis quæ sub montibus sita sunt ac syluestria, vbi picus, ibi etiam lupus visitur, vt narrat Nigidius. Aut potiùs sicvt aliæ aues aliis diis sacræ, ita picus Marti sacer est? est enim audax & ferox auis, rostrúmq; habet ita robustum, vt quercus etiam exscindat, cùm rostri ictibus vsque ad medullam pervenerit. XXI.

Cur Ianum bifrontem fuisse credunt, talémq; fingunt & pingunt? Num quia genere Græcus ex XXII. *Ianus.*

Perrhœbia fuit, ac profectus in Italiã, ſedibus apud Barbaros poſitis linguam vitæq; rationem mutauit? hoc enim narratur. An verò, quòd Italos feris vtentes iniuſtiſque moribus ſuadendo ad aliud vitæ genus traduxit, agriculturáque & ciuili inſtitutione compoſuit?

XXIII. *Veneris ortui et interitui hominis præfecta.*

Cur quæ ad funera pertinent, in templo Libitinæ vendunt, quam eandem eſſe cum Venere cenſent? An hoc quoque vnum eſt de Numæ regis ſapienter inſtitutis, quo diſcerent ab his rebus non abhorrere, neq; pro piaculis eas ducere? Aut potiùs eo monebantur caducum eſſe, quod eſſet natũ, vna eadémq; dea & ortibus & interitibus præſidente? Nam Delphis quoq; Veneris Sepulcralis (Epitymbiam ipſi dicunt) eſt imaguncula, ad quam evocant eorum manes, quibus libant.

XXIIII. *Kalendæ. Nonæ. Idus.*

Cur tria principia menſis habent, nõ eodem dierum numero diſtincta? An Iubæ fides habenda eſt? is Kalendis dicit populum fuiſſe à magiſtratibus vocatum, & ei indictas in quintum abinde diem Nonas: Idus autem diem ſacram habitas. Aut potiùs cùm tempus Lunæ varietatibus definirent, animad verterunt quovis menſe tribus eã maximis variari differentiis. quarum prima eſt, cùm occultatur conGreſſa cum ſole: altera, cùm radiis ſolaribus elapſa, primùm in occidua plaga conſpectui ſeſe offert: tertia, cùm Soli oppoſita pleno orbe fulget. itaque occultationem eius vocant calendas, quia omne quod occultè & furtim fit, clam appellant, tracto inde verbo celare. Primum autem Lunę conſpectum Nonas aiunt iuſtiſsimo nomine vocari, cùm ſit nouiluniũ. Eidũs aut ob pulcritudinẽ dici creditur, quòd tum integra Luna eſt lucida: aut cognomines eſſe Iouihunc Dia, ſpeciem ſeu formam Græci ἰδος appellant. Neque verò oportet numerorũ ſubtiliſsimam rationem conſectari, aut ſi quid exiguum rationes offendat, calumniari. quando hodiéque, cœleſtium motuum

motuum obseruatione artificiosa interim tanto aucta incremento, tamen inæqualitas motionum peritiam mathematicorum vincit, ratiocinationémque subterfugit.

XXV. *Dies atri, siue nefasti.*

Cur diebus postridie Kalendarum, Nonarum, atque Eiduum exire vrbe aut peregrinari non licet? An id fit ea de causa quam plerique putát, & Liuius tradidit? Postridie Idus Quinctiles, quas núc Iulias vocant, tribuni militum legiones ad Aliam fluuium educentes, à Gallis pugna sunt victi, vrbémque amiserunt. Is dies cùm nefastus esset iudicatus, superstitio (vt solet) morem hunc amplificauit, eidémque religioni obnoxios fecit etiam dies postridie Kalendarum & Nonarum. Aut multa sunt, quæ contra hanc opinionem dicuntur? nam & alia die clades ea accepta fuit, quam diem Alienſem à flumine dictam abominátur: & cum multi sint atri siue nefasti dies, non eosdem in omnibus obseruant mensibus, sed in vnoquoque provt res tulit: & veri speciem nullam habet, vnam Idibus proximè posteriorem diem omnibus quæ Nonas atque Kalendas continenter insequuntur, hanc superstitionem cóciliasse. Videndum igitur, numnam sicvt de mẽsibus primum diis cœlestibus consecrarunt, secundum diis manibus, quo mense & lustrationes quasdam peragunt, & defunctis parentant: ita etiam dierum initia quasi & principes statuerint tres eos quos diximus cuiusq; mensis, festósque hos dies & sacros esse voluerint: proximos autem ab his dæmonibus & vita defunctis destinauerint, nefastósque & ad agendum ineptos esse iusserint? Nam Græci etiam in nouilunio diis rem sacram facientes, proximum ab eo diem heroibus ac geniis addixerunt, craterúmque secundus heroibus heroinísq; miscetur. Omnino autem tempus quidam est numerus, numeri autem principium Vnitas, sacra habetur. binarius, qui eam excipit, principio opponitur, vt parium primus. Par au-

Numerorũ discrimen.

tem numerus imperfectus est & mancus atque infinitus: sicvt contrà impar definitus, finiens, atq; perfectus. Ideo Nonæ quinto die Kalendas, Idus nono die Nonas subsequuntur, imparibus enim principia definiuntur. Qui verò principia insequuntur dies, pari numero cùm censeantur, ordinis eam dignitatem ac vim non habent. itaque his diebus actionem nullam aut peregrinationẽ ordiuntur. Quid si huc pertinet fabula Themistoclis? contendisse aliquando diem post festum diem proximè succedentem cum festo die, obiecisséque, Hunc multum habere laboris ac molestiarum, se ocium præbere, & facultatem per quietem fruendi iis quæ ad festiuitatem fuissent parata. respondisse festum diem: vera dicis: sed ego nisi fuissem, nunquam tu esses. Hoc autem Themistocles dicterio duces Athenienſiũ, qui ipsi succesſerant, refutauit, Nunquam eos fuisse exstituros significans, si ipse vrbem non conseruasset. Cùm itaq; omnis seria profectio & actio apparatú requirat & dispositionem, Romani autem festis diebus nihil adornare consueuissent, neque vlli curæ extra cultum deorum intenti essent, adeóq; quod etiamnum edicunt pontifices ad sacrificia accedentes, Hoc agerent: haud abs re fuit, quòd statim à feriis iter ingredi aut actionem suscipere noluerunt. quippe imparati cum essent, domi diem à feriis proximum meditandis apparandísq; rebus consumserunt. An quemadmodum hodiéq; cum in templis deos adorauerunt, manere solent atq; assidere: ita sacris quoq; diebus non statim agendo dicatas subiecerunt, sed intercapedinem quandam fecerunt, cùm difficilia multa & præter voluntatem hominibus inter agendum eveniant?

XXVI. *Albatæ lugebant.*

Cur in luctu mulieres albas gerunt vestes, albásque vittas? An id faciunt exemplo magorum, qui adversus Plutonẽ & tenebras lucido & illustri amictu se muniunt? Aut sicvt defuncti cadauer albo involuunt

voluunt tegmine, ita etiam amictos volunt esse necessarios? Corpus autem hoc modo ornant, quia animam non possunt, quam volunt puram illustrémq; prosequi, vt peracto difficili ac vario certamine iam dimissam. Siue luctum maximè decent vilia & simplicia? quæ autem colore infecta sunt, partim luxum, partim supervacanearum rerum studium arguunt. non enim minus de nigro, quam de cœruleo colore dici potest: dolosæ sunt vestes, dolosus color. iam nigra ex sese quæ sunt, non arte, sed natura tincta sunt, vmbrosóq; colore permixta. Solum itaque album sincerum est mixturæq; expers, purum, & tinctura non imitabile, ac proinde optimè convenit iis qui sepeliuntur. Mortuus enim simplex quippiam factus est & impermixtum, ac purum: scilicet nihil aliud, quàm à corpore tanquam succo colorem inducente liberatus. Socrates scribit, Argis in luctu albas geri vestes aqua elutas.

Cur omnem murum sacrum intaminatúmq; habent, portas non item? An vera est Varronis sententia? muros propterea sacros existimandos, vt pro iis propugnare alacriùs ciues, mortémque etiam oppetere sustineant. (Et videtur Romulus quoque fratrem propterea interfeciſſe, quòd sacrum locum & inaccessum transilire aggressus, transcendendum profanúmq; reddisset.) Portæ autem sacræ esse non poterant, cùm per eas & alia necessaria, & cadauera etiã efferrẽtur. Itaq; vrbem qui de nouo condebãt, aratro cui bouem marem & feminam subiunxissent, locum quantum erat murus occupaturus designabant: portarúmque dimensi spacia, vomere exemto aratrum earum locis intactis transferebãt. quòd omnem terram aratam sacram & inviolabilem censerent futuram. XXVII.

Cur pueros Herculem iuraturos non sinunt iureiurandum hoc intra domum facere, sed exire sub dium iubent? An ea est vera quorundam opinio, XXIIX. *Iureiurandum.*

quia Hercules nõ sit delectatus vita parietibus cincta, sed sub dio & peregrè solitus degere? Aut quia deus iste non indigena, sed peregrinus & hospes fuit? Nam Bacchum quoque non iurant sub tecto, hunc quoque peregrinum. An verò hæc ioco tantùm pueris dicũtur? aliàs verò hac ratione cohibere eos à leuitate & iurandi temeritate voluerunt, sicvt Fauorino placet. nam iste quasi apparatus cunctationem iniicit, facultatémq; deliberandi præbet. Hunc ritum non communem, sed Herculi peculiarem fuisse cũ Fauorino aliquis affirmauerit, iis quæ de eo narrantur consideratis. adeò enim religiosum hac in re fuisse tradunt Herculem, vt semel dun taxat iurauerit, soli nimirũ Phyleo Augeæ F. Ideóque etiam Pythiam hæc sacramenta Lacedæmoniis exprobrasse, quòd diceret melius vtiliúsque fore, citra iureiurandum promissa implere.

XXIX. *Nuptiales ritus.* Cur nuptam non patiuntur ipsam transcendere limen domus, sed sublatam transportant pronubi? An quia in prima raptione mulieres non vltrò intrauerunt domos, sed illatæ sunt? aut quia videri volunt non volentes, sed vi coactę eò ingredi, vbi sunt virginitatẽ amissuræ? aut hoc signũ est, exire etiam eas, domúm ve relinquere non debere, nisi vi eiiciantur, sicvt vi introductæ sunt? Nam etiã apud nos in Bœotia in nuptiis axem plaustri ante fores cremãt, innuentes sponsæ manendum esse, sublato avehendi instrumento.

XXX. Cur sponsam introducentes dicere iubent, Vbi tu Caius, ego Caia? An quia hac conditione pacta intrat, vt particeps omnium rerum & gubernandæ familiæ sit? itaque hæc verba id significant, Vbi tu dominus eris & paterfamiliâs, ego domina ero & materfamiliâs. Nomine autem Caij & Caiæ communibus, vsi sunt peculiariter. quomodo iurecon-sulti Caium, Seium, Lucium, Titium nomen ei de quo agitur imponunt. & Philosophi Dionis aut Theonis

Theonis voces vsurpant. Aut quia Caia Cæcilia honesta fuit ac proba matrona, vxor vnius de filiis Tarquinij? cui Caiæ in Sancti templo statua priscis temporibus posita fuit cum sandaliis & fuso: quæ domi actæ vitæ, industriæque sunt signa.

XXXI. Cur in nuptiis canitur iste omnium sermone notus Talasius? An à lanificio, quæ Græcis est talasia, talasum pro talaro dicentibus? nam sponsæ introductæ vellus substernunt, ipsáque secum colum & fusum importat, ac mariti ianuam lana coronat. An verum est, quod historici tradiderunt? est autem tale. Quo tempore Romani Sabinarum filias Romam ad spectaculum profectas rapuerunt, Talasio (erat autem hic Talasius iuuenis re bellica præclarus, & cætera probus) virginem insigni forma plebeij quidam & eius clientes afferebant, vtq; id eo possent tutius, neque interciperentur aut virgo ipsis eriperetur, vociferabantur eam se Talasio adducere. ita reliqui honorem Talasio habentes, faustis acclamationibus & cõprecationibus eos sunt prosecuti ac comitati. cúmq; feliciter istud cõiugium cecidisset, morem introduxerunt aliis quoque Talasium accinendi, vt Hymenæum solent Græci.

XXXII. Cur simulacra hominũ, quę Maio mense de ponte ligneo in flumen abiiciuntur, Argeos vocant? An quòd antiquitus barbari ista loca incolentes hoc modo interficiebant si quos Græcorum cepissent: Hercules autem, cuius virtutem admirabantur, docuit eos more interficiendi peregrinos dimisso, simulacris eum repræsentare, iisque iaciundis religione se soluere? Argeos autem, siue Argiuos antiquitas simpliciter quosvis Græcos nominauit. Nisi hoc potiùs sentiendum est: Cùm Arcadibus Argiui ob viciniam inimici haberentur, Euandrum è Græcia profugũ cùm in istis cõsedisset Italię locis, istam odij & inimiciciarum memoriam conseruasse? *Argei quid?*

XXXIII. Cur antiquitus foris non cœnabant absque filiis

pueritiam etiamnum agentibus? An hoc est quod etiam Lycurgus instituit, vt pueri in phiditia intro ducerentur, assueturi non belluino more aut incompositè, sed modestè voluptates adire, cùm haberent senes qui inspicerent ac moderarentur? Immò vel magis hęc causa fuit, vt filiis præsentibus ipsi patres verecundiùs ac modestiùs sese gererent? Vbi enim (inquit Plato) inverecundè agunt senes, ibi necesse est adolescentes fieri impudentissimos.

XXXIV. Cur cùm reliqui Romani Februario mense mortuis parentent, D. Brutus, vt Cicero narrat, mense Decembri hoc egit? (Is autem Brutus est qui Lusitaniam peragrauit, primúsq; cum exercitu Obliuionem fluuium transiit.) An quemadmodum sub mensis & diei finem solent vulgo mortuis iusta persoluere, ita rationi consentaneum est etiá vltimo mense & anno desinente id fieri? vltimus autē mensium est December. An quia diis manibus isti honores habentur, quos venerari tempestiuum est omnibus fructibus iam perfectis? Aut quia tunc potissimùm mentio inferorum est facienda, cùm appetente satione terra incipit moueri? Aut quia Saturno à Romanis est hic mensis consecratus, quem in Manibus, non superis diis censent. Aut cum Saturnalia sint instituta, festiuitas facilè maxima, & in qua conuiuiorum oblectationisque plurimum vsurparetur, horum quoque primitias quasdam mortuis tribuere placuit? Quid si falsum omnino est, solum Brutum isto mense parentasse? cùm Larentiæ quoque mense Decembri parentetur, & ad sepulcrum eius libationes offerantur.

XXXV. *Larentiæ duæ.* Quid verò causæ est, quòd Larentiam tanto afficiunt honore, cùm fuerit meretrix? Aliam enim fuisse perhibent Accam Larentiam Romuli nutricem, quam Aprili mense venerantur. Sed Larentia scortum, cuius cognomen Fabula editur, hac ratione innotuit. Aedituus quidam Herculis abundans, vt fit,

ocio, solebat dies ludo talorum ac cuborum consumere. & quodam tempore, cum casu factum esset vt sociorum ludi nemo adesset, tædij impatiens ipsum deum ad cuborum ludum provocauit, hoc pactus, vt si vicisset Deum, aliquid ab eo beneficij consequeretur: sin victus ipse esset, se deo cœnam exhibiturum, & puellam elegantem quî cum concumberet. tesseris deinde duabus, vna prò deo, altera pro se propositis ac iactis, superatus stetit pactis, ac deo & cœnâ adornauit splendidiorem, & Larentiâ, quæ palàm corpore quæstum faceret, ei cœnæ adhibuit, fanîq; foribus clausis intus eam reliquit. porrò aiunt eam à Deo cognitam non humano fuisse more, iussamq; prima luce in forum prodire, & in quem primũ incideret, eũ obseruare amiciciamq; eius captare. Larentiâ vt surrexit & iuit, Taruntio cuidam occurrisse homini opulento, sed liberorum experti & iam ætate ad senium vergente: qui postquam notitiam ipsius habuit, cùm viuus familiæ præfecerit, tum moriens hæredem instituerit. Larentiâ postea temporis sub mortem opum suarũ hæreditatè P.R. nuncupasse: ideóq; honores ei istos haberi.

Cur Romæ portarum vna appellatur Fenestra, iuxta quam est Fortunæ qui vocatur thalamus? An quòd Seruius fortuna vsus secundissima, cum Fortuna consuescere creditus est, per fenestrã ad ipsum commeante? An hoc quidem fabulosum est? quoniam autem rege Tarquinio Prisco mortuo Tanaquil vxor Seruij, mulier prudens & regia, capite per fenestram exserto ciues allocuta permouit, vt Seruio regnum deferrent: loco id cognominis fuit inditum? XXXVI.

Cur inter ea quæ diis consecrantur, lege permissum est vt sola spolia sinãtur tempore corrumpi atque aboleri, neque ea licet reparare aut instaurare? An vt existimantes gloriam priorem simul cum spoliis intercidere, semper nouum aliquod virtutis XXXVII.

monimentum parare operâ dent? Aut potiùs, quòd cùm tempus signa contentionum cum hostibus habitarum obscuret, odiosum est & nimij discordiarum studij ea reficere atque innouare? Nam apud Græcos etiam parum laudis adepti sunt, qui primi lapidea aut ærea statuerunt trophæa.

XXXVIII. *Auguria.* Cur Q. Metellus, vir prudens ac ciuilis creditus, cùm esset factus summus Pontifex, auspiciis vti post Sextilem mensem, qui nûc est Augustus, prohibuit? An quoniam sicvt die nascente aut adulta istas res agitamus, itémq; initio & medio mensis: cauemus autem à diei fine & mensis tanquam agendo inutilibus: ita ipse etiam tempus anni post finitos octo menses reliquum, pro vespera quadam anni iam ad exitum vergentis ac deficientis habuit? An verò auibus vtendum est vigentibus & integris? tales autem sunt ante æstatem: circa autumnum morbis & imbecillitate languent aliæ, aliæ pulli adhuc sunt & imperfectæ, aliæ omnino ob anni tempestatem nusquam visuntur, in alias avectæ regiones.

XXXIX. Cur qui sacramento militari non tenebantur, etiamsi aliàs in castris & exercitu versarentur, non habebant ius interficiendi aut vulnerandi hostis? (Rem sic habere, Cato Maior in epistola quadam ad filium demonstrauit, qua iubet eũ si tempore completo militiæ exautoratus esset, domum redire: aut si manere vellet cum exercitu, ab imperatore potestatem cædendi necandíque hostis impetrare,) An quòd solam necessitatem oportet homini hominis necem permittere: qui nulla lege nullóve mandato hominem occídit, is homicida est? ideóque Chrysantâ laudauit Cyrus, quod sublato iam gladio hostem interfecturus, vt receptui cani audiuit, cæde sibi interdictum putans hominem intactum dimisit. Aut quòd qui in prœlio manum cum hoste est conserturus, si formidine victus pedem referat, non debet hoc impune ferre, aut exlex esse? non enim

tantum

tantum vtilitatis feriendo hoſtem adfert, quantum damni fugiendo. at qui exautoratus eſt, legib. proinde militaribus non tenetur: is verò qui rogauit vt quæ militum ſunt ſibi liceat agere, rurſum ſe legibus iam & imperatoris iudicio ſubmiſit?

Cur Iouis flamini non licet ſub dio invngi? An quia etiam filios in conſpectu patrum, aut generum vidente ſocero nudari inhoneſtúmque neſáſq; putabatur, neque antiquitus vnà lauabant? Pater autem eſt Iupiter, & eius oculis maximè expoſitum videtur quod eſt ſubſidio. An quemadmodũ in templo aut fano nudare ſeſe nefas eſt, ita aërem etiam ſub aperto cœlo & dio reverebantur, vt diis geniiſque refertum? itaque ergo pleraſque res neceſſarias ſub tecto facimus, domi noſmet occultãtes, & deorum ſubtrahentes conſpectui. Aut alia quidem ſoli ſacerdoti, alia lex per ſacerdotem omnibus imperat? Hoc ſanè modo apud nos coronatum eſſe, comam alere, ferro armatum Phocenſium fines nõ ingredi, propria ſunt ſacerdotis munia. pomum non guſtare ante æquinoctium autumnale, vitem nõ putare ante æquinoctium vernum, ferè à magiſtratu vniuerſis imperatur: vtrumque enim vt ſuo fiat tempore, edicitur. Eodẽ planè modo apparet apud Romanos proprium eſſe hoc pontificis, vt equo non vehatur, neque plures tribus noctes ab vrbe abſit, neque pileum (apicem ipſi vocant) vnde flaminis habet nomen, vnquam deponat. Multa verò alia pontifici dicta, ad omnes alios pertinent. de quibus hoc etiá eſt, ſub dio nõ invngi. Iſta enim ſicci (vt verbum exprimamus) corporis invnctio valdè malè apud Romanos audit: & exiſtimant non vllam aliam rem magis in cauſa fuiſſe quòd Græci ita emollirentur, & in ſeruitutem redigerentur, atque fuere gymnaſia & palæſtræ: quæ res multum tædij, malíque ocij vrbibus inferrent, vnde extiterint puerorũ obſceni amores, & corruptelæ corporum apud adoleſcen-

XL.

Bœoti ritus.

tes ob somnos, ambulationes, motúsq; suis omnia legibus determinata, ac victus exquisitiorem vulgari rationem. quibus rebus Græci paulatim, ac ne sentientes quidem armorum vsu abdicato, gratum habuerunt loco bonorum grauis armaturæ militum & equitum, agiles, palestritæ, formosiq; nominari. Hanc verò molliciem difficulter possunt effugere, qui sub dio nudantur: qui verò domi invngun tur, & corpora sua curant, ij nihil peccant.

XLI. *Nomisma priscum.* Cur antiquum nomisma ab vna parte lani bifrontis imaginẽ, ab altera nauis aut puppim aut proram insculptam habet? An, quæ vulgata est opinio, in honorem hoc fit Saturni, nauigio in Italiam advecti? Aut hoc ei cum multis aliis est commune? nam Ianus quoque, Euander, & Aeneas mari in Italiam appulerunt. Id profectò probabilius est, cùm vrbibus alia bono sint, alia necessitatibus inseruiant: ac bonorum maximum sit bona legum constitutio, necessariarum autem rerum, copia: quandoquidem Ianus eis vitæ rationem tradidit ordinatam moribus ad mansuetudinem redactis, abvndantiam autem rerum necessariarum præbet fluuius, eas partim à mari, partim ex agris convehens: ideò nomisma monimentum legumlatoris quidem habuit caput bifrons ob mutationem, vt docuimus, factam, fluuij autem nauigium. Alio etiam vsi sunt nomismate, cui bos erat insculptus, & ouis, & sus. quòd re maximè pecuaria se alerent, indéque opes pararent. Hinc & *Nomina vetera.* nomina apud veteres multa sunt deducta, vt Suilliorũ, vt Bubulcorũ, vt Porciorũ: autor Fenestella.

XLII. *Aerarium.* Cur Saturni templo vtuntur loco ærarij, ibidéq; contractuum monimenta adseruant? An quia obtinuit opinio, regnãte Saturno auaritiam apud homines iniusticiámq; locum non habuisse, sed fidem & iusticiam? Aut quia Deus ille fructuum atq; agricul turæ præesse creditur? Hoc enim falx designat: non *Falx Saturni.* id quod Hesiodum imitatus dixit Antimachus.

Hunc

Hunc contra situs est hirtus, genitalia patris
Acmonidæ Cœli Saturnus falce reuellens.

Ex vbertate autem frugum & venditione pecuniæ nascitur copia. itaque Saturnū autorem custodémque eius faciunt. Huic sententiæ testimonio esse id potest, quod coitus in forum, qui nono quoque die celebrantur, (Nundinas vocant) Saturno sunt cōsecrati. frugum quippe abundantia, venditioni & emtioni præbuit initiū. Aut hæc quidem vetusta sunt? Primus autē ædem Saturni ærariū fecit post exactos reges Valerius Poplicola, cùm sentiret locum istum munitum esse & conspicuum atq; ab insidiis tutum.

XLIII. Cur legati, vndecunq; Romam missi, ad Saturni ædem accedunt, ibíque nomina sua dant præfectis ærarij? An hoc fit eò, quòd Saturnus cùm fuerit peregrinus, hospitibus gaudeat? Aut historia potiùs quæstionem soluit? Antiquitus enim, vt apparet, quæstores legatis munera mittebant, quæ lautia dicebantur, ægrotantium curam suscipiebant, mortuíque funus è publico faciebant. nunc autem ob multitudinem legatorum qui veniunt, sumtu omisso id tamen seruatur, vt legati accedant præfectos ærarij, qui eorum nomina in tabulas referunt. *Lautia.*

XLIV. Cur flamini Diali non licet iurare? An quia tormentum liberorum est iusiurandum? sacerdotis autem & animum & corpus oportet torturæ esse expers. Aut quia non convenit de rebus paruis fidem non haberi ei, cui sacræ & maximæ sunt creditæ? Aut quia omne iusiurandum in exsecrationem periurij desinit? Est autem exsecratio tristis res & mali ominis: quæ causa est, vt dira imprecari aliis sacerdotes per leges non possint. Et sanè laudi datum est Athenis sacerdoti, quæ populo iubente Alcibiadem devouere noluit, votorum se, non detestandi causa antistitā esse inquiens. Aut quia publicum est periurij periculum, si homo impius ac periurus

pro ciuitate vota nuncupet ac sacris operetur?

XLV. Cur Veneralibus multum vini effunditur è templo Veneris? An verum est quod plurimi narrant: Mezentium Etruscorum imperatorem Aeneæ per internuncios pacem ea conditione obtulisse, vt sibi is annuum vinum daret: & abnuente Aenea, suis id vinum promisisse si prœlio victor discessisset: Aeneam cognita eius pollicitatione, diis vinũ id consecrasse, partáque victoria vinum è congestis vuis factum ante fanũ Veneris effudisse. An hoc signo monebant festos dies sobriè, non per ebrietatem debere agitari? quod dij magis delectentur nimium merum effundentibus, quàm bibentibus.

Sobrietas.

XLVI. Cur Hortæ templum antiquitus semper mansit apertum? An quia, vt Antistius Labeo tradit, ab hortando dictam deam, quæ ad honestas actiones exhortaretur & incitaret, existimauerunt vt industriam sempérque occupatam nunquã cunctari debere, nunquam inclusam impeditámve teneri? Aut potiùs ea est, quam nunc Horam dicunt, agilis dea & multis intenta negociis, quæ cũ obseruet omnia & solicita sit, nunquam ab ea res humanas negligi voluerunt indicare? Aut potiùs id quoque nomen, vt multa alia, Græcum est, significátq; deam inspicientem res: (horân Græcis est videre) ideóq; eius vt pervigilis semper apertum est templum? Quod si Horam ab hortando rectè deducit Labeo, videndum an non potiùs indidem dicatur orator, qui consulendo suadẽdóq; exhortetur & incitet, quàm aborando seu precando, vt nonnulli volunt.

Horta. *Hora.*

XLVII. Cur Vulcani fanum Romulus extra vrbem posuit? An quòd filius Martis cũ existimaretur, propter fabulosam illam Vulcani adversus Martem Veneris causa simultatem, Vulcanum in eadem vrbe eodémq; cum Marte domicilo esse noluit? Aut hoc quidem ineptum est? sed illud templum iam inde ab initio ædificatum à Romulo fuit, vt ibi vnà cũ collega

lega suo Tatio curiam haberet, in qua de rebus arcanis cum senatu absque interventoribus quietè possent consultare? Aut cùm Romæ ab incendiis statim à primis temporibus multum esset periculi, colendum quidem deum igni præfectum, sed extra vrbem locum ei assignandum statuerunt?

XLVIII. Cur Consalibus feriis equos asinósque coronát, & ociari sinunt? An quia feriæ istæ Conso, qui eque ster Neptunus est, aguntur, asinus tum equo cósors est, iuxtáq; fruitur vacatione laboris? Aut quia tum commoda nauigandi maris tempestas exhibita, iumentis qualemcunque quietem præbet?

IL. Cur qui magistratum petebant, mos erat vt hoc absque togis in indusio facerent? sic enim Cato tradit. An ne argentum in sinu gestantes suffragia redimerent? Aut potiùs quòd magistratu dignos non generis nobilitate, opibus, aut fama, sed vulneribus & cicatricibus cùm iudicarent, vt conspicua hæc essent, absque toga comitia obibant? Aut quemadmodum prænsando, orádo, & sese submittendo, ita nuditate quoque corporis humiliter gratiam populi captabant?

Mos petẽdi magistratũ.

L. Cur flamen Dialis vxore mortua Flaminio decedit? sic enim Ateius tradidit? An quia cœlibe miserior est qui vxorem amittit? qui enim vxorem duxit, eius domus perfecta est. qui ductam amisit, eius nó imperfecta modò, sed & mutilata est familia? Aut quia in plerisque sacris rebus obeundis vxor ei adest, neque ea absente peragi eas fas est? Cæterùm vxore mortua confestim aliam ducere neque factu fortasis facile, neque vt sit humanum videtur. Itaque etiam antiquitus vxorem repudiare non licuit, ac ne nũc quidem licet: nisi quod hoc permisit eius rei gratia interpellatus nostra ætate Domitianus: aderant autem discidio matrimonij sacerdotes, terribilia multa & invsitata atque tristia agentes. Minus autem hunc morem flaminis Dialis mirabitur,

Discidium coniugij.

Censorum mos. qui obseruauit etiam censorum altero vita defuncto, alterum abdicare se censura opus habuisse. Mortuo quidem Liuio Druso censore, collega eius Aemilius Scaurus abdicare nō antè voluit, quàm eum tribunorum plebis quidā duci in carcerem iusserūt.

LI. *Lares Præstites.* Cur Laribus, quos Præstites propriè vocant, canis præficitur, ipsi autem caninis pellibus amiciuntur? An præstites sunt qui præsunt, ideóque custodiam domus eius curæ, alienisque eos terrori esse par est, domesticis mansuetos? qualis est canum natura. Aut id verius est, quod nonnulli Romanorum dicunt? sicvt qui Chrysippum sectantur philosophi, dicunt oberrare quosdam malos genios, quibus loco carnificum dij vtantur in puniendis flagitiosis & impiis hominibus: ita Lares genios quosdam esse diros ac furiarum naturæ affines ad puniendum factos, qui in vitas & familias hominū inspiciant. itaque canum exuuiis vestiri, & canem eis adsidere, vt callidis scrutari atque vlcisci malorum facinora.

LII. Cur Manæ Genetæ canem immolant, votóq; petunt ne quis domi natorum bonus fiat? An quòd hæc dea ortui ac partui præest interitui obnoxiorum ac fluxorum corporū? (fluxum enim quendam & generationem, seu generationem fluxā vox à manando ducta indicat) vt igitur Græci Hecatæ, sic Romani Genetæ canē immolant pro domi nascentibus. Argiuos etiam Socrates ait cane Lucinæ rem sacram facere, ob facilitatē pariendi. Votum autem quid si non ad homines pertinet domi nascentes, *Bonus pro mortuo.* sed ad canes? vt hos optent non bonos aut placidos, sed iracundos fieri & terribiles. Aut quoniam venustè boni dicuntur, qui mortem cum vita commutauerunt, hoc voto oblique precantur ne quis domesticorum moriatur? Atque hoc alienum putare nemo debet. nam in fœdere Arcadum cum Spartanis facto scriptum esse Aristoteles testatur, Neminem Tegeatarum debere bonum redigi, (id est interfici

terfici) si auxilij causa reb. Lacedæmoniorũ studeat.

Cur ludis Capitolinis etiamnum præconis voce proclamant Sardianos vænales, & senex quidam lu dibrij gratia producitur bullam collo appensam ge rens puerilem? An quia Veientes Etruscorum popu lus per longum tempus Romulo bello restiterunt, hancque is vltimam vrbem cepit, multósque captiuos sub hasta vendidit vnà cum ipsorum rege, stultitatem eius & stulticiam deridens? nam Etrusci à Lydis originem trahunt, Lydorum primaria vrbs Sardes. ideò Veientes Sardianorum nomine procla mant, & in hunc vsque diem ludicri gratia morem istum conseruant. LIII. *Sardiani.*

Cur locus vbi carnes publicè venduntur, macellum dicitur? An consuetudo vt multa alia, ita hoc quoque vocabulum à magæris (qui Græca lingua sunt coci) deprauatum retinuit? sunt enim C & G cognatæ literæ, & G littera serò vti ceperunt à Sp. Carbilio adiecta reliquis: & qui blæsi sunt, lingua ob hebetudinem aberrante à R littera ad L delabuntur. Aut historia rem explicabit? Ferunt enim Romæ latronem truculentum fuisse, nomine Macellum, qui multis deverberatis vix tandẽ captus, supplicióq; affectus, & ex pecunia eius locus carnibus publicè vendendis ædificatus fuerit, nomen ab ipso habens. LIV. *Macellum.*

Cur Idibus Ianuarij tibicinib. permissum est per vrbem circuire, vestem indutis muliebrem? An hoc fit propter causam quæ subiicietur? Magnos illis ho nores Numa rex religionis causa contulerat. quibus cùm postea tribunis militum consulari potestate remp. administrantibus priuarentur, vniuersi Roma Tibur secesserunt. desiderati inde, quòd religio animos tenebat Romanorũ, nemine sacrificiis præcinente, accitíque cùm non obtemperarent, sed Tibure manerent, libertus quidam magistratib. promisit occultè, se eos Romam reducturum. Instructo LV. *Tibicines. Liuius lib. nono aliter.*

proinde polluctu, tanquam si diis rem sacram feciſſet, invitat tibicines, adhibitis etiam conviuio mulieribus,& per totam noctem compotatio,ioci,choreæque protrahuntur. tum subitò ficta trepidatione, improviso patroni superventu se perturbatum ait, persuadétque tibicinibus vt vehicula circumquaque pellibus obtecta conscendant, Tibur se eos revecturum dolosè promittens.ibi circumactis vehiculis eos, qui per temulentiam & tenebras animadvertere vbi locorum essent nequibant, vniuersos Romam prima luce perfert. erant autem pleriq; vestibus floridis & muliebribus amicti ob nocturnam comesationem & conviuium. Exinde cum magistratu tibicines in gratiam redierunt,decretúmq; est vt tali habitu istum diem eis per vrbem vagari liceret.

LVI. Quamobrē Carmentæ templum matronæ & antiquitus dedicauerunt, & hodie in primis colunt? Memoria proditum est matres, cùm vsu vehiculorum quibus iumenta trahendis iungerentur senatus ipsis interdixisset, inter se conspirasse,neq; vterum gerere se, neque párere velle, ac viros hac ratione vlciſci.idq; fecerunt,donec mutata sententia vsus vehiculorum concessus fuit.Exinde cum párerent, fecundæ & liberorum copia claræ templum Carmentæ posuerunt. Ea Carmenta nimirum Euandri mater fuit, nomine suo Themis, aut, vt alij volunt, Nicostrata. quæ cùm in Italiam venisset, oraculáque versibus illigata caneret,à Latinis Carmenta dicta est, voce à carmine deducta. Sunt qui Carmentam putent esse Parcam, ideóque ei matronas sacrificare.ratio autē nominis hæc est: Carens mente,ob instinctus videlicet diuinos,quibus ad fatiloqua fundenda carmina impellebatur.

LVII. Cur Ruminæ sacrificantes mulieres, lac victimæ invergunt, vinum non adhibent? An quia ruma Latinis mammam significat: & ruminalem ficum eam appel-

appellant, ad quam lupa mammâ Romulo præbuit: ergo Rumina, id est lactẽtibus ac nutricibus & alendis pueris præfecta merum non admittit, quod est infantibus pernicioſum?

Cur ſenatorũ alios patres conſcriptos, alios ſimpliciter patres vocant? An patres & patricij vocantur qui initio à Romulo ſunt lecti, qui poſſent ſuos patres ciere: qui verò poſtmodò è plebeiis adſcripti ſunt, patres conſcripti dicuntur? LIIX. *Patres duplices.*

Cur communis fuit ara Herculis & Muſarũ? An quia Euandrũ litteras docuit Hercules, vt Iuba narrat: réſq; ea videtur perhoneſta, cum litteras Priſci amicis ac cognatis traderent. Serò ceptùm eſt mercede doceri. primúſque ludum litterarium aperuit Sp. Carbilius, Carbilij libertus, eius qui primus vxorem dimiſit. LIX. *Ludus litterarius.*

Quare cùm duæ ſint aræ Herculis, mulieres nihil ſumunt neq; guſtant de iis quæ in earum altera immolantur? An quia poſt ſacrificium iam peractum ſupervenit Carmenta? Hoc idem familiæ Pinariorũ accidit, qui inde nomen habent. nam excluſi ab epulis, aliis edentibus eſuriunt. quod Græcè eſt πεινᾶν. Aut propter fabulá quæ de tunica & Deianira ferũ? LX.

Cur tutelarem Romæ deum, máſne ſit an femina, dicere aut quærere, eiúſq; nomen efferre nefas eſt? quod quidam interdictum à ſuperſtitione repetunt, narrantes Valerium Soranum malè periiſſe, quod nomen illud edidiſſent. An quia, vt nonnulli rerum Romanarũ ſcriptores tradunt, carmina quędam ſunt & præſtigiæ quibus dij eliciuntur: quibus vſi Romani cum putarent ſe quoſdá hoſtium deos ad ſe traduxiſſe, cauere voluerunt ne idẽ ſibi ab aliis eveniret? Itaque ſicvt Tyrij vincula iniicere ſimulacris dicuntur, alij autem cùm ea ad lauacrum aut luſtrationem aliquá deducunt, fideiuſſores pro reditu exigunt: ita Romani tutiſsimè ac conſtantiſsimè adſeruari deum crediderũt, qui neq; de nomine LXI.

notus aliis esset. An quēadmodū Homerus scripsit.

Iliad.ε,193. *Terra est communis cunctis cœlestibus una,*

vt homines vniuersos deos colerent æquo iure terram tenentes: ita prisci Romani salutis publicæ autorem occultauerunt, quod vellent non istum dun- 5
taxat, sed omnes etiā alios deos à ciuibus suis coli?

LXII. *Pater patratus.* Cur inter Feciales maximus est is, quem patrem patratum appellant? is autem est qui liberos habet viuo adhuc patre suo. atq; etiamnū priuilegium autoritatémq; aliquam retinet: prætores enim corpo- 10
ra quæ ob formam & florē ætatis custodia opus habebant pudica, eorum fidei commendant. An quia & liberos reverentur suos, & timent genitores? An ipsum nomen rem explicat? est enim patratum quasi

Iliad.α,70. perfectum & absolutum: & perfectior aliis putaba- 15
tur, qui viuo patre pater esset factus. Aut iureiurandi & pacis præsidem oportet Simul (vt ait Homerus) prorsum & retrorsum videre? id verò maximè præstare possit, qui & filium habet de quo consultet, & patrem qui cum deliberet. 20

LXIII. *Rex sacrificulus.* Cur regi sacrorum magistratū gerere aut orationem ad populum habere nō licet? An quod antiquitus reges pleraq; & potissima sacra peragebāt, inq; immolandis hostiis sacerdotibus aderant: cùm vero modum non seruarent, sed superbè iniquéque do- 25
minarentur, Græci plerique iis omnem ademerunt potentiam, id tantùm relinquentes vt diis sacra facerent. Romani autem regibus omnino eiectis, sacrificiis alium præfecerunt, neque magistratum gerere eum, neq; cum populo agere sinentes: vt nun- 30
quam nisi in sacris seruire, & in gratiam deorum sustinere regnum viderentur? Sanè à maioribus tradito ritu ante Comitium rex sacrorum postquā rem diuinam fecit, fuga sese inde è foro proripit.

LXIV. Cur mensa cùm tolleretur, semper omnino aliquid super ea volebant relinqui? An hac ambage 35
significabāt semper ex partis aliquid in futurū reser-

uandum,

uandum, & in præsenti die subsecuturæ aliquam habendam rationem? Aut scitum putabant appetitum cohibere, eúmq; reprimere dum adhuc aliquid ad fruendum in promptu est? minus enim appetunt absentia, qui præsentibus abstinere didicerũt. Aut ergo famulos aliquid habet humanitatis mos iste, qui sic quodá modo videntur à dominis ad societatem mensæ admitti? non enim tantum delectantur accipiendo, quantum participando. Aut rerum sacrarum nulla vnquam debet inanis relinqui? est autem mensa sacra.

Cur vir primò cum sponsa non congreditur luce, sed in tenebris? An præ verecundia, quod ante coitum alienam existimat? An etiam cum propria verecundè coire doctus? Aut quemadmodum Solon mandauit vt sponsa manducato malo Cydonio in thalamum veniat, vt prima salutatio non iniucunda sit aut ingrata: sic Romanus legislator occultari voluit si quod esset corporis sponsæ vitiũ? Aut eo more illiciti coitus damnantur, vbi etiam legitimis pudor adhibetur? LXV.

Cur Circorum vni nomen est Flaminio? An quòd cùm de priscis Romanis quidam Flaminius vrbem agro donasset, eius reditibus vsi sunt ad equestria certamina? cúmq; adhuc supereſſent pecuniæ, viam ex ea strauerunt, quam ipsam quoque Flaminiam appellauerunt? LXVI.

Cur qui fasces gerũt, lictores dicuntur? An quia Romulum sequebãtur lora in sinubus gerentes, qui *Lictores.* LXVII.
bus vincirent sontes? vulgus enim Romanum alligare, qui puriùs loquuntur, ligare vsurpant pro vincire? An hodie littera C vocabulo intercalata vsurpatur: antiquitus autem litores, quasi liturgi, id est qui publica ministeria exequerentur, dicti sunt? Nemo enim ferè nescit, etiamnũ in multis Græcorum legibus liton legi pro publico.

Cur Luperci (hi sunt qui Lupercalibus nudi, so- LXIIX.

Luperci. Canis.

lisq; præcincti subligaculis discurrũt,& scutica obvios feriunt) canem immolant? An quia Lupercalia vrbis sunt lustratio,& fiunt mense Februario,cui ab expiando nomen est:ipsorúmque dies februatus dicitur, cum februatio purgamentũ significet? Iam cane in piaculis ferè omnes vsi sunt Græci,vtuntúrque in hunc vsq; diem eo pro piaculari hostia nonnulli: Hecatæq; inter alia purgamenta etiam catuli offeruntur, expiandósq; catulis tangunt, quam februationem sua lingua periscylascismũ vocant. Aut lycus lupus est, Lycæa Lupercalia? canis ergo animal lupo inimicum Lycæis immolatur. Aut quia Lupercos per vrbem discurrentes allatrant & vexant canes? Aut quia Pani ista fiunt sacra,cui canis gratus est ob caprarum custodiam?

LXIX. *Septimontium.*

Cur festo die,qui Septimontium dicitur,vsu vehiculorũ quæ iumentis traherentur,antiquitus abstinuerunt, idq; etiamnum obseruant antiquitatis studiosi?Feriæ autem istæ institutę sunt propter adiectum septimum Romæ collem,quo facta est septicollis. An,vt quidã Romanarum rerũ scriptores putant,quia vrbis partes nõ sunt omnino inter se coniunctæ? Aut hoc quidẽ nihil ad rem facit? Sed cùm vrbe condenda magnũ opus peregissent,iámq; vlteriùs incrementũ vrbis nullum animo conciperent, quietem cùm sibi tum iumentis quorum opera fuissent vsi,per istas ferias parauerũt? Aut cùm vellent omnes festiuitates ciuium præsentia ornari,eam verò in primis quæ ob contractas in vnam multas vrbis partes instituta erat,ciuibus vsu vehiculorum iumentariorum ista die interdixerũt, ne vrbe cui dies agebatur festus,exirent?

LXX. *Furcifer.*

Cur furti,aut alius seruilis delicti damnatos furciferos dicunt?Nóne hoc quoq; vetustæ accurationis argumentũ est? Qui enim serui sui nequicosum factum comperisset,coẽgit eũ duplex lignum,quod curribus subiici solet,(furcam Romani appellant) per

per viciniam circumgestare in conspectu hominũ, vt ab eo sibi porrò cauendum esse scirent. Itaq; à furcæ gestatione dicebatur furcifer.

Cur ad cornua boum cornipetarum fœnum alligabant, quo obvij monebantur vt sibi cauerent? An quia ob satietatẽ luxuriant petulãtésq; sunt boues, equi, asini, & homines? sicvt alicvbi ait Sophocles: LXXI. *Fœnum in cornu.*

At tu ferocis pullus ut pastus nimis,
Buccis & uentre plenis. ——

Ideóque M. Crassum fœnum in cornu habere dicebant Romani: & qui alios in repub. solebant exagitare, ab illo sibi cauebant, & præteribant hominem paratum ad vlciscendum & oppugnatu difficilem. quanquã postmodò dictum fuit Cęsarem Crasso fœnum ademisse, cùm is primus in rep. eum contemsisset, séq; ei opposuisset.

Cur augurum, quos antè auspices nominabãt, laternas semper esse apertas voluerunt, neq; operculo vnquam tegi? An paruas res magnarum voluerunt esse tesseras, more Pythagoricorũ? Vt enim hi chœnici insidere, ac ignem gladio agitare vetabãt: ita prisci multis vsi sunt obscuris significationibus, maximè rerum sacrarum. de quibus etiam lucernæ hoc institutum est. Nam lucerna respondet corpori animum continenti, qui lumen est, sempérq; debet intellectus esse apertus ac perspicax, nunquã includi aut flatu extingui. Iam cùm venti spirãt, aues non constanter manent, neque firma auguria exhibent, quia tum vagantur & inæqualibus aguntur volatibus. ista igitur consuetudine docent captanda auguria, nõ cum venti flant, sed cum est tranquillitas, & apertis licet vti lucernis. LXXII. *Lucerna auguris.*

Cur interdictum erat auguri, Si vlcus haberet, aues obseruare? An id quoq; argumẽto est, animo ab omnib. molestiis ac quasi vlceribus & morsibus vacuo, sinceróq; & ocioso debere sacras res tracta- LXXIII.

ri? An rationi consentaneum est, cùm neque victimam aut auem vlcerosam vsurparet quisquam reisacræ faciundæ gratia, capiendíve augurij: multo magis ipsos augures curare, vt puri sincerique & integri ad diuina indicia obseruanda se conferant? Vlcus enim videtur quædam esse mutilatio & pollutio corporis.

LXXIV. *Fortuna.* Cur paruæ Fortunæ, quam Breuem vocant, fanú Seruius Tullus dedicauit? An quòd initio humilis & obscurus, matre natus captiua, Fortunę beneficio ad regnum Romæ evectus fuit? Aut magnitudinem potiùs mutatio ista quàm exiguitatem Fortunæ indicat? Omnium verò maximè videtur Seruius Fortunæ vim diuinam extulisse, omnibúsq; eam inscripsisse actionibus. Non enim Fortunæ duntaxat bonæ spei, auerruncæ, blandæ, primigeniæ, & virilis templa condidit: sed & propriæ Fortunæ ædes est, & cóvertentis, & bene sperantis, & virginis. & quid reliqua persequar cognomina? cùm viscatæ etiá Fortunæ templum sit, quasi eminus nos captantis & rebus adhibentis. Quin hoc vide, an non deprehenso Fortunam minimis momentis plurimum posse, multísque vsu venisse vt exiguis planè rebus aut evenientibus aut non contingentibus maxima consequerentur vel perderent, paruæ Fortunæ templum dedicârit: docens animum rebus esse advertendum, nihílque eorum quæ offeruntur ob paruitatem esse negligendum.

LXXV. Cur lucernam non exstinguebant, sed vltrò consumi atq; exstingui sinebant? An venerabantur eam vt cognatam & germanam ignis perennis & inexstinguibilis? An eo significabant, animata nisi noceant, interficienda non esse? animalis autem similis est lucerna, quòd & alimẽto habet opus, & à seipsa motum habet, & cùm exstinguitur, vocẽ edit quasi necata. Aut hic mos docet, neque ignem, neque vllam rem necessariam, cuius copia nobis suppeditet,

per-

perdere nos debere, sed aliis relinquenda esse quibus vsus est iis, vbi nos non ampliùs indigemus?

Cur qui nobilitate generis aliis præstare videbantur, lunulas in calceis gestabant? An, vt Castor ait, signum hoc est habitationis supra Lunam quæ fertur, & quòd post mortem rursus animæ Lunam sub pedibus habebunt? An hoc prisci habuerũt eximium, qui erant Arcades cum Euandro, & ante Lunam nati dicebantur? Aut, vt multa alia, hoc quoque institutum erat, vt rebus secũdis elati ac superbientes, mutationis Fortunæ in alteram partem admonerentur? Exemplo videlicet Lunæ, quæ LXXVI.

Primùm recens existit è caligine:
Fulgore dehinc subinde faciem splendido
Augescit illustrans: & cum pulcerrima
Renidet orbe pleno, rursus exuit
Lumen suum paulatim, & ad nihilum redit.

Aut obedientiæ sic adsuescere discebant, Lunæ exemplo præstantiori parere non recusantes? & quemadmodum illa secundas obit partes,

Phœbei semper radiis intenta nitoris,

vt canit Parmenides: ita ipsi quoque contenti esse secundo loco magistratibúsque obtemperare, ab iisq; potentiæ & honorum fructu aliquo impertiri.

Cur annum Ioui, menses Iunoni consecrant? An quòd in deos inuisibiles & soli intelligentiæ notos regnum obtinent Iupiter & Iuno: in eos qui conspectui patent, Sol & Luna? Efficit autem Sol annum, Luna menses. Neque simpliciter censendum est hos istorum esse imagines, sed ipsum in materia Iouem esse Solem, ipsamque in materia Iunonem esse Lunam. ideóque Iunoni nomen est à iuueneſcendo & Iunonem vocant Lucinam, quasi Lucidam diceres, putántq; eam in partibus auxilium ferre mulieribus, vt & Lunam. vnde illud: LXXVII. *Iupiter.* *Iuno.*

Per cœruleum astrorum polum,
Partus celerantemq; Lunam.

facilimè enim mulieres sub plenilunium videntur prolem eniti.

LXXIIX. Cur aues siniſtræ quæ dicuntur, in auſpicio habentur pro addicentibus? An verum hoc non eſt, multóſque decepit? An ſiniſtrum (ſi quis probabilibus argumentis velit vti) à ſinendo dictum eſt? ideóque auem quæ actionem ſuſcipi permittit, ſiniſtram pro ſiniſteria vulgus malè dicit. An res ita habet? cùm Aſcanio Aeneæ F. ſigna cum Mezentio collaturo fulgur à læua victoriam portendiſſet, rem in omen tractam in poſterum quoque fuiſſe obſeruatam. Alij tamen Aeneæ hoc vſu veniſſe dicunt. Et quidem Thebani, quòd læuo cornu in pugna Leuctrica fudiſſent hoſtem atque viciſſent, deinceps omnibus in prœliis principem locũ ſiniſtræ aciei attribuerunt. Aut potius verſus ortum Solis intuentibus ad læuam eſt ſeptentrionalis mũdi plaga, quam nonnulli dextram & ſuperiorem mundi partem appellant? hæc eſt Iubæ opinio. Quid ſi ſiniſtris natura imbecillioribus augures quaſi vim quandam addere, & defectum exſarcire? iſta ratione voluerunt? aut terreſtria cœleſtibus oppoſita cenſentes, quæ nobis læua videntur, arbitrati ſunt deos à dextra mittere?

Siniſtra.

LXXIX. Cur eius qui triumphum egiſſet, ac deinde mortuus crematúſq; eſſet, licebat os ſumtum in vrbem inferre ac deponere? hoc enim Pyrrho Liparæus tradit. An hoc fit in mortui honorem? Nam iis qui res præclarè geſsiſſent, atque imperatoribus hoc dederunt Romani, vt in foro ſepelirentur: vt Valerio & Fabricio. quorũ tamen poſteros aiunt ita invidiam honoris iſtius declinare ſolitos, vt funeri in forum allato fax ardens ſubiiceretur, ſtatimq; auferretur: facultate duntaxat ſepulturę in foro ſic confirmata.

Sepulcri honor.

LXXX. Cur cùm publico epulo exciperent eũ qui triumphum

phum duxisset,à consulibus missis internunciis petebant,ne ad cœnam venirent? An quòd locum assignari honoratissimum triumphatori oportebat, tractariq; eum magnificentissimè, & domum deduci peracta cœna:quæ omnia consulibus, si interessent, nulli alij licebat deferri? *Triumphi mos.*

Cur purpura prætextam vestem tribunus plebis non gestat,aliis magistratibus gerentibus? An quia omnino magistratus non est?nam neque lictores habet tribunus plebis,neq; pro tribunali sedens respõsa dat,neq; initio anni (quod alij solẽt magistratus) ineunt,neq; dictatore creato abdicat,sed omni magistratuum iure in hunc translato, ipse solus officiũ retinet suum:vtpote non magistratum gerẽs,sed diuersæ functionis ordinisq; persona. Atq; vt oratores nonnulli exceptionem negant esse iudicij genus, cũ contrarium eius quod iudicij est præstet:(iudicio enim sententia fertur,exceptione infringitur & aboletur)eodem modo censent tribunatũ plebis impedimentum potiùs magistratus esse, aliquídque huic adversum, quàm magistratum. Obviam enim ire potentiæ magistratus,nimiámq; eius licentiam retundere,munus est & potestas tribunatus plebis. An verò hæc & horum similia afferunt,qui causas commiscuntur?Sed cum tribunatus plebis populi voluntate extiterit, popularis etiam ratio vim in eo obtinet,magnúmq; habetur non supra plebem se in tribunatu efferre, sed interveniẽtibus ciuibus habitu, amictu,victúsq; ratione esse similem?Fastus enim cõsulem prætorémq; decet.tribunum plebis (vt dicebat C. Curio) conculcandum se præbere convenit, neq; maiestatem in vultu præ se ferre, aut aditus ad se difficiles facere,vel molestũ multitudini,sed propter hanc aliis ódiosum, popularibus autẽ tractabilem promptúmq; esse. Eam ob rem id quoque receptum fuit,vt tribunorum ianuæ nunquã clauderentur,sed noctes diésq; apertæ essent tanquam portus XXCI. *Tribunatus plebis.*

& perfugium ope indigentibus. Quanto autē ſubmiſsius ſe pro ſua perſona gerit, tanto magis augetur potentia tribunus. publicus enim exiſtimatur. quod ad vſum attinet, omnibúſq; acceſſus velvti ara: éſtq; honoris gratia ſacroſanctus & inviolabilis. quando etiam incedens in publico * * omnibus lege piacularis luſtratio mandatur, tanquam pollutis.

XXCII. *Faſces.* Cur Prætorum faſces colligati feruntur, appenſis ſecuribus? An id ſigno eſt, iram magiſtratus non debere eſſe in procliui & ſolutā? an ſolutio faſcium, quæ paulatim fit, moram aliquam iræ iniicit & cunctationem, & nonnunquam fecit vt ſententia de ſupplicio exigendo mutaretur? Iam cum vitiorum alia ſint ſanabilia, alia inſanabilia: virgis corrigebantur qui emendari poterant, ſecuribus amputabantur immedicabiles.

XXCIII. *Humanæ victimæ.* Cur Romani, cū inaudiuiſſent à Bletonēſiis, qui eſt populus barbarus, immolatum diis hominem eſſe, eorum magiſtratus acciuerunt, vt pœnas de iis ſumerent: cùm autem appareret legis cuiuſdam iuſſu id factū, miſſos eos fecerunt, ſed iſto ſacrificio in poſterū interdixerunt: ipſi autē non multis antè annis, duos viros totidēq; mulieres in foro boario, alteros Græcos, alteras Gallas, viuos defoderunt? Videtur enim abſurdū iſta facere, & barbaris tanquā nefaria exprobrare eadem. An diis immolare homines, nefas putabant: geniis autem, neceſsitatem cogere? Aut qui conſuetudine ac lege iſta ſacrificia recepiſſent, eos peccare exiſtimantes, ipſi Sibyllinis libris mandantibus iſtud fecerunt? Narrant enim Elbiam quandam virginem equo vehentem fulmine ictam, repertúmq; fuiſſe equum nudum iacentem, nudam quoque virginem ipſam, tanquam dedita opera veſtibus à genitali membro reductis, calceis, annulis, capitiſq; redimiculo hinc inde diſperſis, lingua extra os exſerta. Tum vates reſpondiſſe, ingens oppro

brium

brium sacris virginibus oblatum, foréq; vt publicè id innotesceret, sed & equitum coniunctum fore quoddam dedecus. Ibi barbari cuiusdam equitis seruum indicium detulisse de tribus Vestalibus virginibus Aemilia, Licinia, & Martia, sub idem tempus vitiatis, & quæ iam diu cum viris incestam consuetudinem habuissent, de quibus viris esset etiam Butetius indicis dominus. Et Vestales quidē criminis convictas, pœnas dedisse. Cæterū vt atroci in re pla cuisse, vt à sacerdotib. Sibyllini libri consulerētur. ibi invēta fuisse oracula, quæ eventura isthæc & malum publicum allatura prædicerent: cuius avertendi causa peregrinis quibusdā & alienis geniis duos Græcos, totidem Gallos homines viuos eo in loco defossos Romani iubebantur dedere.

XXCIIII. *Diei exordium.*

Cur à media nocte diei sumunt initium? An quia reipublicæ constitutio principio fuit militaris? nam in re bellica pleraq; noctu antè capiuntur vtilia consilia. Aut actionem ordiri sub ortum solis volentes, apparatui noctem destinauerunt? Priùs enim paratos ad agendum par est accedere, non inter agendum se parare: quod Myso Chiloni sapienti respondit, hyeme ventilabrum fabricans. Aut quia meridies plerisq; finis est publicas & serias res agendi, mediam noctem placuit pro exordio sumi? cuius rei magnum argumentum est, quòd nullus Romanus magistratus post meridiem fœdus aut pactum icit. Aut quia ortu occasuq; Solis principium & finis diei definiri non possunt? Quo enim modo pleriq; sensus arbitrio diei principium diiudicant primum Solis ortū, noctis autem plenam eiusdem occultationem: nullum habebimus æquinoctium, sed ob magnitudinem Solis nox etiam illa quam maximè æqualem diei credimus, die erit breuior. Quod autem mathematici absurdo huic medentes ac noctis discrimen in appulsu cētri solis ad horizontem seu finitorem circulum constituunt, id evidentiam

evertit. fit enim ista ratione, vt diem esse negare, & noctem etiamnũ durare cogamur fateri, cùm adhuc infra terram multa luce manente Sol nostram plagã illustrat. Quando igitur ortu & occasu solis principium diei & noctis ob dictas difficultates non potest percipi, restat vt pro principio diei sumamus illum articulum temporis, quo Sol vel in medio cœli est, vel in opposito eius pũcto. hoc autem posterius melius cõgruit. Sol enim à meridie versus occasum à nobis fertur: à mediæ noctis puncto versus ortum ad nos.

XXCV. *Mulierũ libertas.* Cur antiquitus mulieres neque molere sinebant, neque coquere? An memoria pactorum cum Sabinis initorum? Post raptum enim Sabinarum, & bellum pace mutatum id quoque in pactis scriptũ fuit, Mulierem viro Romano neque molere debere neque coquere.

XXCVI. *Maius.* Cur mense Maio mulieres nõ ducuntur? An quia is medio loco inter Aprilem est & Iunium, quorũ ille Veneri: hic Iunoni sacer est, numinibus matrimoniorum tutelaribus, vel antevertunt Maium, vel Iunium præstolantur? Aut quia mense isto maximam expiationem peragunt, simulacra nunc de ponte in fluuium, antiquitus homines iacientes? ideóq; etiã Flaminicam, quæ Iunonis habetur antistita, leges tunc iubent esse tetricam, lauacróq; & ornatu abstinere. Aut quia multi Latinorum isto mense parentant mortuis? atq; ideo fortasis Mercurius eo mense colitur, à Maia nomen ducente. Aut verius est quod alij dicunt? Maium à seniorum, qui sunt maiores, Iunium à minorum ætate nomẽ habere, qui sunt iuniores: magis autem cõvenit nuptiis iuuentus, vt & Euripides monet:

Etenim senectus Cypridem missam facit:
Annisq; onustos Venus auersatur uiros.

itaque Maio non contrahunt matrimonium, sed in Iunium

Iunium continuò sequentem differunt.

Cur nuptarum comam discriminant hastæ cuspide? An id signum est primas vi & bello fuisse ductas? Aut monentur nuptæ, quia bellicosis iungantur maritis, debere ipsas ornato vti simplici & à luxu ac mollicie alieno? quemadmodum Lycurgus fores & fastigia ædium iubēs ferra & securi, nullo alio adhibito instrumento fabricari, omnem luxum supervacaneámq; operam præcídit. Aut per ambages innuitur, solo ferro coniugium discissum iri? Aut quia pleraque ad nuptias pertinentia ad Iunonem referuntur? Junoni autem sacra habetur hasta, & pléræque eius statuæ hasta nituntur, ipsáq; dicitur dea Quiritis. hasta enim antiquis Quiris nominabatur. inde Mars Quirinus vsurpabatur. XXCVII. *Comam hasta discernere.* *Iuno.*

Cur pecunia quæ spectaculis impenditur, Lucar dicitur? An quia multi circa vrbem sunt luci diis consecrati, quorũ reditus in spectacula insumebãt? XXCVIII. *Lucar.*

Cur Quirinalia festum stultorum appellant? An q̃ dies iste his erat destinatus, vt Iuba scribit, qui suam curiam ignorabant? Aut quòd qui Fornacalibus feriis ob occupationes, peregrinationem, vel ignorationem non sacrificassent in sua tribu, iis permissæ fuerunt istæ feriæ harum loco obeundæ? XXCIX. *Quirinalia stultorũ festum.*

Cur in sacrificio Herculis nullus alius deus nominatur, neque intra sepimenta canis conspicitur? sic enim tradit Varro. An ideò alium deum non nominant, quia semideus censetur Hercules? Aut quia adhuc inter homines degenti Euander aram posuit, & victimam obtulit? id enim nonnulli tradunt. Omnium autem animalium nullum infestius habuit Hercules cane. hic enim ei plurimum negocij identidem exhibuit. & Cerberus canis fuit. ac præter omnia cùm Licymnij filium Oeonum canis causa interfecissent Hippocoontidæ, coactus pugnam committere, cùm alios sociorum multos, tum Iphiclum amisit. XC. *Hercules.*

XCI. Cur patriciis non licebat prope Capitolium habitare? An quia M. Manlius ibi habitans tyrannidem affectauit? propter quem illa familia iureiurando sese obstrinxit, nemini se ex ea Marci prænomen facturam. Aut antiquus tenebat metus? etenim Publicolam hominem magis quàm quisquam fuerit alius popularem non destiterunt calumniis impetere potentiores, metuere verò plebs, antequàm domũ suã ipsus diruit, & ea imminere foro videretur.

XCII. *Corona quercea.* Cur eum qui ciuẽ seruassẽt, corona donabãt quercna? An quòd vbique copia in expeditionibus est quercus, & quidem nullo negocio? Aut quia Ioui & Iunoni, sacra est ista corona, quibus diis vrbium tutelam adsignant? Aut prisca est hæc Arcadũ consuetudo, quibus aliqua est cum quercu cognatio? Primi enim hominum è terra enati creduntur, sicvt quercus inter stirpes prima.

XCIII. *Vulturum natura.* Cur ad auspicia maximè vsi sunt vulturibus? An quòd Romulus Romam condens duodecim vultures obseruauit? An quia auium omnium minimè ista frequenter conspici solet? non enim facilè in pullos vulturis incideris: sed ex remotis locis alicvndè subitò advolant: vnde sequitur, eorum conspectu aliquid portendi. An hoc quoq; ab Hercule didicerunt? Si tamen verum est quod Herodorus scripsit, Herculem in auspicio capiendo maximè delectatum fuisse vulturibus oblatis, quòd hanc omnium volucrium carnivorarum iustissimam censeret. Primùm, quia nihil animatum tangit aut necat: id quod aquilæ faciunt, accipitres, & quæ noctu volant aues: sed solis vescitur cadaueribus. Deinde quòd suæ quoque naturæ & generis cadauera præterit. nemo enim vnquam vidit à vulture auem gustari: cùm aquilæ & accipitres maximè insectentur & occidãt aues. at verò vt est apud Aeschylum,

Incesta auis sit oportet, si uolucrem uoret.

Præterea hęc auis minimè omnium aliarum homini nocet

nocet, cùm neque fruges perdat, neq; plantas, neq; vllum manſuetum animal lædat. Denique ſi verum eſt quod Aegyptij perhibent, totum vulturum genus eſſe femininum, & concipere ſubſolani flatu excepto, ſicvt arbores Fauonij admiſſo ſpiritu: omnino probabile eſt præſagia ab iis ducta, firma eſſe & erroris vacua: cùm in aliis agitatio circa coitum, tum rapinæ, fugæ, inſectationéſque multum tumultuationis & incertitudinis exhibeant.

XCIV. *Aeſculapius.*

Cur Aeſculapij fanum extra vrbem eſt? An quia ſalubrius extra, quàm intra vrbem degi putant? quam Græci quoque ferè locis puris & ſublimibus poſita Aeſculapij habent ſacraria. Aut quòd deum illum Epidauro accerſitum veniſſe Romam exiſtimant? Epidaurij autem non in vrbe, ſed procul inde templum Aeſculapij habent. Aut quòd angue apud inſulam è trireme egreſſo & è conſpectu hominum ſublato, ipſum deum arbitrantur locum ſui templi indicaſſe?

XCV. *Legumina.*

Cur caſtimoniam ſeruantibus vſu leguminum eſt interdictum? An fabam ob eaſdem quas Pythagorici cauſas abominati ſunt? lathyrum autem & erebinthum (hoc eſt piſum, puto, & cicerem) quod lathæ & erebo, id eſt letho & orco nomina horum ſunt affinia? Aut quòd ad circum potationes funebres & mortuorum evocationes maximè vtuntur leguminibus? Aut potiùs quia ad caſtimoniam afferre oportet corpora pura & tenuia? legumina autem flatus generant, & ſuperfluitatem gignunt multa opus habentem expurgatione. Aut quia etiam ad rem veneream inſtigant ob flatuum & ſpirituum generationem?

XCVI. *Veſtalium impudicarũ pœna.*

Cur Veſtales virgines ſi pudiciciam prodiderũt, non alio afficiunt ſupplicio, quàm quòd viuas defodiunt? An quia mortuos cremant: cremare autem eam, quæ ignem ſacrum non cuſtodiuerit piè, iniuſtum eſſet? Aut quia corpus ſummis conſecratum

cæremoniis interficere,& manus adferre sacræ mulieri,nefas censentes,ipsam vltrò mori volentes infra terram demiserunt,in exstructum ad hoc domicilium, vbi & lucerna ponebatur ardens, & panis, atque lactis & aquæ nonnihil, deinde terra supernè ingesta occultabatur locus? Ac ne hoc quidem modo defunctos sereligione putabant, sed hodiéque mos obtinet, vt ad illum locum sacerdotes accedentes parentent.

XCVII. *Equus Marti immolatus.*

Cur Idibus Decembribus exhibitis equestribus ludis, dexter equus victor Marti sacer immolabatur,& caudam aliquis amputatam fert ad locum cui Regia nomen, arámque cruentat,de capite alij à sacra via,alij à Suburra descendentes depugnant?An, quæ est quorundam opinio, equo Troiam captam putantes,equum plectunt?vt potequi sint

Troum splendida proles natis mixta Latinum.

Aut quia animosa est bestia, & bello apta atq; Martialis equus?diis verò ea potissimùm immolant,quę iis accepta sunt & cõvenientia? victor autem equus mactatur,quia deo victoria est accepta ferenda.Aut rectiùs hoc dicetur, opus illius Dei statariã esse pugnam, victoriámque stando suos ordines qui seruant de fugientibus reportare: itaque puniri celeritatem vt fugæ commeatum,moneríque isto argumẽto ciues, fugientibus nullam esse salutis fiduciã?

XCVIII. *Anseres sacri.*

Cur censores vbi magistratum occeperunt,nihil prius habent locatione alimentorum pro sacris anseribus, & simulacri exornatione? An quia volunt ab iis ordiri, quæ sumtuum & occupationis minimum desiderant? Aut pro veteri beneficio animalibus hæc refertur gratia, quòd Gallos Roma capta iam muros Capitolij superantes canibus dormientibus senserunt anseres,vigilésque suo clangore excitauerunt? Aut censores,cùm rerum maximarum custodia ipsis demandata officiiq; ipsorum esset accuratè

curatè obseruare & inspicere in sacra, res publicas, vitas, mores, rationémque victus: initio statim vigilantissimum animal procurant, eáque industria ciues hortantur, vt sacrorum curam diligentem gerant? Simulacri autem illustratio necessaria est. minium enim quo antiqua simulacra inducebant, colorem habet facilè evanescentem.

Quid causæ est, quòd cùm alios sacerdotes in locum damnatorum atque solum vertere iussorum sacerdotióque priuatorum sacerdotum sufficiant: soli auguri, etiamsi summorum flagitiorum compertus habeatur, non abrogant sacerdotium, quandiu viuit? An quòd sacrorum arcana à quoquam qui sacerdos non sit cognosci nolunt? Aut quia iureiurandi, quo sanxit se nemini disciplinam istam traditurum, eum abrogata dignitate factum priuatum soluere nolunt religione? Aut non magistratus vel dignitatis, sed scientiæ artísque nomen est augur? vt qui vatem ne vates sit prohibere conetur, perinde agat, ac si musico ne musicus, aut medico ne medicus sit, velit edicere: cùm vt maximè titulum deroget, scientiá tamen adimere non possit. Alium porrò non creant, quòd numerum augurum ab initio constitutum retinere volunt. XCIX. *Augur.*

Cur Idibus Sextilis, qui nunc Augustus dicitur, feriæ sunt vtriusque sexus seruis, mulieres autè tum maximè lauare & purgare capita studeant? An hoc seruis datum, quòd ea die Seruius rex natus è captiua fuit ancilla? lotio autem capitis ab ancillis feriarum causa cepta, etiam ad liberas pervasit? C. *Seruorum feriæ.*

Quare pueros bullis ornant? An in honorem raptarum id quoque, vt multa alia, decretum earũ natis est? Aut Tarquinij virtutem hoc modo venerantur? Is enim etiamnum puer in pugna adversus Latinos simul Etruscósque commissa fertur in hostes impetum dedisse, delapsúsque de equo irruentes audacter substitisse, Romanorúmque animos au CI. *Bullæ. Tarquinius.*

xisse: fusisq; magno prœlio hostibus, quorum interfecti sunt sedecim millia, à rege patre suo virtutis ac rei optimè gestæ illud præmium accepisse. An quia antiquis formosos seruos amare inhonestũ nõ erat, (quod etiamnum comœdiæ testatum faciunt) ab ingenuis autem maximopere abstinebant: ideóque vt ne nudis quidem incidentes errarent, id insigne liberi gestabant? An ad ordinis hoc quoq; signum rationem commodam pertinebat, tanquam frenum immodestiæ iniectum, cùm puderet in viros evadere priusquam puericiæ signum deposuissent? Probabile enim non est quod Varro tradit, quia consilium (Græcis hoc bule est) Aeolicè bolla dicatur, hoc pueris signum probi consilij fuisse additum. Sed vide an non bullam quoque propter Lunam gestent? Lunæ enim figura, cum dimidiato fulget orbe, non est globi similis, sed lentis aut disci formam præ se fert. vtque opinatur Empedocles, etiam subiecta ei materia.

CII. Cur pueris nono, puellis octauo die nomen imponitur? An causa est naturalis, quod priùs puellis? femina enim citiùs augetur, ad vigorem pervenit atque absoluitur quàm mas? Dies porrò post septimam sumunt. Septima enim periculosa est infantibus, cùm aliàs, tum quòd ea die vmbilicus décidit plerisque. quod antequam fit, plantæ quàm animalis similior est infans. Aut maribus & feminis hunc dierum numerum censuerunt congruere, Pythagoricos secuti? Hi enim marem imparem numerum vocant, parem feminam. Impar enim fœcundus est, & in compositione præstat pari: diuisisque in vnitates ambobus, par instar feminæ vacuum in medio relinquit spacium, impar semper medium habet plenum. Aut quia omnium numerorum nouem primus est quadratus, natus ex ternario qui est impar & perfectus: octo autem, primus est cubus natus è binario pari? oportet autem marem

Dies. Numeri.

quadra-

quadratum esse, & agilem, & perfectum: feminam cubi instar stabilem, domi affixam, & non facilè mobilem. Hoc addendum, Sicvt nouem quadratus est ternarij, octo cubus binarij: ita mares tribus, feminas duobus vti nominibus.

CIII. *Spurij.*

Cur eos, qui patrem certum non habent, spurios appellant? Est quidem Græcis sporos semen. sed tamen verum non est quod idem putant, & rhetores in orandis causis afferunt, sic dictos quòd promiscuo semine sint nati. Sed Spurius prænomen est, vt Sextus, Decimus, Caius. Porrò non integra scribunt Romani prænomina, sed aut vnica littera notant, vt Titum, Lucium, Marcum, sic: T. L. M. aut duabus, vt Tiberium, Cneum, sic: Ti. Cn. aut tribus, vt Sextum, Seruium, sic: Sex. Ser. Spurius quoque duabus litteris indicatur, Sp. Iisdem litteris etiam nothos significant S. P. nimirum Sine Patre. quæ res errori ansam præbuit, cùm Spurius & incerto patre natus iisdem elementis notarentur, vt hi quoque spurij vsurparentur. Est & alia, verùm absurdior ratio. Aiunt à Sabinis pudenda mulieris spurium nominari: itaque sic ignominiosè appellari qui ex non nupta muliere natus esset. *Prænomina.*

CIV. *Liberpater.*

Cur Baccho Liberi Patris nomen imposuerunt? An quòd bibentibus libertatem ingenerat? plerique enim per ebrietatem feroces, liberíque nimium sunt. Aut quia liba exhibuit? Aut, vt Alexander tradit, ab eo, quod Bacchus apud Eleutheras Bœotiæ vrbem Eleutherius, id est liber, dictus fuit.

CV. *Nuptiæ.*

Cur publicis feriis mos non est nubere virgines, nubunt tamen viduæ? An causa est, quâ adfert Varro? Virgines nubere inuitas & tristes, mulieres autem cum lætitia: festo autem die nihil cum molestia, omnia lubenti animo sunt agenda. Aut quia decori est virginibus nuptias earum multis præsen-

tibus peragi, idémque viduis dedecori? primæ enim nuptiæ optandæ sunt & in precio: secundę votis recusandæ, quòd vel cum turpitudine nubunt viuente priore marito, vel cum luctu, si is sit mortuus. itaque viduæ ad suas nuptias quiete magis gaudent quàm frequentia hóminum & tumultu. festiuitates porrò multitudinem ad se trahunt, neq; nuptiis vacare patiuntur. Aut quia festo die raptis Sabinis virginibus bellum est exortũ, religio ipsis inde fuit virginum nuptias festis diebus celebrare?

CVI. *Fortuna.* Cur Fortunam Primigeniam Romani venerantur? An, quæ multorum est Romanorum opinio, Ser. Tullo ex ancilla, vt fertur, nato Romæ regnum Fortunæ beneficio obtigit? Aut potiùs quòd ipsi Romæ sui ortus initia suggessit Fortuna? Aut causam res habet magis ad naturalium rerum contemplationem referendam? nimirũ omnium rerum principium esse fortunam, & naturam ex eventis fortuitis constitui, quando fortuita eventa ordinem inter se sortiuntur.

CVII. *Histriones. Liuius initio 7.* Cur scenici artifices Baccho sacri, histriones dicuntur? An veram causam Cluuius Rufus? Is narrat priscis temporibus C. Sulpitio & Licinio Stolone Cos. pestem Romę grassatam omnes ad vnum scenæ administros exstinxisse. itaque alios requirentibus aduenisse ex Etruria multos bonósq; eius rei artifices: inter quos gloria & vsu artificij longissimo præstantem reliquis fuisse Histrum nomine: ab eo cæteris quoque histrionum nomen factum.

CIIX. *Cognatæ nõ ductæ.* Cur cognatas non ducunt vxores? An vt coniugiis augeant necessitudines, multósque sibi parent cognatos aliis dando, ab aliis accipiendo mulieres? Aut metuentes sibi à discordiis coniugialibus, quæ exortæ inter cognatos, præter coniugum debitum amorem etiam naturæ iura essent abolitura? Aut videntes mulieribus ob imbecillitatẽ opus esse multis defensoribns, noluerunt cognatas ducere, vt ipsis

vt ipsis auxilio esse possent si à maritis iniuria afficerentur?

CIX. *Farina. Fermentũ. Flamen Iouis.*

Quamobrem flamini Diali non licebat farinam aut fermentum tangere? An quia farina alimentum est imperfectum & crudum? nam neque mansit triticum id quod erat, neque factum est quod fieri debet, nimirum panis: sed simul & seminis vim amisit, & vsum cibi non est assecutum. Itaq; poëta farinam mylephaton translatione vsus dixit, quasi interfectum & perditum molendo frumentum. Fermẽtum cùm ipsum natum est ex corruptione, tum farinã cui admiscetur, corrumpit, vt languidior fiat & inefficax. omninóq; fermentatio putrefactionis speciem gerit: quæ si modum excedat, planè acidam reddit & perdit farinam.

CX. *Caro.*

Quare eidem interdictũ est contactu carnis crudæ? An is mos quàm longissimè à crudorum esu abducit? Aut eadem quam de farina attulimus causa subest? Caro enim neque animal est, neque cibus adhuc est reddita: assatio & elixatio qualitatib. eius mutandis formam demum aliam inducunt. recens autem & cruda caro neque adspectum quidem habet purum & labis expertem, sed deformem visuíq; adversum, & vlcerosum.

CXI. *Capræ. Epilepsia. Canis.*

Cur eundem lex iubebat canis & capræ cùm tactu, tum nominatione omnino abstinere? An caprę abominabantur lasciuiã, fœtorémq;? an quòd morbo comitiali animal istud obnoxium est, contagionem mali metuebant ad eos perventuram, qui tum vescerentur capra, aut eam tangerent, cùm in morbo est? Causam morbi tradunt esse angustiam meatuum per quos spiritus fertur, ob quam is sæpe intercipitur. pro argumento vsurpant vocis tenuitatem. nam & homines morbo Herculeo correpti exilem vocem emittunt, balatui adsimilem. Cani fortasis minus adest fœtoris & lasciuiæ. quanquam sunt qui canem & arce Athenienſi, & Delo insula

aiunt arceri, propter coitum in propatulo: quási verò boues, sues, & equi non promiscuè & palàm, sed intra thalamos proli dent operá? Isti veram causam ignorant. Quia canis animal est pugnax, ideò asylis & sacrosanctis prohibetur sacrificiis, in quibus omnis periculi exsors perfugium supplicibus conceditur. Veri ergo simile est Iouis quoq; sacerdotem, vtpote viuum, sacrúmq; perfugij simulacrú, ad se liberè admittere quosvis supplices & deprecantes, nemine arcente aut terrente. Itaq; lectulus ei positus erat ad ipsum domus vestibulum: & qui ad genua eius accidisset, is ea die à verberibus & supplicio immunis erat: ac si vinctus accessisset, soluebatur. Vincula autem foras nõ per ianuá, sed de tecto in publicum proiiciebantur. Nihil verò supplicibus profuturum erat, si ita benigno, & humano se præbente flamine, canis adsistens hanc veniam petituros terruisset atque arcuisset. Enimverò canem antiqui non vsquequaque mundum esse iudicabant. nam & nulli cœlitũ is immolabatur: & Hecatæ terrestri in trivio cœnæ loco missus, piacularis sacri, avertẽdi mala expiandíq; gratia facti partes obibat. Lacedæmone porrò Marti, deo cædibus deditissimo, catulos insecabant. apud Bœotos publicum est sacrificium, quo cane in duas discisso partes, per earum medium transibant, ipsi Romani Lupercalibus mense Februario cane litant. Itaque abs re non est, quod sacerdoti supremi ac purissimi numinis familiæ suæ canem aut aliquid cum eo rei habere nefas statuerunt.

Supplicandi ritus.

Canis.

CXII. Cur eidem non licet ederam tangere, neque per viam transire, vbi vitium propagines in sublimi sunt prætentæ? An hæc horum sunt similia, Non edere in curru, neq; insidere chœnici, neq; scopas transcendere? non ista metuentibus aut caueri volentibus Pythagoricis, sed aliis rebus per has ambages interdicere. Ad vinũ enim refertur, quod subire viti prohi-

Vinum.

prohibetur sacerdos: scilicet nefas esse eum inebriari. qui enim ebrij sunt, eorum superius capitibus est vinum, atq; ea degrauat & premit: cùm par sit voluptate ista superiores esse, & non vinci à vino, sed ei moderari. Ederam autem an vt sterilem & invtilem hominibus, imbecillámque & ea de causa aliis quibus innitatur opus habentem, vmbráque & virore suo multis quasi præstigiando imponentem nõ voluerũt absq; emolumento & frustra in domibus ali, & circumplicare se aliis stirpibus, quibus ea re nocet, solúmque occupat? Hanc quidem ob rem edera & Olympiis sacris arcetur: & neque Athenis in Iunonis, neq; Thebis in Veneris sacris reb. vllus ederæ sylueſtri locus est. Bacchanalibus, aliisq; id genus sacris, quorũ maior pars peragitur in tenebris, adhibetur. An hoc ipso etiam signo orgia Bacchi volebant esse vetita? Bacchicis enim furoribus deditæ mulieres, rectà ad ederam feruntur, eámq; discerpunt manibus arripientes, & vorantes. ita vt nõ plane careat quod nonnulli dicunt, inesse spiritũ edere, qui de statu rationis deturbet, mentémq; abalienet, exagitétq;, & prosus ebrietatem à nullo ortam vino inducat, ac permolestam: si quis alioquin hominum ad concitationes animi furiosas, instinctúsve diuinos sit procliuis. *Edera.*

Cur iisdem flaminibus Dialibus permissum non est vt magistratum suscipiant aut ambiant? cum tamen & lictorem habeant, & sellam curulem, honoris gratia, vtque ferant æquiore animo magistratuum gerundorum facultatem sibi ademtam? An quia in Græcia etiam aliquibus in locis sacerdotium dignitate regno cùm æquale esset, repulsam passos sacerdotio dignati sunt? Aut potiùs, quòd cùm certæ & ordine definitæ essent sacerdotum actiones, regum verò ordine carentes & infinitæ, fieri non poterat, vt qui rex simul sacerdósque esset, diuersi generis in eundem XCIII.

temporis articulum incidentibus negociis vtrumque procuraret: sed necesse erat futurum vtroq; vrgente alterum omitteret, itáq; interdum deos ritè nõ coleret, interdũ ciuibus esset damno? Aut quòd in magistratus humanos intuentes, cum non minus necessitate eos, quàm potestate administrari obseruarent: populíq; principem (quod de medico Hippocrates pronunciauit) multa horrenda adspectu videre, multa tangere, & ex alienis miseriis pro fructu suas capere molestias: impium rati sunt istũ diis sacrificare, & auspicẽ esse diuini cultus, qui damnationibus & capitalibus, lethóque finitis suppliciis ciuium (non rarò etiam cognatorum & domesticorum, vt Bruto vsu venit) interfuisset.

Magistratus medico similis.

Quæstiones Græcæ.

I. QVI sunt apud Epidaurios conipodes & artyni? Rempublicam tractabant cxxc viri. Ex his senatores deligebant, quos appellabãt Artynos. maior porrò populi pars ruri solebat versari. vocabantur autẽ conipodes, quasi pulueripedes, quòd agnoscerentur è pedibus puluerulentis, quoties in vrbem veniebant.

II. Quæ est apud Cumæos Onobatis? nomen hoc à conscenso asino est factum. Depræhensarum in adulterio mulierem in forum producebant, & in lapide omnibus conspicuo sistebant, deinde asino impositam circa vrbem circumducebant, postea rursum in eodem lapide adstare coacta, infamis per totam habebatur vitam, & vocabatur onobatis. lapidem autem ob eam rem vt pollutum abominabantur. Magistratus etiam apud hos fuit, qui phylactes dicebatur à custodiendo. Eum qui gerebat, reliquo tempore carcerem custodiebat. Nocturno autem concilio

Adulteræ pœna.

cilio in senatum veniens, manu iniecta reges educebat, ac detinebat donec occultè latis suffragiis de iis iudicasset senatus, iniusténe agerent nécne.

Quæ est apud Solenses Hypeccaustria? Sic appellabant Mineruę antistitam, quòd auerruncandorum malorũ gratia certis quibusdá sacris operatur. III.

Qui sunt Cnidiis Amnemones, & quis Aphester? Ex optimatibus viri LX delecti erant, quibus per omnem vitam tanquam inspectoribus vtebantur, & eorum summis in negociis autoritatem sequebantur. Amnemones, id est immemores dictos suspicari licet, quòd factorum rationes ab iis non exigebantur: aut potius me hercle, quòd plurimum valerent memoria. Aphester autem dicebatur, qui sententias interrogabat. IV.

Qui sunt apud Arcades & Lacedæmonios chresti, id est boni? Lacedæmonij Tegeatis reconciliati, fœdus pepigerunt, & communem columnam ad Alpheum posuerunt: in qua inter alia fœderis capita hoc scriptum erat, Messenios regione pellunto, Neminem bonum faciunto. hoc Aristoteles interpretans, ait eo significari Tegeatarum neminem debere interfici, qui auxilij causa Laconicis rebus studeret. V.

Quis est apud Opuntios Crithologus? vox hordeum legentem designat. Græcorum pleriq; in vetustissimis sacrificiis hordeo vtebantur, primitias eius ciuibus offerentibus. Præsidi itaq; sacrorum, & primitias istas colligenti, hoc nomen factũ est. duos autem habebant sacerdotes: vnum qui deorum, alterum qui geniorum sacra administraret. VI. *Hordeum in sacrificiis.*

Quæ sunt ploiades nebulæ? quæ maximè imbrem conceptum haberent, & circumagitarentur, sic appellabantur. Theophrastus libro de iis quæ in sublimi fiunt quarto: Ploiades, inquit, nebulæ sunt, & quæ consistunt. immobiles autem & colore albo differentiam quandam materiæ indicant, neque in aquam neque in spiritum conversæ.

VIII. Quis est Bœotorum Platychætas? Sic appellabãt ædibus agrísve suis vicinos & conterminos, tanquã plurimum possidentes. apponam autem vnam vocem ex lege thesmophylacij seu archiui, cùm sint plura vocabula. *

IX. Quis est apud Delphos Hosioter, & cur vnum de mensibus appellant Bysium? Hosioter est victima quæ immolatur cùm creatur Hosius. (vox sanctum notat) Quinq; autem sunt hosij per omnem vitam, multísque in rebus adsunt vatibus, atque vnà etiam sacrificant: quippe à Deucalione genus crediti trahere. Bysius mensis, vt pleriq; putant, Physius est, à nascendo sic dictus. est enim veris initio, quo tempore pleraque nascuntur & germinant. Sed res ita non habet. Non enim Delphi B littera pro Ph vtuntur (vt Macedones, qui Bilippum, Balacrum, Beronicam dicunt, quæ sunt Philippus, Phalacrus, Pheronice) sed loco litteræ Psoliti bateîn dicere & bicron, quæ sunt pateîn & picron. Est ergo Bysius dictum pro Pysius, quod eo mense deum scitatur. Atque hæc sententia convenit cum antiquis Dephorum obseruationibus. Mense enim isto oraculũ primò exstitit, sed septimanam istam deo natalitiã putant, polyphthonúmq; nominant, non à coquendis phthoibus, quod est placentæ genus, sed quòd multa tum responsa deus edat. Serò enim cepit singulis mensibus oracula requirentibus respondere, antiquitus semel duntaxat in anno vaticinabatur Pythia, idq; ista die: vt Callisthenes & Anaxandridas tradiderunt.

X. Quid est phyximelum? planta est exigua & humi iacens, cuius germina pecus inambulans conculcat atque affligit, & incrementum impedit. cùm itaque se subiicit, & ad iustam magnitudinem pervenit, evitatis ouium iniuriis ac damnis, phyximelum dicitur, testis Aeschylus.

XI. Qui sunt aposphendoneti? quasi fundarum telis pulsos

pulsos diceres. Corcyram insulam Eretrienses incolebant, Charicrate autem à Corintho cum copiis profecto, bello ab eo victi, conscensis nauibus domum versus nauigarunt. ciues re maturè animadversa, arcuerunt eos patria, fundíque impetentes egredi in terram non sunt passi. Cùm itaque neque persuadere hominibus rigidis, neq; vim facere multitudini eorum possent, in Thraciam nauigauerunt. Ibi loco occupato, quem prius coluisse Methon Orphei de posteris vnus fertur, vrbem Methonam nominauerunt. ipsi à vicinis aposphendoneti sunt appellati.

XII. *Delphica sacrificia.*

Quid est apud Delphos Charila? Delphi tres deinceps nono quoq; anno agunt solennitates, Septerium, Heroida, Charilam. Septerium imitationem habet pugnæ Apollinis cum Pythone, & à pugna fugæ dei ad Tempe, aut persecutionis. alij enim fugisse eum ferunt, quòd peracta cæde opus expiatione haberet: alij Pythonem saucium & fugientem via, quæ nunc Sacra dicitur, cum insequeretur, superveniisse ei recèns è vulnere mortuo, & funerato à filio, cuius nomen Aex, id est capra, perhibent. Septerium ergo harum, aut similium rerum imitatio est. Heroidis pleraque fabulosam habent rationem, Thyadibus notam: exiis quæ aguntur, liquidò quis excitationem Semeles coniiciat repræsentari. De Charila hæc traditur fabula. Fame ob anni siccitatem vrgente Delphos, cum liberis & vxoribus ciues ad fores regis supplices venerunt. Is farina & leguminibus notiores sibi (non enim omnibus sufficiebat) impertiit. puella autem paruula cum accederet orba parentibus, & instaret petendo, calceo malam eius percussit, calceúmque in faciem eius coniecit. hæc, vt erat animo minimè abiecto, pauper alioquin & deserta, è medio se subduxit, cingulóque soluto fauces illigans sese suspendit. Tum crescente penu-

ria,& morbis accedentibus, Pythia regi reſpondit, Placandos eſſe manes Charilæ virginis quæ ipſa ſibi mortem conſciuiſſet. Vix tandem inveſtigato id no men puellæ quæ alapam accepiſſet fuiſſe, piaculare quoddam ſacrificium peregerunt, quod etiamnum nono quovis anno fit. præſidet rex, & farinam leguminâque impertit omnibus & peregrinis & ciuibus. infertur puerile ſimulacrũ Charilæ. poſtquam omnibus datum fuit, rex id calceo ferit: quæ autem Thyadum eſt princeps, ſimulacrum ad confragoſum defert locum, ibíque collum fune cingentes ſimulacri, id defodiunt: vbi olim Charila ſepulta fuerat.

XIII. Quid eſt mendicatoria caro apud Aeneãanes? Sæpius migrauerunt Aeneãanes. Principiò enim cum habitarent circa Dotium campum, indeà Lapithis ad Aethicas fuerunt expulſi. Pòſt Moloſsiæ regionem quæ eſt circa Auum occuparunt, vnde iis nomen Parauæi factum fuit. Deinde Cirram obtenuerunt. vbi cum iuſſu dei regem Oenoclum lapidibus obruiſſent, in regionem Inacho amni adiacentem deſcenderũt, quæ tum ab Inachiis & Achiuis tenebatur. His erat oraculum datum, fore vt ſi partem agri darent, vniuerſum amitterent: illis, potituros eſſe, ſi à volentibus acciperent. Tum Temo primi inter Aeneãanes nominis vir, pannis obſitus, perámque geſtans in morem mendici, ſe ad Inachios contulit. cui cùm ludibrij cauſa rex glebam terræ tribuiſſet ſtipem petenti, acceptã eã in peram coniecit, muneréq; optimè contentus iſto ſeſe ſubduxit, nihil porrò exigens. ſeniores hoc mirari, & in memoriam revocare oraculum, regem adire, hortaríque, ne rem negligeret, ſed hominem apprænderet. Temo animaduertere quid ij cogitarent, fugáque data ad ſuos evadere, vota Apollini hecatomba. Secundum hæc ſingulari prœlio reges congreſsi ſunt. ibi cùm Hyperochum Inachiorum regem

Aſtutè factum.

gem videret comite cane contra se venire Phemius Aeanum rex, iniustè agere dixit qui socium ad pugnam adduceret: & avertentem se canis abigendi gratia lapidis iactu interfecit. Sic Aeanes potiti ea ditione, pulsis Inachiis atque Achæis, lapidem istum tanquam sacrum colunt, eique rem sacram faciunt, ac adipe hostiæ eum tegunt. cúmque Apollini hostiam persoluunt, Ioui taurum immolantes, partem carnium eximiam Temonis posteris tribuunt, ac mendicatoriam carnem appellant.

XIV. Quinam sunt apud Ithacenses Coliadæ, & quis Phagilus? Adversus Vlyssem procorum ab ipso necatorũ necessarij seditionem mouerunt. arbiter adscitus ab vtraq; parte Neoptolemus, iudicauit debere Vlissem vt sanguine inquinatum exsulare Cephallenia, Zacyntho, atque Ithaca: socios autem & familiares procorum quotannis pro damno rei familiari Vlisis illato, ei pendere multam. Itaq; Vlisses in Italiam commigrauit, multam filio dedicauit, eique ab Ithacensibus solui iussit. erat autem farina, vinum, faui mellis, oleum, sal, & victimæ adultiores phagilis. Cæterùm Aristoteles phagilum ait esse agnum. Porrò Eumeum cum suis Telemachus libertate donatum ciuibus inseruit: éstq; ab Eumeo Coliadarum genus, à Philœtio Bucoliorum.

XV. Quæ est canis lignea apud Locros? Locrus Physcij F. Amphictyonis N. ex Cabia filium habuit Locrum, cum quo postquam in discordiam incidit, magno ciuium numero assumto oraculum de colonia deducenda consuluit: tulitque responsum ibi se vrbem condere debere, vbi morsus esset à cane lignea. Mari traiecto rubum caninum (sic cynos baton exprimo fruticem spinosum) calcauit, vulneréq; vexatus, per aliquot dies ibi commoratus, regionis natura considerata, Physcenses, Hianthéamq; condidit, vrbésque alias quæ à Locris deinde Ozolis cultæ sunt. Ozolas autem quasi fœtidos si diceres, Lo-

cros alij propter Neſſum putant dictos, alij propter Pythonem, qui à mari iectus in regionem Locrorum, ibi computruerit. alij fœtorem eos contraxiſſe putant, quòd pelles ouium ac caprarum pro veſtitu gererent, & plerunq; inter caprarum greges vi uerent. Alij contrà ſic dictos quaſi fragrantes autumant, q̃ regio ipſorũ floribus abundet. è quorũ numero eſt etiá Architas Amphiſſenſis, qui ſic ſcripſit:

Vitiferam, innumeris fragrantem & odoribus illam
Macynam iucundam. ——

XVI. Quid rei eſt, quod Megarenſes aphabroma vocant? Niſus rex Megaridis, quæ ab eo Niſæa fuit cognominata, è Bœotia vxorem duxit Abrotã, Onchesti filiam, Megarei ſororem, mulierem inſigniter prudentem iuxtà atq; pudicam. Eam vita functam Megarenſes vltrò luxerunt. & Niſus vt æternum ei monimentum conficeret, oſſa ipſius quas ea geſsiſſet veſtibus amiciri iuſsit, & ab eius nomine aphabroma appellauit. Videtúrq; gloriam muleris deus defendiſſe. nam Megarides feminæ cum veſtem mutare ſæpius ſtatuiſſent, ſemper prohibuit.

XVII. Quid eſt doryxenus? Antiquitus Megaris regio colebatur per pagos, in quinque partes diſtributis ciuibus: dicebantur autẽ Heraënſes, Piraënſes, Megarenſes, Cynoſurenſes, & Tripodiſcæi. Hos cũ Corinthij (qui ſemper Megaricam in ſuam redigere poteſtatem conati ſunt) in bellum ciuile coniecisſent, id tamẽ æquitatis ſtudio ab iis placidè fuit ac ſocialiter geſtum. Agricolis enim nemo quiſquã faciebat iniuriam. qui captus eſſet, certo ſe precio redimere opus habebat, quod nõ antè exigebatur quàm eſſet dimiſſus. captiuum enim qui ceperat, domum abducebat, impertitúſq; eum ſale & menſa ſua, domũ dimittebat. qui preciũ ſui redimendi afferebat, is laudabatur, & amicus eiusqui ceperat ipſum perpetuus manebat, ac pro captiuo doryxenus, id eſt hoſpes

haſta

hasta bellica partus appellabatur. qui fraudem solutioni fecisset, non apud hostes modò, sed etiã apud ciues infamis ob iniusticiam & perfidiã habebatur.

Quid est palintocia? Megarenses cum eiecissent tyrannũ suum Theagenem, non diu ciuilem tenuerunt modestiam: mox oratoribus nimiam eis & meram propinantibus (vt Platonico more loquar) libertatẽ, omnino corrupti, cũ aliis in rebus petulanter diuites tractauerunt, tum in ædes eorum venerunt, vtq; sibi splendidum appararetur conuiuium postularunt: ac si repulsam paterentur, vim libidinémq; in omnes exercuerunt. Deniq; facto plebiscito, à feneratoribus fenora quæ ipsis persoluerãt repetiuerunt: & factum hoc à receptione fenorum palintociam dixerunt. XIIX. *Megarensiũ petulantia.*

Qúænam est Anthedon, de qua Pythias dixit, XIX.

Fæcatum bibe uinum, ut non Anthedone degens:

neque enim Bœotiæ Anthedon vini ferax est multi? Calauria antiquitus dicta fuit Irene à femina. Irena, quam fabulantur natam Neptuno & Melanthea Alphei filia. Postmodo cùm Anthes Hyperésq; cum suis ibi habitarent, dicta fuit Anthedonia & Hyperæa. Oraculum, vt Aristoteles tradit, tale fuit:

Fæcatum bibe uinum, ut non Anthedone degens,
Aut Hyperæ sacræ, quod ibi sine fæce bibisses.

Mnasigæto autem scribit, Anthum Hyperæ fratrem etiamnum infantem fuisse amissum, Hyperémq; vagatum eius quærendi causa, Pheras ad Acastum aut Adrastum venisse, vbi tum fortè Anthus seruus à poculis erat. hunc in conuiuio fratrem, cui poculum præbebat, agnouisse & clàm ei dixisse,

Fæcatum bibe uinum, ut non Anthedone degens.

Quid sibi volunt tenebræ apud quercum, quæ Prienæ memorantur? Samij & Prienæi bello commisso, mediocribus invicem damnis se affecerunt. collatis autem signis, Prienei Samios mille trucida- XX.

uerunt. ſeptimóque pòſt anno cum Mileſiis pugna congreſsi ad locum qui Quercus dicitur, optimos primóſq; ciuium amiſerunt. quo tempore Bias Prienа in Samum miſſus legatus claruit. Cùm autem Prienæas mulieres calamitas hæc grauiter perculiſſet, exſecratio & iureiurandum maximis de rebus conſtitutum eſt per tenebras ad quercum : quòd ibi liberi, parentes, viríque earum mortem oppetiiſſent.

XXI. Qui ſunt quī apud Cretenſes dicuntur katakautæ? Tyrrhenos ferunt, qui quo tempore Imbrum ac Lemnum tenuerunt, Athenienſium filias & vxores è Braurone rapuerunt, ſedibus pulſos in Laconicam veniſſe, & cum eius regionis mulieribus tantum habuiſſe commercij, vt etiá liberos ex iis procrearent. Ob ſuſpicionem vero & calumniam coactos Laconica cum vxoribus & liberis excedere, Polli & Fratre ducibus, in Cretam appuliſſe. ibi bellum cum incolis gerentes, multos qui in pugnis cecidiſſent inſepultos iacere paſſos fuiſſe, cùm & humare initio ob bellum & pericula non vacaret, & poſteà cadauera tempore corrupta & putredine ſoluta tangere. Ibi Pollin excogitaſſe honores quoſdam & priuilegia immunitatéſque, quarum alias ſacerdotibus, alias cadauerum ſepultoribus tribueret, vtq; perpetua iſta eſſent, diis Manibus ea conſecraſſe : ſortitum deinde cum Fratre ſuper iis fuiſſe. Itaque aliis nomen ſacerdotum, aliis catacautarum à cremandis cadaueribus obtigiſſe. vtroſque ſeorſim ſuam remp. habere. cúmque Cretenſes mutuo furtis & rapinis ſe infeſtent, ad alias humaniter ipſis conceſſas immunitates id quoque accedere, quòd ab iis omnia id genus maleficia abſtinentur.

XXII. Quid rei eſt puerorum ſepulcrum apud Chalcidenſes? Cothus & Aeclus Xuthi FF. in Eubœam habitatū venerunt, cùm Aeolenſes pleraſq; inſulę eius partes obtinerent. Oraculum autem Cotho datum erat,

erat, si emisset terram, fore vt rebus vteretur secundis, hostésque superaret. Facta exscensione, mox incidit in pueros ludentes apud mare. quibus se cùm addidisset socium, ac multa peregrina ludicra monstrauisset, vt sensit ea ipsos cupere accipere, negauit se alia lege daturum, quàm si terram ab ipsis accepisset. pueri proinde terrá humi sublatam ei dederunt, ludicrisq; acceptis discesserunt. Aeoles re comperta, cùm hostes nauibus contra ipsos adveherentur, ira doloréq; conciti pueros interfecerunt. Sepulti sunt iuxta viam, qua ex vrbe ad Euripum itur, locúsque Puerorum sepulcrum dicitur.

Quis est Argis Mixarchagetas, & qui sunt Elasiæ? Mixarchagetam appellant Castorem, & apud se putant sepultum. Pollucem autem colunt vt vnum de diis Olympiis seu cœlitibus. Iam quidã sunt de posteris Alexidæ Amphiarai filiæ, morbum comitialem avertere cùm existimétur, à depellendo Elasiæ dicuntur. XXIII. *Castores.*

Quid est Encnisma Argiuorum? Qui cognatum aut familiarem amisisset, solebat statim à luctu rem sacram Apollini facere, ac xxx pòst diebus Mercurio. Existimant enim sicvt corpora mortuorum terra, ita à Mercurio animas excipi. Apollinis autem ministro hordeum dantes, carnem hostiæ accipiunt, ignémque vt pollutum exstinguentes, aliunde nouum accendunt, quo carnem eam coquant, eamq; encnisma appellabant à nidore ducta voce. XXIV.

Quid significant alastor, aliterius, palamnæus? non enim fides habenda est aliterios dictos perhibentibus, qui famis tempore obseruant molentes (hos Græci vocant alûntas) & farinam diripiunt. Verùm est alastor qui perpetrauit alasta, id est obliuioni nunquam mandanda, sed diuturnam habitura memoriam. alterius, quem vitare (aleuasthæ) ob improbitatem convenit. Hæc Socrates ait facinora in tabulis æreis inscripta fuisse. XXV.

XXVI. Quo sensu fit, quod qui Aeno bouẽ Cassiopæam abducunt, iis virgines quæ eos deducunt vsque ad fines, accinunt

O utinam in dulcem nunquam patriam redeatis?

Aenianes. Aenianes primùm à Lapithis pulsi circa Aethiciam, deinde apud Molossidem & Cassiopæam habitauerunt. quæ regio cùm nulli esset ipsis vsui, molestósq; præterea haberẽt vicinos, in Cirræum campum Onoclo rege ducente transiuerunt. vbi cum grauis siccitas & crebra vrgeret, oraculo (vt fertur) iussi Onoclum interfecerunt, rursúmque vagati, eam occupauerunt regionem, quam nunc obtinent bonam & feracissimam. itaque non iniuria à diis petunt ne vnquam in patriam antiquam redeundum sit, sed lætis rebus ibi permanendum.

XXVII. Cur apud Rodios in sacellum Ocridionis non ingreditur præco? An res ita habet? Ochimus Cydippen filiam despondit Ocridioni. sed Cercaphus Ochimi frater, cùm amore puellæ laboraret, præconi (nam per hos accersi sponsas moris erat) persuasit, vt sponsam acceptam sibi adduceret. quo facto Cercaphus cũ puella profugit: & Ochimo demum iam sene facto rediit. Rodij itaque sanxerunt, iniuriæ istius causa, ne quis præconum intraret in sacellum Ocridionis.

Præco sponsam accersit.

XXIIX. Cur apud Teneidios in Tenæ fanum tibicini intrare, ibidémque Achillis nomen proferri nõ licet? Cùm nouerca Tenem hunc solicitasset de incesto concubitu, Molpus tibicen falsum testimoniũ contra Tenem dixit. quo factum est vt Tenes cum sorore profugere in Tenedum sit coactus. Achilli porrò (vt aiunt) Thetis mater seuerè mandauerat ne Tenem, quippe Apollini carum, necaret, vníq; famulorum negocium dederat, vt animum adverteret, Achillémq; moneret, ne per imprudentiam Teni necem inferret. Sed cùm Achilles Tenedum populans

pulans sororem Tenæ, vtpote formosam, insequeretur, Tenésque obviam iens pro sorore propugnaret, eáq; fuga elapsa ipse esset interfectus: Achilles re cognita famulum occidit, quòd præsens eum non monuisset, Tenémque sepeliuit. huius fanum est hodiéque, in quod neq; tibicen intrat, neque Achillis in eo nomen auditur.

XXIX. *Prudens factum.*

Quis est apud Epidamnios poletes? Epidamnij Illyriorum vicini, cùm suos ciues cum istis commercia agitantes viderent deteriores fieri, & ea de causa sibi à nouis rebus metuerent, ad contractus & permutationes istas quotannis vnum spectatæ vitæ ciuem delegerunt, qui ad barbaros commeans omnium ciuium nomine cum his negociaretur, poletésq; ab isto commeatu diceretur.

XXX. *Acanthus.*

Quænam est ad Thraciam Aræni acta? Andrij & Chalcidenses cum sedium petendarũ causa in Thraciam nauigassent, Sanen vrbem communi iure proditione deditam ceperunt. audito autem Acanthum à barbaris desertam, duos miserunt eò exploratores. qui cùm ad vrbem accessissent, hostésque planè profugisse deprehenderent, Chalcidensis prior excurrit tanquam ciuibus suis vrbem occupaturus. at Andrius cùm eum cursu non assequeretur, hastam coniectam valido ictu vrbis portæ infixit, ac se hasta Andriis vrbem eam præcepisse pronunciauit. Orta hinc discordia, quæ tamen in bellum non erupit, ita convenit inter partes, vt Erythræis, Samiis, ac Pariis arbitrium disceptatióque controversiæ deferretur. hìc cùm Erythræi ac Samij secũdum Andrios litem dedissent, Parij autem Chalcidensium causam probassent: eo loco Andrij conceptis verbis Parios detestati sunt, séq; nullum postmodò dandarum aut accipiendarum mulierum commercium cum illis habituros pronunciauerũt. Itaque litus illud Araeni appellarunt, cùm antè Draconis diceretur.

XXXI. Cur thesmophoriis sacris Eretriensium mulieres non ad ignem carnes, sed ad Solem assant? neq; Calligeneam invocant? An quia captiuis quas à Troia abduxit Agamemno vsuvenit vt ibi thesmophoria cum facerent, tempestate ad nauigandum apta obla ta subitò avectæ sunt, imperfecto sacrificio?

XXXII. Qui sunt Milesiis aenautæ? Thoante & Damasenore tyrannis deiectis, duæ Mileti sodalitates vrbem obtinuerũt, quarum altera Plontis, altera Chromacha dicebatur. cùm autem potentes prævaluissent, rerũmq; summam ad se transtulissent, deliberaturi de maximis negociis in nauigia ingressi, ac longè à terra provecti, facto decreto reverterunt, hinc illis aenautarum nomen, id est semper nauigantium.

XXXIII. Quamobrem Chalcidenses locum qui ad Pyrsophium est, acmæen lescham, id est ætate vigentium conventui ac confabulationibus destinatum publicè locum, appellant? Nauplium ferunt persequentibus ipsum Achæis supplicem factum Chalcidensibus, quà diluisse crimina, quà alia vicissim Acheis obiecisse. Chalcidenses nequaquam de eo dedendo cogitasse: sed metuentes ne dolo interficeretur, præsidium ei adolescentum ætate vigentium addidisse, eóq; in loco constituisse.

XXXIV. Quis est qui bouẽ benefactori immolauit? Apud Ithacam in statione erat nauis piratica, in eáq; senex cum testis picem continentibus. Ad hanc fortè fortuna portitor appulit Ithacensis, nomine Pyrrhias qui senem nullius sui commodi causa, sed precibus ac miseratione illius inductus redemit, cadorum etiã nonnullis hortatu eius emptis. Postquam discessu prædonum data est licentia, senex Pyrrhiam ad fictilia ista adduxit, ostenditque multum auri argentíque pici permixtum. ita Pyrrhias subitò ditatus, cùm aliis officiis senem coluit, tum bouem ei immolauit. Hinc proverbio dicunt, Nemo be-

mo bene merito bouẽ immolauit præter Pyrrhiam.

Cur Bottiẽorum puellis mos fuit choreas ducen- XXXV.
tibus dicere, Eamus Athenas? Cretenſes, vt perhibetur, ex voto primitias hominum Delphos miſerunt. Miſsi cum viderent nullam ibi rerum copiam eſſe, inde in coloniam profecti primùm incoluerunt Iapygiam, pòſt Thraciæ iſtam partem, quæ Bottiæorum dicitur, obtinuerunt, permixtis Athenienſibus. Apparet enim adoleſcentes, qui tributi nomine ab Athenienſibus mittebantur, à Minoë non fuiſſe interfectos, ſed pro ſeruis detentos. horum ergo aliqui facti & habiti Cretenſes, vnà cum reliquis Delphos miſsi erant. Itaque Bottiæorum filiæ gentis ſuæ memoriam celebrantes in feſtiuitatibus canebant, Eamus Athenas.

Cur Eleorum mulieres Bacchum in ſacro carmi- XXXVI.
ne hortantur vt bubulo pede ad ipſas accedat? ac bis accinunt, Digne taure? Hymni hæc eſt forma: Veni heros Bacche maritimum ad templum ſanctum cum Gratiis, ad templum pede bubulo. An quia bouigenam nonnulli & taurum cognominant Bacchum? Aut bubulo dicunt pro magno? ſicvt boopin poëta dixit magnis præditam oculis, & bugaium qui ſe gloriosè iactaret. Aut potiùs, quia pes bouis innoxius eſt, cornua damnoſa, ſic deum hortantur vt lenis veniat atque innoxius? Aut quia multi hunc deum aratri & ſationis inventorem fuiſſe putant? *Bubulus pes.*

Cur Tanagræis ante vrbem locus eſt, nomine XXXVII.
Achilleum? inimicicia enim ei potiùs cum hac vrbe quàm amicicia fertur interceſsiſſe, vt qui inde matrem Pœmandri Stratonicam rapuerit, & Aceſtorem Ephippi F. interfecerit. Pœmander itaq; Ephippi pater cum Tanagrica regio etiamnum per pagos habitaretur, in Stephonte (loci hoc nomen eſt) ab Achæis oppugnatus quòd ſocium expeditionis ſe addere nollet, noctu eo loco deſerto Pœmandriam

muro muniit. aderat ei Polycrithus architectus, qui opera eius contemnens atque ridens, fossam transsiliit. iritatus Pœmander saxum grande, quod ibi occultatum erat antiquitus, nocturnis quibusdam sacris impositũ, arripuit, eoq; ferire Polycrithum volens, iactu aberrante filium Leucippum ictum interfecit. Erat itaq; ei è Bœotia profugiendum, & peregrè alicuius ad lares supplicandum: verùm id impresio ab Achæis in Tanagricam iam tum facta reddebat difficile. itaque Ephippũ filium ad Achillem supplicatum misit. Ephippus cùm Achilli vt veniret persuasit, tum Tlepolemo etiam Herculis F. ac Peneleo Hippalcmi F. omnes ipsi genere propinquos. ab his Pœmander Chalcidem deductus, ibiq; apud Elephenorem à cæde expiatus, honorem viris habuit, omnibúsque sacra loca adsignauit, quorum nomen suum retinuit Achilleum.

XXXIIX. *Furoris exẽplum.* Qui sunt apud Bœotos psoloæs, & æolæ? Minyę filias ferunt Leucippam, Arsinoam, & Alcathoam furore correptas esum humanarum carnium appetiuisse. sortitasq; munus tradendi ad necẽ filij, ac oltigisse Leucippæ, vt filium Hippasum traderet: hũc ab iis fuisse discerptum. Hinc maritos ipsorum, quia præ luctu & dolore vestibus vterentur fœdis, psoloæs dictos quasi caliginosos à squalore: ipsas autem æolæas, tanquam oloas, id est diras. Atq; etiamnum earum posteritatem his afficiunt nominibus Orchomenij: & quotannis fugantur festis Agrioniis à sacerdote Bacchi stricto gladio, licétque deprehensam interficere. & quidem necauit nostra ætate Zoilus sacerdos. Verùm ea res infelix ipsi vrbíque fuit. nam & Zoilus leui admodum ex vlcere in diuturnum lapsus morbum computruit ac decessit: & Orchomenij in causis publicis damnati multatíque sacerdotium à familia transtulerunt, deligeréq; ex tota multitudine optimum instituerunt.

XXXIX. Cur qui sponte sua in Lycæum intrant, lapidibus obruun-

obruuntur ab Arcadibus, qui per imprudentiam, Eleutheras deportantur? An quasi liberatis hoc modo hisce sermoni fides paratur? vt similis sit locutio, Ad Eleutheras, qualis est:

In regionem Amelûs. — &
Ad sedem uenies Aresantis. —

Aut fabulam sequi præstat? quoniam soli de Lycaonis filiis Eleuther & Lebadus facinoris, quod in Iouem molitus fuit pater, insontes fuerunt, & in Bœotiam fugerunt: vnde & Lebadensibus ius ciuitatis cum Arcadibus intercedit. ergo Eleutheras relegant qui in loui sacro & inaccesso loco imprudentes rei fuerunt. Architimus in Arcadicis scribit quosdam qui Lycæum intrassent per ignorantiam, ab Arcadibus traditos fuisse Phliasiis, ab his Megarensibus. inde cum Thebas mitterentur apud Eleutheras fuisse imbre, tonitribus, aliisque cœlestibus denunciationibus detentos. atque inde etiam loco nomen Eleutheras factum nonnulli affirmare. Quod autem Lycæum ingressus vmbram nullam à se iacere putabatur, falsò dictum est, quantumvis creditum. An fieret hoc, quod aër se in nubes cogeret, ac quasi tetricum vultum propter ingressos indueret? aut quia necatur ingressus? nam occisorum animas aiunt Pythagorici neque vmbram iacere, neque conniuere. Aut quòd sol vmbram gignit, lex autem solem adimit intranti? atque hoc involucro tectum proponunt. Ceruus enim vocatur qui intrauit. & hac de causa Cantharionem Arcadem, qui ad Eleos bellum Arcadibus facientes perfugerat, ac cum præda per Lycæum transiuerat, bello soluto Spartani, ad quos ab Eleis se cótulerat, Arcadibus tradiderũt, iubente deo ceruũ reddere.

XL. Quis est Eunostus heros Tanagræ, & cur lucum eius intrare mulieribus nefas est? Elieus Cephisi & Sciadis F. pater Eunosti fuit, cui nomen imposi-

tum ab Eunosta nympha quæ eũ enutriuerat, aiunt. Hic Eunostus vt honestus & iustus, ita pudicus etiã fuit atque austerus. Eius amore captam ferunt Ochnam vnam de coloni filiabus, consobrinam suam. à qua solicitatus ad concubitum, aversatus mulierem & convicio insectatus, ad fratres eius abiit querelam de ipsa propositurus. sed Ochna Eunostum occupauit apud fratres accusare, vique se ab eo compressam mentiri: obtinuitque vt Ochemus & Leo (hi enim erãt fratres eius) adolescentem per insidias exceptum interficerent. Percussores filij Elieus in vincula condidit. Ochna autem pœnitentia facti animique perturbationibus compulsa, simul vt se molestia ob amorem concepta exoneraret, simul fratrum miseratione ducta, rem vt erat Elieo vera narratione, isque porrò Colono exposuit. Colono iudice sententiam ferente, fratres Ochnæ solum vertere. Ochna præcipitem sese dedit: sic refert Myrtis Anthedonia poëtria. Eunosti autem sacrarij & lucus ingressu atque etiam accessu ita diligenter arcebantur mulieres, vt siquando terræmotus, siccitates, aliave ostensa accidissent, (quod factum est sæpe) Tanagræi studiosè atque adeò curiosè inquisiuerint, nũmnam mulier aliqua fefellisset loco isti propinquans. & fuerint qui dicerent, è quibus est Cl*a*damus vir illustris, obviam sibi factum esse Eunostum, lauandi gratia ad mare accedentem, quòd lucum ipsius mulier quędam intrauisset. Sanè Diocles in commentario de sacellis edictum refert Tanagręorum de iis, quæ Cl*a*damus renunciasset.

XLI. Vnde in Bœotia apud Eleonem fluuius, Scamander dictus est? Deimachus Eleonis F. cum Hercule, cuius erat socius, ad Troiam oppugnandam fuit profectus. quod bellum cùm, vt fit, traheretur, Glauciam Scamandri filiam, quæ ipsum deperibat, admisit, grauidámque fecit: pòst ipse in pugna adversum

sum Traianos occubuit. Glaucia metuens ne admissi comperiretur, ad Herculem confugit, eique amorem suum, & habitam cum Deimacho consuetudinem narrauit. Hercules, quòd & mulierem miseraretur, & genus viri probi sibique familiaris superesse cuperet, in naues Glauciam recepit: cúmq; filiam partu enixa esset, cum eo adductam in Bœotiam Lleoni tradidit. Ei filio Scamandri impositum est nomen, regnauitque iis locis. & Inachũ fluuium à se Scamandrum, proximum amnem de matris nomine Glauciam appellauit, fontem vxori cognominem esse iussit Aciduse, ex qua tres habuit filias, quas Virginum nomine etiamnum colunt.

Vnde tractum est proverbium, Isthæc rata esto? XLII.

Dinon Tarentinorum dux, vir bello prẹclarus, cùm ciues quandam ipsius sententiam manuum (vt fit) elatione improbassent, ac præco sententiam quæ vicisset proclamaret: ipse manum sursum intendens, Hæc verò (aiebat, suam sententiam innuens) melior est. Sic narrauit Theophrastus. Apollodorus in Rhytino addit, cùm præco dixisset: Hæc suffragia habet plura, subieciss: Hæc autem meliora: & pauciorum sententiam iussisse ratam esse. *Vincat melior pars maiorem.*

Vnde vrbs Ithacensium Alalcomenæ appellatur? XLIII.

Quòd Anticlea virginitate per vim à Sisypho erepta Vlissem concepit. hoc plures afferunt. Ister Alexandrinus in suis commentariis retulit, nuptam Anticleam Laërtæ & adductam ad Alalcomenæum * quod est in Bœotia, Vlissem peperisse. indéq; eum quasi vrbis nomen commendantem posteris, in qua esset natus, Ithacæ vrbem eodem nomine donasse.

Qui sunt qui in Aegina monophagi dicuntur? XLIV.

Aeginetarum qui ad bellum Troianum sunt profecti, magna pars in prœliis, maior in mari vi tempestatum periit. Cùm itaq; paucos superstites necessarij recepissent, viderẽntq; reliquos ciues in luctibus ac mœrore esse, rati sunt neq; gratulandũ publicè,

neque palàm diis sacrificandum: sed domi suę singu
li eos qui seruati erant conviuiis comiter excipien-
tes, patres, cognatos, fratres, aut familiares, ipsi mé-
sis ministrauerunt, alieno nemine in domum ad-
missо. Eam rem repræsentantes, sacrificium Neptu- 5
no celebrant, quod Thiasi dicitur, vbi seorsim per
sedecim dies conviuia agitant nullo adhibito ser-
uo. deinde Veneri operantes, finem feriis imponũt.
hinc monophagi, id est seorsim edentes vocitantur.

XLV. Cur Iouis Labradensis in Caria simulacrum non 10
sceptrum aut fulmen, sed securim elatam tenet? Her
cules Hippolytam cùm necasset, inter alia arma se-
curim quoque eius captam, Omphalæ dono dedit.
Lydorum post Omphalen reges eam gestauerunt,
vt vnã de aliis rebus sacris, successorĩq; itidẽ tradita 15
fuit: donec Candaules dedignatus, cuidã sociorum
ferendam eam dedit. Postquam verò Gyges defe-
ctione inita Candaulæ bellum intulit, venit à My-
lassensibus Arselis auxiliares Gygi copias addu-
cens: interfecítque & Candaulen & socium, bipen- 20
némque in Cariam inter alia spolia pertulit, Iouísq;
adornato simulacro, eam isti in manum aptauit, La-
bradeúmque nominauit Iouem. Labram enim Lydi
vocant, quod Latini securim.

XLVI. Cur Tralliani eruũ Kathartera, id est lustrale, vo 25
Erum. cãt, vtuntúrq; eo maximè ad expiationes & piacula
ria? Leleges & Minyæ quondã Tralles, regionémq;
ad vrbem pertinentem pulsis vi Trallianis occupa-
uerunt. Reversi postliminio Tralliani, rerúmq; po-
titi, quotquot Lelegum non perierant, neque pro- 30
fugerant, sed ob inopiam ac imbecillitatem reman-
serant Trallibus, eorum neque viuentium neq; mo-
rientium aut pereuntium vllam habẽtes rationem,
legem tulerunt, vt si quis Trallianus Minyam Lele-
gémve occideret, is medimnum erui si necessariis 35
interfecti demetiretur, castus purúsq; cædis habe-
retur. Hæccine est causa?

Quæ

Quæ causa est proverbij apud Eleos vsitati, Atro ciora quàm Sambicus pateris? Sambicus quidam Eleus cũ haberet multos sub se ministros, multa (vt fertur) donaria ænea Olympiæ posita accídit atque vendidit: tandémque Dianæ etiam Episcopi (hoc est inspectricis) cognominatæ fanum, quod Elide est, & Aristarcheum dicitur, compilauit. A quo sacrilegio statim captus, per integrum annum tormenta perpessus est, quæstione ex ipso de sceleris sociis habenda. itaque mortuus, adagio locum suis miseriis fecit. XLVII. *Proverbiũ de Sãbico.*

Cur Lacedæmone iuxta Leucippidum templum Vlissis sacellum est dedicatum? Ergieus quidá, vnus de posteris Diomedis, passus sibi est à Temeno persuaderi vt Palladium Argis suffuraretur, conscio ac socio facinoris Leagro. hic Leager cùm esset Temeni familiaris, postmodò cum eum sibi iratum haberet, vnà cum Palladio Lacedæmonem migrauit. Reges eum promtè exceperunt: Palladiúmque prope Leucippidum templum æde dedicata locauerunt, Delphósque miserunt, qui oraculum de eo adseruando ac retinendo consulerent. his responsum est, vni eorum qui id sustulissent custodiá eius demandandam. ergo ibidem sacellum Vlissi posuerunt, quem aliàs quoq; ob coniugiũ Penelopæ cum sua ciuitate coniunctum censebant. XLVIII. *Palladium.*

Cur Chalcedoniæ feminæ hanc seruant consuetudinem, vt alienos viros, magistratũ maximè, compellantes, alteram genam obtegant? Erat Chalcedonensibus bellum adversus Bithynos, omnis generis iniuriis in præscriptionem eius iritatis. Zæpœtus rex Bithynorum omnes suos in bellum educit. Chalcedonenses auxiliis Thracum aucti, Bythynorum agrum incendiis populationibúsq; vastant. ad Phalium autem à Zæpœto per insidias impetiti, re ob ferociam & ordinum neglectam rationem male gesta, amplius octo millibus militum amittunt. XLIX.

internecionem Byzantij averterunt, quorum in gratiam Zapætus pacificationem admisit. Cùm autem Chalcedone magna esset virorum penuria, pleræq; mulieres necessitate adactæ sunt vt libertis & inquilinis consuescerent. aliæ quæ viris carere, quàm sic matrimonio frui, mallent, ipsæ per sese expediuerũt si quid erat apud iudices & magistratus negocij, alterã veli partem à facie diducentes. quæ verò nupserant, pudore ductæ quod istas sibi virtute præstare sentirent, eundem morem sunt secutæ.

L. Cur Argiui oues, quas iuiri volunt, ad Agenoris lucum feturæ causa abigunt? An quia optimè greges curauit Agenor, pecudúmq; copia omnes reges superauit?

LI. Cur Argiuorum pueri quibusdam feriis per iocum lusúmque ballachradas seipsos appellant? An quòd primos qui ex agris in planiciem ab Inacho sunt deducti, piris syluestribus victitasse aiunt? scilicet quòd tũ primùm Græcis in Peloponneso conspectæ essent achrades, id est pyra syluestria, cũ regio illa etiamnum à piris Apia diceretur. postmodò apios, id est pirum syluestre, achras nominari cepit.

LII. Quid subest causæ, quòd Elei equas extra fines suos educunt, cum ab equis eas conscendi volunt? An imprecationem Oenomai sic abominantur? is enim cùm studio alendorum equorum omnibus regibus anteiret, equósq; amaret maximè, multa & dira imprecatus est iis qui equos in Elide admitterẽt.

LIII. Cur apud Cnosios moris erat, vt mutuã fœnore pecuniam accipientes, eam raperent? An vt creditorem frustrantes, rei violentæ actionis eo grauius punirentur?

LIV. Cur in Samo Dexicreontis Venerem invocant? An quòd Samias mulieres cùm præ luxu & luxuria libidini indulgerent, Dexicreo circulator piacularibus quibusdã ritibus adhibitis væsania ista soluit.

Aut

Aut verius est quod dicitur? Dexicreo cũ esset nauclerus Samius, mercaturæ faciundæ gratia in Cyprum nauigauit. eum iam nauim oneraturum Venus nihil aliud importare quàm aquam iussit, & illicò avehi. Paruit consilio, multáque imposita aqua soluit. mox cùm altum ventorum silentium & tranquillitas in mari obtinuisset, reliquis mercatoribus & naucleris siti laborantibus aquã divendens, multum corrasit argenti. Itaque deæ simulacrum à se nominatum dedicauit. Hæc narratio si vera est, videtur dea non vnum ditare, sed multos vnius ministerio seruare voluisse.

LV. Quare Samiis, quando Mercurio Charidotæ, id est munifico, sacrificant, permissum est furari & vestes aliorum clepsere, si quis hoc velit agere? Quia oraculum secuti facta ex insula migratione in Mycalen, decem annos è latrociniis vixerunt. quibus finitis cũ rursum ad insulam nauigassent, hostes suos devicerunt.

LVI. Quæ origo est vocis Penæma in Samo insula, loci nomen exprimentis? Amazones Bacchum fugientes è ditione Ephesia in Samum evaserunt. ille nauibus constructis transfretauit, consertóque prœlio multas eo in loco concidit, quem spectantes à copia fluentis sanguinis panæma appellauerunt ex admiratione. Qui occisas has aiunt, ex his nonnulli rem ad Phlœum gestam asserunt, & ossa earũ monstrantur. alij Phlœum quoque illis morientibus ruptum perhibent, magnam & penetrantem vocem edentibus.

LVII. Andron qui vocatur Sami, (est autem ædes) cur Pedetes (nomine à compedibus ducto) appellatur? Cum Geomori (agrarios intelligeres) post necatum Damotelem, sublatámq; eius tyrannidem, Samiam remp. in sua haberent potestate, Megarenses bellum Perinthiis intulerunt, coloniæ Samiorum, compedes secum ferentes (vt aiunt) quibus captiuos in- *Samiorum resp.*

duerent. Geomori re cognita, raptim Perinthiis auxilio miserunt sub nouem ducibus naues instructas triginta. quarum duæ extra portum provectæ, fulmine ictæ perierunt. duces reliquis vsi vicerũt Megarenses, viuósque ex ipsis ceperunt 10 c. Ea victoria ita aucti sunt ducibus animi, vt de evertẽda paucorum in patria cogitarent, quæ penes Geomoros erat, dominatione. occasioné ipsis præbuerunt reip. principes, qui per litteras mandabant, vt Megarenses captiuos suis ipsorũ impeditos compedibus adducerent. Has illi litteras acceptas Megarensibus clanculum ostendunt: vtque se ipsis in Samia liberanda rep. socios adiungerent, persuadent. Re consiliis communicatis tractata, placuit compedum annulos excutere, sicque demum cruribus Megarensium aptare compedes, ac ne ob laxitatem de pedibus defluerent inter eundum, loris ad cingula alligare. Sic instructos Megarenses, & gladiis singulis armatos, postquam ad Samum applicuerunt naues, per forũ in curiam duxerunt, omnibus ferè ibi Geomoris considentibus. signo deinde dato, Megarenses impetu facto eos trucidarunt. Liberata ad hũc modum vrbe, Megarenses, quotquot vellent, in ciuitatem suam admiserunt. ædéque ampla exstructa compedes pro monimento suspenderunt. quę suum illud inde sortita est nomen.

LIIX. Cur apud Coos Herculis sacerdos in Antimachia muliebri indutus veste, capite vittato, sacrificium auspicatur? Hercules sex nauibus à Troia auctus, tempestate aduersa vsus quæ naues eius perderet, vnica ad Cõn vento compulsa ad Laceterem (loci hoc nomen) excidit, armis virisque reliquis, cęteris omnib. rebus amissis. Ibi cùm in oues incidisset, à pastore vnum petiit arietem. Pastori nomen fuit Antagoras. qui cùm robore corporis vigeret, luctæ hanc conditionem Herculi obtulit, vt arietem, si Antagoram vicisset, auferret. Postquam conseruerunt

Herculis cũ Antagora pugnæ.

seruerunt manus, Meropes Antagoræ, Græci Herculi opem tulerunt, acrísque exorta est pugna. In hac tradunt Herculem adversariorum multitudine defatigatum ad Thressam confugisse mulierem, & fefelliſſe, cùm se texisset muliebri veste. Deinde autem cùm debellasset Meropes, & expiatus esset, ducta Alcíopi filia, vestem sumsit floridam. Itaq; eo in loco, vbi pugnatum fuit, rem sacram facit pontifex. sponsi autem sponsas amplectuntur muliebrem induti amictum.

Vnde Megaræ genus est Hamaxokyliston? In effræni illa populari in repub. potentiæ licentia, quæ palintociam etiam & sacrilegium protulit, accidit vt missi Delphos consultum oraculum atque ad solennem festiuitatem Peloponnesij legati, cùm per Megaricam irent, apud Aegira cum vxoribus & liberis vt res tulerat in quadrigis ad paludem pernoctarent. Megarensium autem ferocissimi ebrietate, petulantia, immanitateque incitati, quadrigas in paludem devoluerunt, ita vt multi legatorum fuerint suffocati. Ac Megarenses quidem in ista reip. confusione flagitium istud impune esse passi sunt. Amphyctoines autem, habita ratione sacrosanctæ ad Delphos missionis, sceleratos istos partim extremo humanorum supplicio, partim exilio pœnas pendere coegerunt. Horum flagitiosorum posteri Hamaxocylistæ, quasi vehiculorum devolutores nominares, appellati sunt. LIX.

PLVTARCHI

Cur oracula edi desierint, commentatio.

AQVILAS quasdã, Terenti Prisce, aut olores fabulantur ab extremis terræ partibus ad medium eius volatu tendentes Pythiæ eodem conveniſſe ad locum, cui Omphalo, id est vmbilico nomen est. Postea autem temporis Phæstium Epimenidem fabulam hanc vanitatis coarguisse apud Deum: cúmque oraculum accepisset ambiguum atque obscurum, dixisse,

Vmbilicus terræ.

Non equidem terræ, aut extat medius maris umbo,
Aut superis solis hominum non cognitus ulli est.

Atque hunc quidem meritò vltus est deus, fabulæ priscæ, tanquam picturæ conatũ in probitatem inquirere. Enimverò paulo antè Pythia nostra ætate à Callistrato acta, evenit vt à diuersis terræ finibus Delphos convenirent duo sacri viri: Demetrius grámaticus è Britannia Tarsum, quæ ei patria erat, revertens, & Cleombrotus Lacedæmonius. Hic diu per Aegyptum & Trogloditicam vagatus, & magnam maris rubri partem subvectus erat, non sanè negociandi gratia: sed homo spectandi & parandi sibi splendoris cupidus; cùm esset re satis lauta, non magni ducens possessionem opum iis quæ sufficerent ampliorem, his rebus ocium insumebat, historiámque colligebat quasi materiam philosophiæ, cui (vt aiebat) theologia finis erat propositus. Et quia nuper apud Ammonem fuerat, satis præ se ferebat cætera se non valdè admiratum: de lucerna autem perpetuò ardente rem narrabat dignam animadversione, de qua ex sacerdotum sermone percepisset. subinde enim quovis posteriore anno minus olei absumi quàm præcedente: atque hoc illos pro certo

certo argumento annorũ inæqualitatis ducere, quę sequentem annum semper breuiorem superiore faceret. quòd probabile sit minori tẽpore minus absumi. Mirantibus qui aderant, Demetrius ridiculum esse pronunciabat, velle ex tam minutis rebus tam arduas indagare. nõ enim hoc esse (id quod Alcæus ait) ex vngue leonem pingere, sed è papyro & lucerna occasione petita cœlum simul & totum vniuersum mutare, ac mathematicam scientiam funditus abolere. Tum Cleombrotus: Nihil, inquit, horum istos viros perturbauerit, neque verò accurata subtilitate superari se à mathematicis concedent: quos faciliùs in tam longis motuum ac temporum intervallis ratio fefellerit annorum, quàm istos olei mensura, cùm ob insolentiam rei quæ evenit semper accuratè obseruent eam. Iam multis artibus impedimento fuerit, Demetri, qui non concedat exigua magnorum esse argumenta: atque hac ratione multarum artium demonstrationes, multarũ prædictiones perimentur. Sanè vos quoque rem non paruam demonstratis, Heroës corpora sua solitos læuigare nouacula, eo quòd apud Homerum in mentionem nouaculæ incidistis. & antiquum esse pecuniam in fenore ponere docetis, quòd apud eundem quidam dicit:

Parua esse magnorum argumẽta.

Iliad. κ. 173

Namque hęc augetur mihi magna pecunia pridem.

Odyss. γ. 367
Iliad. κ. 394.

augeri enim interpretamini fenerando. rursum noctem eo acutam cognominãte, arripitis hoc dictum cupidè, atque hoc ipsum traditis esse, quòd vmbra terræ quippe globosæ, turbinis seu metæ figuram habeat. Præterea quis medicos pestilentem æstatem prædicere ex telarum aranearum multitudine, aut vernis fici foliis cornicis pedem referentibus patietur, qui contendat parua magnorum nõ posse esse indicia? quis mensuram Solis ad congium heminámve explorari sinet? aut laterculum hunc, qui ad superficiem soli acutum angulum sua inclinatione

facit, mensuram esse concedet altitudinis eius, in-
quam mundi vertex semper conspicuus supra hori-
tem attollitur? Ista enim ex Ammonis sacerdoti-
bus audire licebat. Aliud ergo quærendum est quo
eos oppugnemus, si volumus ostendere, sicvt à ma-
ioribus nostris accepimus, Solis motum eodem or-
dine constare, neque ab eo vnquam desciscere. Hic
Ammonius philosophus (intereat enim colloquio)
Non Solis duntaxat, exclamans aiebat, sed totius
An anni de crescant. adeò cœli causa agitur. Si enim anni decrescunt,
necesse est iter Solis quod ab vnius solstitij puncto
ad alteram tenditur, contrahi, vt non maneat tanta
finitoris pars: quantam esse tradunt mathematici,
sed subinde curtetur australibus partibus versus se-
ptentrionales coarctatis. quin & æstas nostra bre-
uior fiat oportet ac frigidior, Sole interiùs cursum
flectente, & parallelos maiores tropicis signis de-
scribente. vmbilici quoque Solis quos gnomones à
recto angulo vocât Græci, Syenæ constituti nõ am
pliùs vmbra carebunt circa solstitium æstiuũ. & mul
tæ stellarum inerrantium intervallo diminuto loca
sua deserere, quædam etiá mutuò se tangere & con
fundi cogentur. Quod si dicant, reliquis suum æqua
liter ordinem tuentibus, vnius Solis motũ sibi non
constare: neq; causam poterũt monstrare, quæ cum
solum ex tãto stellarum numero accelerare motum
suum cogat, & eorũ quæ in cœlo fieri sensu depræ-
henduntur pleraque conturbabunt: planissimè vni-
uersa ea, quæ Lunæ Solis respectu eveniunt. Nihil
ergo istis opus habemus, qui olei mẽsura discrimen
arguant: defectus enim Solis & Lunæ mutui, cum
vel hæc in vmbram terræ à Sole proiectam incidit,
vel ipse ad lineam supra lunam positus à nobis con-
spici non potest, optimè rem detegent. vt porrò va-
nitatem istius rationis explicare nihil attineat. At
verò, inquit Cleombrotus, mensuram olei ipsemet
vidi, frequenter ab eis monstratam. & præsentis an-
ni quan-

ni quantitas à prisca aberat permultum. Respondit Ammonius. Ergone res ea fefellerit reliquos homines, apud quos ignes coluntur adseruantúrque per temporis pœnè infinitũ spacium? Quod siquis tamen omnino verã esse rem ponat, equidem præstat causam adscribere frigiditatibus aliquibus & humiditatibus aëris, quibus ignis languefactus non posit multum conficere alimenti, neque opus eo habeat: aut siccitates contrà & caliditates causari. iam enim audiui qui de igne dicerent, hyeme eum meliùs ardere plúsque habere virium, frigore in sese coactum ac stipatum: in æstu autem raritate contracta imbecillum reddi atq; languidum: & sub Sole accensum remissiùs agere, materiámque molliter invadere ac tardiùs consumere. Maximè verò liceat causam in ipsum conferre oleum. nõ enim absurdum est, olim id ex recenti natum stirpe plus aquei habuisse admixtum, minúsque alendo valuisse: posteà coctum in perfecta planta ac coactum, eadem quantitate plus potuisse, ignémq; faciliùs fouisse. * oportebat Ammonis administros seruare propositum suum, quanquam abhorrens, à fide & insolens. Vt finem dicendi fecit Ammonius, ego: Quin tu, inquam, Cleombrote, de oraculo nobis enarra. antiqua enim fama multum ei diuinitatis tribuit, nunc quidem videtur emarcescere. Tacente Cleombroto, & oculos in terram coniiciente, Demetrius: Nihil, inquit, attinet de isto percunctari oraculo, & causam quærere, cùm videamus oracula quæ in his sunt locis obsoleuisse, atque adeò duobus aut tribus exceptis, omnia defeciisse. id potiùs indagandum est, quibúsnam causis exstincta sint. Nam vt alia taceam, Bœotiam, quæ superioribus temporibus ob oraculorum multitudinem vocalis admodum fuit, nunc prorsus destituerunt oracula, tanquam amnes siccati, ingénsque diuinationis quasi æstu quodam abolitæ

Ignis natura.

penuria regionem occupauit. neque enim alibi hodie, quàm apud Lebadiam Bœotia hauſtum vaticinationis reſponſa deſiderantibus præbet: reliqua partim ſilent oracula, partim vaſta prorſus deſertáque iacent. Atqui ea tempeſtate, qua Medi bellum Græciæ intulerunt, Amphiarai oraculum non minori fama clarebat. Sanè vtrunque tunc conſuluit Mardonius: & vates apud Lebadiam, Aeolica lingua miſsis à barbaro reſpondit, ita vt hoſiorum (ſic vatum ſocios appellant) nemo intelligeret: furore diuino id ſignificante, nihil ad barbaros pertinere oracula, neque iis voce, quam intelligere poſſent, reſponderi. Seruus autē qui miſſus erat ad Amphiarai, per quietem imaginatus eſt apparere ſibi miniſtrum dei. ab eo primum verbis ſe eiici fano deum abeſſe dicente. deinde manibus pulſatum, cùm perſtaret, magno ſaxo ab eo in caput ictū eſſe. atq; hæc quaſi vocis loco fuerunt futura denunciantis. Victus eſt enim Mardonius non rege, ſed regis procuratore & miniſtro Græcos ducente, & ſaxo ictus cécidit, ſicvt Lydus ſe percuſſum in ſomnis putauerat. Floruit tum etiam apud Tegyras oraculum, vbi natum Apollinem aiunt, duorúmq; alluentium riuorum alterum Phœnicem (palmam arborem,) alterum Elæam (oleam) quidam etiamnum nominant. Medici belli tempore, Echecrate vaticinante, deus victoriam Græcis & robur prædixit. Bello autem Peloponneſiaco Deliis inſula ſua exturbatis oraculum Delphis allatum ferunt, quo iuberentur locum quærere, quo in loco natus fuiſſet Apollo, ibíq; ſacrificia quædam peragere. mirantibúſq;, & dubitatione perculſis quòd non in Delo ſed alibi natus Apollo diceretur, addidiſſe Pythiam, cornicem eis locum indicaturum. Profectos deinde Chæroneam veniſſe, & ibi mulierem, in cuius cauponam diuerterant, audiuiſſe cum hoſpitibus quibuſdam Tegyras euntibus de oraculo colloquentem, eóſque digredientes

Oracula Mardonio data.

gredientes eam Cornicem (hoc enim erat mulieri nomen) consalutantes: atque sic oraculi sententia percepta, Tegyris rem sacram fecisse, neque multo pòst tempore reditum in patriam consecutos fuisse. Recentiora etiam horum oraculorum documenta exstiterunt: quæ oracula cum prorsus iam obmutuerint, operæpreciũ est nos, cùm apud Apollinem Pythium convenerimus, causam mutationis quærere. Dum hæc colloquimur, interea à templo progressi ad fores curiæ seu leschæ venimus, in quam Cnidij solebant coire. ingressi, amicos, quos volebamus conventos, sedentes offendimus & adventum nostrum præstolantes. Quiescentibus ibi tum reliquis, quòd ea diei erat hora, vt vel vngerentur, vel athletas spectarẽt, Demetrius leniter subridens:

Mentiar, an potiùs uerum eloquar,— inquit? *Odyss. d*, 140.

nihil mihi præ manibus habere videmini, quod dignum disquisitione sit: adeò vos ego ociosos & vultibus in hilaritatem solutis hìc desidere conspicor. Eius verba excipiens Heracleo Megarensis: Non enim (ait) quærimus quæ sit ratio quòd Iacio in præterito Ieci A in E, in longam breui mutata, & syllabarum imminuto numero, effertur, aut à quo primitiuo deducantur vocabulo hæ voces, Melius, Peius, Optimũ, Pessimum. Hæc enim & alia id genus corrugant frontem: de aliis licet placidè disputare ac inquirere, superciliis quietis, & absque vultus tristicia, aut aduersus præsentes morositate. Nos ergo, inquit Demetrius, accipite, & quæstionem in quam incidimus, huius loci propriam, & Apollinis causa ad omnes pertinentẽ: ac videte, ne inter ratiocinandum supercilia adducatis. Postquam permixti eis adsedimus, & quæstionem in mediũ proposuit Demetrius: confestim prosiluit Cynicæ sectæ philosophus Didymus, cognomento (quod ei à vagando tanquam erroni factum probabile videtur) Planetiades: ac scipione duobus aut tribus editis ictibus

exclamauit: Eho, eho, scilicet rem difficilem & multæ indigentem disquisitionis adfertis nobis? nimirum verò tãta malicia per humanũ disipata genus mirum est, si non tantùm (quod prædixit Hesiodus) Verecundia & iusta indignatio (quæ Nemesis dicitur) humanam reliquerunt vitam: sed Providentia etiam diuina conuasatis oraculis omnino abiit. Immò ego hoc contrà vobis disputandum propono, cur non iamdudum ab edendis oraculis animum Apollo averterit, aut ei Hercules rursum aliúsve deorum tripodem sustulerit, oppletum obscenis & impiis quæstionibus, quas deo proponunt: alij eum tanquam sophistam tentantes, alij de thesauris, hæreditatibus, incestísve nuptiis sententiam scitantes. vt quidem palàm coarguatur Pythagoras erroris, qui tunc sibi ipsis maximè præstare, quod ad probitatem attinet, homines dixerit, quando ad deos accedunt: cùm quæ convenit vitia aut perturbationes animi coram seniore homine inficiari atque tegere, ea aperta ac nuda homines deo exponant. Plura dicturi lacernam Heracleo arripuit. & ego, de toto numero ferè ei maximè familiaris: Desine, aiebam, mi Planetiade, lacessere deum iritabilem, & ingenio nequaquam leni. quanquam, vt Pindarus ait, hoc ei est iunctum iudicio deûm, vt hominibus sit benignissimus. & siue is Sol est, siue dominus patérque Solis vltra omnem visui expositam collocatus naturam, verisimile non est eum nostra ætate homines voce sua dedignari, quibus nascendi, nutrionis, vitæ ac intelligendi causa ipse est. neque hoc est consentaneum, Providentiam, quæ velvti benevola mater omnia ad vtilitatem nostram parat atq; conseruat, in sola diuinatione rationem habere acceptarũ iniuriarum, & quam ab initio largita sit nobis, eã adimere: quasi verò non tum quoq; inter homines mali bonos numero vicerint, cùm oracula multis in

Pythagoras notatur.

terræ

terræ partibus vocalia fuerunt. Itaque huc sodes adsíde, & pactis cum perversitate, quam nunquam non oratione tua soles incessere. Pythicis induciis, nobiscum aliam quandam cur oracula desitum sit
5 edi causam perquire, quæ res proposita est: Apollinem autem iritare caue, eúmque propicium relinque. His ego verbis tantum perfeci, vt tacens per ianuã exiret Planetiades. Silentio aliquandiu exinde facto, Ammonius me compellans, Vide sis, in-
10 quit, ô Lampria quam rem agamus, animúmque disputationi adverte, ne deum in causa huius rei esse negemus. Qui enim alia quadam de causa, non voluntate dei putat oracula desisse, suspicionem iniicit ea ne extitisse quidem diuinitus, sed alio quo-
15 dam cepisse modo. neque enim maior alia aut potentior vis est, quæ abolere diuinationem possit, siquidem ea est dei opus est. Sanè mihi Planetiadæ sermo cùm ob alia non probabatur, tum ob inconstantiam quam deo tribuebat, qui modò aversare-
20 tur improbitatem, modò rursus admitteret: non aliter, quàm si quis rex aut tyrannus alteris foribus malos excluderet, alteris intromitteret, iisque responsa daret. Sed cùm deos id opus maximè deceat, quod maximum sit & sufficiens, nus-
25 quam supervacaneum, vbique plenum & nihil extra se requirens: si quis hoc sumens, communis hominum penuriæ, quam superiorum temporum seditiones & bella toti ferè orbi terrarum invexerunt, maximam partem Græciam sensisse: (quip- *Hominum penuria.*
30 pe vniuersa Græcia hodie vix tria millia gratuis armaturæ militum posset præbere, quantas copias olim sola Megarensium ciuitas misit ad Platæas) sic ratiocinetur, deum si multa reliquisset oracula, nihil aliud acturum fuisse, quàm
35 Græciæ vastitatem arguturum: huius ego subtilitatem commenti admodum probauero. Quorsum enim prodesset oraculum, si vt quondam

esset Tegyris aut apud Ptoum? vbi interdiu hominem invenires pecus pascentem. Et verò huic ipsi huius loci oraculo & tempore antiquissimo, & fama clarissimo illatam à dracone feminа, bellua sæua, solitudinem, idque longo tempore inaccessum fuisse narrant: vacationem non rectè, sed præposterè accipientes. Solitudo enim bestiam potiùs adduxit, quàm bestia solitudinem effecit. Postquā verò dei voluntate Græcia vrbibus creuit, & locus frequentari hominum copia cepit, duabus vsi sunt vatibus, quæ per vices ad cortinam sederent: erátque etiam tertia designata, tanquam adsidens iis. Nunc vnica est antistita: neq; incusamus, cùm eius opera consultoribus sufficiat. Non igitur incusandus est Apollo. diuinatio enim quæ reliqua est, omnibus sufficit, & vnumquenque adeptum quod volebat dimittit. Itaque sicvt Agamemno præconibus vsus nouem vix continuit concionem præ multitudine: hæc autem paucis pòst diebus vnam vocem in theatro ad omnes pervenientem sentietis. ita quondam pluribus vocibus ad plures vsa est vis fatidica: nunc contrà mirari debuissemus, si pateretur oracula inutiliter aquæ instar diffluere, aut resonare quomodo in solitudine saxa pastorum & pecoris voces reddunt. Cùm hæc dixisset Ammonius, & ego tacerem, Cleombrotus me appellans: Iámne, inquit, hoc tu concessisti, oraculorū deum & autorem esse & eversorē? Non sanè, inquā. Nullum enim oraculum, nullum vaticiniū aboleri à deo ipse affirmo. Sed quemadmodum multis aliis rebus, quas dij nobis conficiunt atque apparant, interitum natura infert, aut materia potiùs priuationi obnoxia retexit atq; mutat quod à præstantiore causa fuerat conditum: ita diuinandi quoque facultatem arbitror obscurationes esse alivnde atque abolitiones. quippe præclara multa hominibus deus dedit, immortale nihil, vt deorum quoque pereant opera, ipsi non, secundum

Iliad. β, 96.

Deorū opera caduca.

Sopho-

Sophoclem. Naturam porrò & vim oraculorum iis aiunt considerandam esse, qui naturæ rerũ & rerum materia præditarum gnari sunt: ita quidem vt Deo, sicvt par est, principium imputetur. est enim nimis quàm puerile & fatuum, opinari ipsum deum in corpora vatum, quos olim Engastrimythos Eurycleas, quòd è ventre sermonem fatidicũ promerent, nunc Pythonas nominant, se immittere, eorúmque ore loqui, & voce pro instrumento vti. * Qui enim deum humanis admiscet necessitatibus, is maiestati eius non parcit, neque dignitatem & magnitudinem potestatis eius conseruant. Ad hæc Cleombrotus: Rectè, inquit, dicis. Cæterùm quando difficile est intelligere ac definire providentiam quo modo & quatenus explicandis rerum causis adhibere debeamus: quidam nullius rei, alij omnium in vniuersum rerum causam deo inscribentes, vtrique à mediocritate & decoro aberrant. Non malè quidem dicunt, qui Platonẽ aiunt principio quod qualitates quę gignuntur subiectum sustinet (materiam nunc vocant) excogitato, multis magnísque philosophos liberasse difficultatibus. Mihi tamen plures ac difficiliores dubitationes videntur soluisse, qui geniorum seu dæmonum genus medio inter deos & homines loco constituerunt, & quod nos cũ his quodammodo conciliat atque coniungit inuenerunt. siue hæc magorũ ac Zoroastris doctrina est, siue Thracica ab Orpheo profecta, siue Aegyptiorũ, aut Phrygum, vt colligimus ex vtrorumque sacrificiis, orgiis & ritibus sacrorum multa admixta funebria & lugubria cernentes. De Græcis Homerus videtur promiscuè deorum ac geniorum vsus nominibus, vt diis quoque aliquando dæmonum nomen imposuerit. Hesiodus purè & distinctè primus quatuor genera præditorum ratione expositi: primùm deos, deinde genios, pòst heroës, denique homines. atque hinc mutationem instituit aurei generis in

Dij an ore vatum loquantur.

Materia.

De geniis.

genios multos ac bonos, semideorum autem in heroës. Alij vt corporum, ita etiam animarum mutationem statuũt. sicvt enim ex terra aqua, ex hac aër, ex aëre ignis fieri cernitur, sursum se efferente natura: sic meliores animas ex humanis in heroicas, ex heroibus in genios mutari: è geniis quasdam paucas longo tempore virtutis ope prorsus purgatas diuinæ naturæ participes reddi: aliis vsu venire vt suimetipsarum impotes rursum demittant se, inq; humana corpora denuò illapsæ, fulgoris expertem obscurámq; nanciscantur vitam. Hesiodus verò certis temporum conversionibus mortem geniis obtingere censet, & tempus etiam sub involucro proponit, hæc sub Naidis persona loquens.

Quanta homini est ætas uegeto dum corpore durat,
Ter tres ætates humanas garrula cornix.
Viuax cornicis complet ceruus quater æuum:
Triplicat & cerui uiuendo tempora coruus.
At seclum corui nouies complectitur ætas
Phœnicis. sed uos, soboles formosa Tonantis
Nymphæ, phœnicis decuplos duratis in annos.

Hoc tempus in numerum ingentem extendunt, qui ætatem seu æuum non rectè accipiunt. Est enim annus intelligendus: & fit totum spacium vitæ geniorum anni IX CIↃ IↃ CCXX. Ac multi quidem mathematicorum minus id ponunt: longius ne Pindarus quidem, qui nymphas ait viuere æuum tanti temporis, quantum durare arbor potest, indéq; Hamadryadas, quasi cum quercubus viuẽtes, dici. Hujus adhuc loquentis sermonem excipiens Demetrius: Quomodo, inquit, dicis Cleombrote ætatem viri dictam annum? quando neq; vigentis, neq; (vt apud Hesiodum nonnulli legunt) senescentis ætas hominis tantilla est. etenim qui vigentis legunt, ij XXX annos intelligunt de Heraclti sentẽtia: quod tanto tempore natum genitor gignentem præbet.

qui

qui seneſcentium legunt, CIIX annos ætati tribuunt: nam LIV ſtatuunt eſſe numerum dimidiæ vitæ humanæ, compoſitum ex vnitate, primis duobus planis, duobus quadratis, & duobus cubis: quos Plato etiam numeros ad animæ procreationem adhibuit. & Heſiodus omnino videtur obſcurè innuiſſe conflagrationem, in qua neceſſe eſt vnà cum humidis rebus aboleri etiam Nymphas.

— lucis quotquot degunt in amœnis,
Ad fontes q; colunt fluuiorum, atq; humida prata.

Ibi Cleombrotus: audio, inquit, & video hanc Stoicorum conflagrationẽ, quæ vt Heracleti & Orphei verſus invaſit & pervertit, ita Heſiodum quoq; arripit. Sed neq; mundi interitũ ego admitto, neque alia quæ fieri nõ queunt: cum maximè ipſa vox cornicis & cerui moneat, in tantam annorum ſummam excreſcere non poſſe rem. Cæterùm annus cum initium in ſe contineat finémq; omnium quæ temporibus ſtatis naſcuntur, non ineptè hominis ætas dicitur. Nam & vos fatemini ab Heſiodo ætate nõ ſignificari vitam humanam. nónne? Fatente hoc Demetrio, Cleombrotus: Iam hoc quoq;, inquit, manifeſtum eſt, ſæpenumero rem & menſurã eius vno eodémq; vocabulo appellari, vt hemina, chœnix, amphora, modius docent. Quo igitur modo vnitatem, vtpote omnium numerorum menſuram minimã atque principium, nomine numeri dignamur: ſic annum Heſiodus, cùm eo primo vitam metiamur humanam, voce cũ eo quod metitur cõmunicata ætatem nominauit. Quos enim iſti numeros faciunt, ij nihil eorum habent, quæ in numeris illuſtria ac præclara habentur. Numerus IX CIↃ IↃ CCXX procreatus eſt quatuor primis ab vnitate numeris in vnam ſummam collectis, eáq; quater accepta. ſic enim conficiũtur XL. qui numerus quinquies triangulus in morẽ aſſumptus, IX CIↃ IↃCCXX producit.

Annus.

Verùm de his me cum Demetrio contendere non est opus. Siue enim lôgius est, siue breuius, siue constitutum, siue incertum tempus, quo mutatur genij anima aut herois vita, quovis tamen dato iudice, evincetur testibus productis sapientibus atque antiquis, naturas esse quasdam velvti in confinio deorum atque hominum interpositas, motibus quibus mortalia afficiuntur, mutationibúsq; obnoxias necessariis. quas genios maiorũ instituto appellari rectum est ac censeri, & coli. Huius argumenti exemplum Xenocrates Platonis sodalis proposuit formas triangulorum, cùm diuinæ naturæ conferret æquilaterum triangulum, mortali omnibus inæqua libus lateribus contentum, geniorum id, quod duo latera æqualia, eadémque reliquo inæqualia habet. æquilaterum enim vndiquaque æquale est, secundum vsquequaque inæquale, tertium & æqualitatem & inæqualitatem habet: atque huic geniorum natura respondet, affectiones humanas in se habẽs, iuxtáq; vim diuinam. Ipsa verò natura sensiles imagines, ac visilia nobis proposuit simulacra. deorum quidem, Solem & astra, mortalium autem subitos fulgores, cometas, ignes in sublimi traiicientes. quô etiam allusit his versibus Euripides:

Deorum, geniorum, & hominum simulacra.

Verùm ille carne florens nuper, cœlitus
Delapsa tanquam stella, exstinctus in æthereм
Emisit animam.——

* Cæterùm Lunam condidit, corpus mixtũ, ac dæmonum simulacrum, quæ cum geniorum mutationibus convenit ob vices incrementorum & decrementorum. quod obseruantes, alij eam terreum astrum, alij cœlestem terram, alij terrestris iuxtà ac cœlestis sortem Hecates nominauerunt. Quemadmodùm igitur si quis aërem qui inter terram & Lunam est interiectus subduceret, is vniuersi vnitatem ac cohærentiam solueret, vacuo in medium & ne-

Geniorũ necessitas.

xus experte loco existente: ita qui geniorũ gentem non admittunt, ij inter deorũ ac hominum res nullum relinquunt commercium, vim interpretem (vt Plato nominat) atque administram perimentes. aut profectò confundere nos omnia & conturbare cogunt, deum in humanas res & affectiones coniicientes, detrahentéſque ad vſus, quomodo Theſſalæ Lunam deducere cœlo feruntur. Quanquam hoc quidem creditum fuit à mulieribus, aſtutia Aglaonicæ Agetoris filiæ. quam aiunt aſtrologię peritam, Luna delinquente ſemper ſimulaſſe eam ſuis ſe deducere veneficiis. Nos autem neque his aures præbere debemus, qui vaticinium aliquod, aut ſacrificium, aut orgia negligi à deo dicunt. neque rurſum deum in his obverſari, adeſſe, & in agendo occupari opinemur: ſed adſcribentes iſta deorum quibus par eſt adminiſtris, velvti famulis ac ſcribis, ſtatuamus genios eſſe, qui ſacra deûm & orgia inſpiciant atque obeant: tum alios circumire, vindices ſuperborum atque immanium ſcelerum. Sed & alios eſſe, quos Heſiodus admodum grauiter diuitiarum datores appellat caſtos, aítque hunc iis regium honorem obtigiſſe: quia ſcilicet regium eſt, beneficentia. Vt enim inter homines, ita etiam inter genios gradus ſunt & diſcrimina virtutis, & naturæ perturbationibus obnoxiæ ac brutæ, aliis reliquiæ languidæ & obſcuræ, tanquam excrementum quoddam adſunt, aliis copioſæ & delectu difficiles: quarum veſtigia atque notæ multiplices in ſacrificiis, imitationibus, & fabuloſis narrationib. diſperſæ conſeruantur. Ac de myſteriis quidem, ex quibus maxima indicia & argumenta veritatis de natura geniorũ duci poſſunt, os, vt cum Herodoto loquar, meum ſe contineat. Quæ verò feriæ & ſacrificia, tãquam atri dies & neſaſti, peraguntur, in quibus cruda vorantur, diſcerpuntur homines, ieiunia & planctus adhibentur, ſæpenumerò etiã obſcena dicta, furoréſque,

æ. ἐργ. 124.

Geniorũ nõ vnũ genus.

Sacrificiæ fœda.

& conclamationes bellicæ excitatæ cum fremitu & ceruicum iactatione: his ego nullum deum coli puto, sed placandorum & depellendorum malorum geniorum gratia instituta ea dixerim. & quòd olim homines immolati fuerunt, probabile est neq; deos popoſciſſe aut admiſiſſe talia ſacrificia: neque reges tamen atque duces fruſtra ſuſtinuiſſe dare pro hoſtia prolem ſuam, & ſacra ipſos fuiſſe auſpicatos hoſtiámq; iugulaſſe: ſed feciſſe hoc vt iras & indignationes malignorum moroſorúmque auerruncarent geniorum, aut diris ſatisfacerent dæmonibus, nonnullorum etiam inſanos & tyrannicos exſatiarent amores. qui cum non poſſent, aut non vellent corpore corpori miſceri, ſicvt Hercules Oechaliã virginis cauſa oppugnauit, ita validi violentíq; dæmones illi poſcentes dedi ſibi animã humanam corpori incluſam, cùm corporis commixtione amorem ſuum non poſsint explere, peſtes vrbibus ac ſterilitates inferunt, bellíſque eas & ſeditionibus exagitant, donec conſequantur amatam animam. Nonnulli cõtrà. Cùm enim in Creta permultum exegiſſem temporis, cognoui ibi ſacrũ peragi abſurdum, in quo etiam ſimulacrum viri capite truncatum oſtendunt, aiúntque hunc fuiſſe Molum Merionis patrem, qui cùm Nympham vi compreſsiſſet, abſque capite inventus fuerit. Et verò quas deorũ raptiones, quos errores in fabulis referunt atque agitant, tum occultationes eorum, exſilia, & obita miniſteria: non diis iſthæc evenerunt, ſed geniis, quorum caſus ob virtutem ipſorum & potentiam memoriæ ſunt proditi. & neq; Aeſchylus rectè dixit,

Caſumq; Apollinem, extorrem cœlo deum:

neque Sophoclis Admetus:

Hunc Gallus ad molam excitans duxit meus.

Longiſsimè autem à veritate aberrant Delphorum theologi, qui putant hîc aliquando Apollinem cum dracone

dracone de oraculo decertasse: patiuntúrq; ista dici à poëtis & oratoribus in theatris de palma contendentibus, ac quasi dedita opera testimonio suo damnantibus ea, quæ ipsi in sanctissimis agunt sacris. Admirante Philippo (aderat enim is historiarum scriptor) & quærente, contra quos tandem ritus putaret testimonium ferri ab istis concertatoribus: Contra hos ipsos (inquit Cleombrotus) qui apud oraculum peraguntur hocce, quibus omnes Græcos qui sunt extra Pylas initiauit vrbs hæc, & vsque ad Tempe progressa est. Nam tabernaculum quod nono quoq; anno iuxta aream excitatur, non cauernosa draconis est specus, sed exemplum tyranici aut regij domicilij, itémque irruptio in eam tacituma per locum qui Dolonea dicitur. tum patrimus matrimúsque puer facibus ardentibus adducitur, igniq; tabernaculo iniecto, sub versaque mensa effuse nunquam retrò oculos reiicientes fugiunt. denique errores & ministeria pueri, & piacula quæ ad Tempe fiunt lustrandi gratia, magni alicuius sceleris facinoríque audacter perpetrati suspicionem insinuant. Nimis quàm enim ridiculum est, Socie, Apollinem ob interfectam bestiam expiationis indigum ad Græciæ extrema fugisse, ibique libationes quasdam fecisse, & ea egisse, quæ homines agũt vt iram avertant ac placent geniorum quorundam, quos alastores & palamnæos nominant, tanquàm veterum aliquorum & nulla obliuione conterendorum scelerum vltores. Quem verò ipse de fuga hac & exsulio sermonem audiui, valdè quidem absurdus & à probabilitate alienus est: sed si quid tamen veri continet, existimemus non exiguum aut vulgare aliquid istis temporibus circa oraculum euenisse. Sed ne videar, vt cum Empedocle loquar,

Ritus Delphici.

Culminibus nectens aliis fastigia summa
Sermonum, uariis incedere callibus,——

finite me primis dictis finem convenientem imponere. Iam enim eò perventum est, audeamúsque id post multos alios ipsi quoque pronunciare, geniis qui oraculis ac vaticiniis præfecti sunt vel deficientibus omnino, etiam intercidere ista, vel fugientibus aut aliò migrátibus vim suam amittere: rursúsque longo pòst tempore reversis iis, tanquam instrumenta sonare fatidica loca eorum ob præsentiam. Quę cum dixisset Cleombrotus, Heracleo: Sanè, inquit, nemo nobis adest profanus, aut qui de diis incõcinnas foueat sentẽtias. ipsi interim tamen, Philippe, nos attendamus, ne imprudentes orationi principia grandia, eáque absurda largiamur. Rectè mones, respondit Philippus. sed quid nam in dictis à Cleombroto est, quod te potissimùm terret? Tum Heracleo: Quod oraculis, inquit, præesse statuuntur non dij, quos par est nihil habere cum terrestribus negocij, sed deorum administri genij, id videtur mihi non malè pronunciatum esse. quòd autem geniis istis tantùm non ex versibus Empedoclis palàm arreptis peccata quædam, calamitates, & errores à diis iniuncti adscribuntur, denique morti perinde atque homines subiiciuntur, ferocius mihi videtur dictum, magísq; barbaricè. Quæsiuit e Philippo Cleombrotus, quisnam & cuias esset hic adolescens. cognitóq; nomine & patria, Ne nos quidem, inquit, mi Heracleo, ignoramus in sermonẽ nos incidisse absurdi suspectum. Sed non potest in disputatione de magnis rebus ad consentanea opinioni perveniri, nisi magnis vtamur initiò principiis. Tu verò non animadvertis id te auferre quod das. fateris enim esse genios: dũ verò negas eos vitiosos esse ac mortales, nõ iam genios esse finis eos. Qua enim re à diis differrent, si & natura inreritui non obnoxia, & quod ad virtutem attinet perturbationum errorísque expertes sunt? Cum ad hæc Heracleo tacitus quippiam secum commentaretur, sic Philippus

insit.

inſit. Non Empedocles tantùm, ô Heracleo, ſcriptũ reliquit eſſe quoſdam prauos genios: ſed Plato etiã, Xenocrates, atque Chryſippus. Sed & Democritus dum precatur imagines ſibi obtingere felices, profe-
5 ctò oſtendit eſſe alias quaſdam adverſas atque prauas, & quæ voluntatem ad mala incitent. De morte autem geniorũ narratione audiui viri nequaquam fatui aut vani. Aemiliani rhetoris, quem & veſtrũm nonnulli audiuerunt, pater fuit Epitherſes, ciuis
10 meus, & grammaticæ doctor. Is aiebat ſe aliquando in Italiam nauigare intendiſſe, ac conſcendiſſe nauim, quæ & mercibus & multis vectorib. eſſet onuſta. ſub veſperam verò, cum iuxta Echinadas eſſent, ventum poſuiſſe, nauímq; incerto curſu prope Pa-
15 xas delatam. vigilaſſe tum vectorum pleroſq;, multos etiamnum à cœna potaſſe. Tum ſubitò ab inſula Paxis auditam fuiſſe vocem, quæ Thamũn quendam nominatim cieret, non ſine admiratione homi num. erat autem Thamûs iſte Aegyptius guberna-
20 tor, paucis vnà vehentium de nomine notus. Hunc bis vocatum, ſiluiſſe: tertiò vocanti ſe dediſſe. eúmque contenta voce dixiſſe: Vbi ad Palodes veneris, annuncia magnum Panem eſſe mortuum. Perterritos aiebat Epitherſes hoc audito vniuerſos, ac
25 inter ſe diſputaſſe præſtarétne exſequi hoc mandatum, an verò omittere, neq; quicquam curiosè agere. Thamûn autem ſtatuiſſe, ſi ventus ſpiraret, tacitum ſe prætervecturum: ſin malacia ad eum locum pervectis exſiſteret, expoſiturum quod audiuiſſet.
30 Poſtquàm ad Palodes perventum fuit, cùm neque ventus eſſet, neq; fluctibus mare exagitaretur, Thamûn è puppi verſus terram proſpexiſſe, ac quod inaudiuerat dixiſſe, Mortuus eſt magnus Pan. Vix dũ conticuiſſe illum, & gemitum magnum exauditum
35 fuiſſe, non vnius ſed multorum, admiratione mixtũ. Quod autem fieri ſolet cùm evenit aliquid multis teſtibus præſentibus, ſtatim rei famam Romæ fuiſſe

De geniorũ morte.

diditam, Thamúmq; à Ti. Cæsare fuisse accersitum, ac Cæsarem ita pro certo credidisse, vt de Pane illo diligenter inquisiuerit. Doctos verò, quos ille multos secum habebat, conieciſſe eum esse, qui Mercurio & Penelopa fuisset natus. Habuit autem Philippus testes quosdam ex iis qui tum vnà aderant, & Aemiliani iam senis auditores fuerant. Demetrius porrò narrauit, insulas circa Britanniam esse multas hinc inde sparsas (quales ex eo Sporades Græcis dicuntur) eásq; desertas, quarum nonnullæ geniorum & heroum dicantur. Se quoque mittente imperatore cognoscendi atque perlustrandi gratia profectum in eam quæ desertis proxima, à paucis tenebatur incolis, sed quos omnes Britanni sacros inviolabiléq; haberẽt. statim verò post ipsius aduentum magnam in aëre confusionem exstitisse, & portenta multa, ventósq; in procellas erupisse, & ignitos vortices in terram delatos fuisse. sub horum finem, insulares dixisse, aliquem eorum qui præstantioris humanæ sunt naturæ, esse desiisse. sicut enim lucerna, dum accenditur, nihil secũ mali trahit: cùm exstinguitur, molestiam multis adfert. sic magnas animas effulgere quidem placidas & innoxias: dum delentur autẽ, atque óccidunt, sæpe (sicut & in præsentia) ventos ac tẽpestates excitare, aliquandò etiã pestilentia aërem inficere. Sanè ibi quandã esse insulam, in qua Saturnus captiuus detineatur à Briareo, dormiens: (hoc enim vinculum aduersus eum fuisse excogitatum) & adesse Saturno multos genios, comites ipsius ac famulos. Hunc sermonem excipiens Cleombrotus, Habeo, inquit, ipse etiã quæ narrare possim horum germana: sed ad præsens propositum sufficit non aduersari dictis, neq; impedire quo minus vera putentur. Et verò Stoicos nouimus nõ modò de geniis in eadem nobiscum sententia esse, sed etiam de diis, quorum tantum statuunt numerum, vnum dunraxat æternum interitúsq; expertem reliquos

Insulæ ad Britanniã.

quos & natos & obituros censere. Neque metuendæ sunt nobis Epicureorũ fannæ atq; risus, quibus etiam adversus providentiam vti nõ verentur, dum eam fabulæ titulo irrident. Nos fabulæ nomen rectiùs competere dicimus in infinitatem eorum, quę de tot mundis nullum habet diuina gubernatum ratione, sed omnes casu vt natos, ita etiam constãtes. Quod si omnino ridendum est in philosophia, imagines istæ rideantur mutæ, cæcæ, atque inanimæ, quas illi nescio vbi permanere aiunt, & infinitos annorum circulos conficere apparendo, passimq; oberrando, cùm aliæ à viuis, aliæ à pridem crematis aut etiam putredine absumtis defluxerint corporibus. hos, inquam, rideamus, qui nugas ac vmbras huiusmodi in philosophiam attrahũt, interim indignè ferentes, si quis asserat geniis non natura modò, sed ratione etiam congruere vt multum temporis permaneant. Secundum hæc Ammonius: Rectè, inquit, mihi pronũciasse videtur Theophrastus. Quid enim obstat quin vocem grauissimã & philosophiæ conuenientissimam recipiamus? quæ si reiiciatur, multa eorum simul abolet quæ fieri possunt, demõstratione autem carebũt: sin admittitur, nihil secum trahit impossibile aut quod non exstiterit. Quod tamen vnum audiui Epicureos adferre cõtra Empedoclem genios introducentem, non posse eos, mali cùm sint & vitiosi, beatos esse ac longæuos, quòd multa adsit prauitati cæcitas, procliuisque ad ea quæ interimunt lapsus: id verò fatuũ est. Hac enim ratione efficitur, Epicurũ Gorgia sophista, & Metrodorum Alexide comœdiæ scriptore esse deteriorem. hic enim duplum annorũ vitæ Metrodori viuendo confecit: Gorgias amplius triente seculum Epicuri superauit. Alia nimirum ratione validam rem esse virtutem, vitium imbecillam dicimus, non quòd ad corporis durationem aut dissolutionem respiciamus. quãdo etiam animalium multa tarda hebetiq;

Contra Epicureos.

indole prædita, multa etiam libidinosa & incõpõsita diutius viuunt, quàm ingeniosa & callidissima alia. Itaque non rectè deo Epicurei immortalitatem ideò tribuunt, quòd caueat & repellere possit quæ vim habent interimendi. oportebat enim in ipsa natura beati immunitatem perpessionum ac interitus inesse, neque opus habere labore ad eam consequendam vllo aut negocio. Sed fortassis parũ æqui animi esse videatur disputatio contra absentes. itaque Cleombroti est quam de migratione & fuga geniorum intermisit orationẽ resumere ac persequi. Tum Cleombrotus: Atqui mirer profectò, inquit, si non multo absurdior dictis vobis iudicetur, quanquam cum naturæ rerum explicatione videatur cohærere, Platóque ei incentiuum præbuerit, non apertè pronunciãs, sed obscura opinione suspicionẽ quandam de re ambagibus perplexam prodiderit: cautè is quidem, sed tamen multis ipse quoque philosophorum clamoribus impetitus. Verùm quando in mediũ proposita est cratera fabularũ sermonib. permixtarũ, neq; temere in ęquiores auditores incidere liceat, vbi hę narrationes velvti peregrinũ nomisma examinari possint: nó grauatè vobis barbari hominis narrationem largiar. quẽ hominẽ multis ipse erroribus, indiciisq; mercede ampla persoluta, apud rubrum mare semel quotannis hominũ congressui se exhibentem, reliquũ tempus (vt ipse aiebat) cum vagis Nymphis & geniis degentem, ægrè demum inveni, ab eóq; comiter ad colloquium sum admissus. Formosissimus iste hominũ, quos ego quidem viderim, erat, & ab omni perpetuum morbo securus viuebat; singulis mensibus semel fructu herbæ cuiusdam medicato & amaro vescens. multis vtebatur linguis, mecum autem Doricè maximam partem locutus est, sermone non multum à carmine ac cantu differente. loquente autem ipso suauis odor locum obtinebat, ore ipsius suauissimè fragrante. Is

Homo sine cibo uiuẽs.

cùm

cùm totùm tempus in cognitione ac cõsideratione rerũ consumeret, vno die quotannis afflatu ad vaticinandum agebatur, & ad mare se conferens futura prædicebat: accedebant autem eò & principes & regum scribæ, eóque audito discedebant. Hic ergo diuinationem geniis acceptam ferebat, plurimúsq; erat in Delphorũ mentione, & quæ hic Baccho euenisse dicuntur, & sacrificia peraguntur, omnia inauditerat. Verùm cùm hæc esse magnos geniorum casus affirmabat, tum eá ipsa, quæ de Pythone feruntur. Quem qui occídit, eum neque per nouem annos, neque apud Tempe exsulasse aiebat: verùm eiectum venisse in alium mundum, atque inde circumactis nouem magnorum annorum curriculis, expiatum, veréque Phœbum, id est mundum redisse, atque oraculum recepisse, quod interim custoditum à Themide fuerat. Eandem esse rationem docebat Typhonicorum & Titanicorum. fuisse pugnas geniorum aduersus genios, tum exsulia superatorum, aut pœnas à deo peccantibus impositas. quomodo Typhon in Osiridem, & Saturnus in Cœlum fertur commisisse: quorum obscurior factus est cultus, aut etiam planè intercidit, cùm ij in alium commigrauerint mundum. Nam & Solymos audio Lyciorum vicinos Saturno quantos non alij maiores habuisse honores, sed cum is interfectis ipsorum principibus Arsalo, Dryo, & Trosobio, fugit, ac alio (incertum quò, neque ipsi possunt hoc dicere) commigrauit: eo neglecto principes istos Scirorum deorum appellatione adfeciisse. pérque eorũ nomen publicè ac priuatim exsecrationes feciisse Lycios. Huius generis multa desumi possunt ex his, quæ tradita sunt de diis. Quod autem nominibus deorum receptis quosdam genios appellamus, id (addebat hospes) mirum videri non debet. cui enim deo quivis geniorũ adiunctus est, & à quo vim honorémq; adeptus, ab eo nomen habere gaudet. sicut & no- *Geniorum nomina.*

strûm alius Iouius, alius Mineruius, alius Dionysius, alius Apollonius, alius Mercurialis dicitur. Sed quidam geniorum etiam fortuitò rectè appellati sunt: alij nihil ad se pertinentes, sed alienas deorum denominationes nacti. His dictis cùm obticuisset Cleombrotus, nemo fuit cui non admirabilis sermo hic videretur. Heracleone autem interrogante, Quónam modo ista ad Platonẽ pertinerent, & quomodo is occasionem huic præbuisset sermoni: Probè, inquit Cleombrotus, meministi, Platoni infinitatem mundorum absque vlla dubitatione improbatam, de multitudine autem definita eum dubitasse: cúmque iis qui singulos mundos singulis elementis adsignant, vsque ad quinarium mundorum numerum probabilia secutus argumenta concessisset, ipsum in vnius mundi assertione se continuisse. Videtúrque hoc Platoni esse peculiare, reliquis à mundorũ multitudine valdè abhorrentibus, quòd eam non pro materiæ ratione definirent, sed hanc egressi statim in infinitam & molestam inciderent infinitatem. Tum ego: Peregrinus verò, aiebam, iste tuus eandémne quam Plato mundorum multitudinem censebat? aut in tuo cum eo congressu ne exploraulsti quidem eius sententiam? Respondit hæc Cleombrotus. An verò mihi quicquam prius esse debuit, quàm vt de talibus rebus interrogarem audirémque alacriter? cum se ille mihi tam facilem præberet. Dicebat ergo ille, mundos neque innumeros esse, neque vnum, neque quinq; mundos, sed numero CXXCIII, triquetra figura collocatos, ita vt in quovis latere sint LX, in quovis angulo vnus. qui verò deinceps sint positi, horum proximum à proximo semper sensim tangi, ac circuire eos velvti in chorea. Planiciem porrò, quæ triangula hac figura includitur, communem esse omnium larem siue focum, & campũ veritatis dici, vbi repositæ sint rationes & formæ atque exemplaria quæ exstiterũt

Quot sint mundi.

& exi-

& existent, immobilia hæc omnia, circáque ea esse æternitatem, cuius quasi defluens quædam portio feratur ad ea quæ sunt in tempore. Hæc videnda & contemplanda offerri humanis animis semel intra annos CCIↃↃ, siquidem rectè viuant. & quæ hæc optima sacra aut mysteria putantur, somnium esse istius contemplationis atque sacri spectaculi. addebátque aut propter ea quæ isthic sunt bona homines litteris philosophiæq; studere, aut inanem fumere operam. Hæc aiebat, ego ipsum hisce rebus audiui scilicet vt fit in sacrificiorum & mysteriorũ traditione differentem, cùm nullam dictis demonstrationem adderet, neq; argumentis fidem cóciliaret. Hæc ego è Demetrio quærere, qui haberent procorum verba Vlissem admirantium, cùm is arcũ manibus tractaret. cúmque memoria ipsi ea suggessisset: Idem, inquam, mihi subit dicere de peregrino isto:

En contemplator fuit, ac fur callidus iste Odyss. φ. 397.

sententiarum sermonúmq; omnis generis, variéq; pervagatus litteras: neque barbarus fuit, sed Græcus, & eruditione Græcanica affatim refertus. Arguit hoc numerus mundorum, non Aegyptius aut Indus, sed Doriensis, è Sicilia propagatus, cuius autor Petro fuit Himeræus. Huius quidem libellum ipse non legi, neq; scio an extet etiamnũ. Sed Hippys Reginus, cuius meminit Phanias Eresius, hanc ait opinionem ac sententiam esse Petronis, mundos esse CLXXXIII, qui sese invicem elemento attingant. quid autem sit contactus ratione elementi, non explicat, neque quicquam aliud adiicit, quod rem probabilem faciat. Sub hæc Demetrius: Et quę, inquit, probabilitas his in rebus insit? quando ipse Plato nihil consentaneum aut verisimile effatus, autor duntaxat huius fuit sententiæ. Vos tamen grammaticos, inquit Heracleo, audimus nos, opinionem istam Homero vindicantes, qui vniuersum in quinque diuiserit mundos, Cœlum, Aquã, Aërem, Ter-

Vid. c. 289. ram, Olympum: de quibus duos relinquat communes, scilicet terram vniuersi infimam, & Olympum supremam partem: reliquos autem tres tribus diis attribuat. Eodem autem modo Plato quoque videtur pulcherrimas easdémq; primas corporum species vniuersi distinctis partibus accõmodans, quinque facere mundos, Terræ vnum, vnum Aquę, alios Aëris, & Ignis: extremum, qui hos contineat, quem duodecim basium corpori ob varietatem motus & multitudinem laterum comparauit, quòd illam figuram maximè conversionibus motibúsq; animalibus congruere existimaret. Intulit hæc Demetrius: Quid in præsentia Homerum mouemus? satis iam est fabularum. Plato autem nequaquam quinque in partes diuidendo vniuersum, quinque mundos voluit appellari. quo enim loco pugnat adversum eos, qui infinitos ponunt mundos, sibi inquit videri vnicum à deo factum esse, eóq; cõtentum deum, quòd ex vniuersa corporea mole totus, perfectus, nihílq; extra se positum requirens exstiterit. Vnde etiá non nemini mirari subeat, qui verũ ipse dicens, aliis ansam præbuerit sententiæ probabilitatem nó habentis neq; rationem vllam. Vniuersi quidem infinitas pro argumento sumi vtcũq; poterat, si quis ab vnitate mundi discederet. quòd autem præcisè quinque, non plures neq; pauciores mũdi statuuntur, id nimis quàm est ab omni veri specie & ratione alienum: nisi tu quid dicis, aiebat in me respiciens. Ego autem: Nimirum videtur, inquam, vobis omissa de oraculis disputatione, quasi ad finem iam perducta, aliam suscipere? Non, inquit Demetrius, istam missam faciemus: sed hanc nobis sese ingerentem non præteribimus. non enim huic immorabimur, sed ita attingentes, vt quid probabile sit nobis appareat, ad propositã initiò quæstione nos referemus. Tum ego sic: Primùm, inquam, ea quæ non sinunt infinitos mundos statuere, non impediunt quo minus

vno

vno plures censeantur mundi. fieri enim sic quoque potest vt pluribus in mundis diuinationi locus sit, & fortunæ minimus interventus, pleraque autem & maxima ordinatis motibus ac vicissitudinibus ferãtur, quorum nihil infinitas admittere potest. Deinde rationi magis consentaneum est diuinæ naturæ, non esse vnicum ac solitarium mundum. Deus enim perfectè bonus cùm sit, nullius virtutis est expers, minimè omnium iusticiæ & amicitiæ: quæ pulcerrimæ sunt, deúmque apprimè decent. Ad hæc nihil frustra vt habeat aut quo non vtatur, dei fert natura. Sunt ergo extrà alij dij aliíq; mundi, erga quos vtitur virtutibus istis ad communitatem pertinentibus. non enim erga se iis vtitur, neque pars ipsius sunt vsus iusticiæ, gratiæ, benignitatis: sed ad alios referuntur. Quare probabile non est amicitiæ, vicinitatis, ac commerciorum exsortem mundum in vacua infinitate fluctuare. Iam ipsam videmus naturam ea quæ sunt singula, generum & formarũ complexu tanquam vasculis aut seminũ involucris continere. Neq; enim vlla res naturalis subsistit, cuius non sit etiam communis aliqua ratio siue notio: neque appellatio ei sui generis congrueret, nisi præter eam communem rationem suis peculiaribus qualitatibus ab aliis eiusdem generis rebus distinguereretur. Atqui mundus non dicitur communis esse, sed certis qualitatibus siue proprietatibus describitur. ergo certis differentiis ab aliis eiusdẽ generis mundis distinctus, suam peculiarem hanc formam obtinet. Præterea cùm neque homo vnicus, neque vnicus equus in natura rerum sit, neque astrum, neque deus, neque genius: quid obstat quin dicamus non vnicum, sed plures numero mundos naturam complecti? Qui enim dicit vnam quoque duntaxat esse terram, vnicum mare, is allucinatur, partium similitudinem in rebus evidentem non animadvertens. Terra enim in eiusdem nominis partes diuiditur,

Esse plures vno mundos.

itémque mare: mundi pars iam non itidem mundus est, sed diuersæ naturæ res. Porrò quod nónuli vniuersam materiam vni mundo impendunt, maximè id metuentes, ne si quid extra istum relinqueretur, id allisionibus atque ictibus huius mundi compagem disturbaret: inanis est metus. Cũ enim sint plures mundi, quorum quisq; sua contineatur substantia atque materie quam certa mensura definit suæq; extremitates: nihil ordinis exsors & incompositum ac tanquam excrementum foràs prolapsum relinquetur. Vniuscuiusq; enim mundi forma materiam sibi destinatam continens, nihil patietur temerario motu citatum in alium decidere mundum, aut ex alio in se. eò quòd natura neque infinitam admittit multitudinem, neq; temerarias & ordine rationéq; carentes motiones. Quod si quid ab vno mundo in alium defluit: necesse est huiusmodi influxus cognatos inter se, gratósque esse, & mixtione fieri optimè mundorum naturæ conueniente: quo modo siderum fulgores siue radij inter se contemperantur. ipsósque mundos delectari dum benigno invicem se contemplantur vultu: diisque, qui in singulis sunt multi ac boni, congressus amicos exhibere. Horum omnium, quæ dixi, nihil nefas est, nihil fabulosum, nihil rationi aduersum: Nisi me Hercle Aristotelis aliquis sententia terretur, tanquam naturæ consentanea. Cùm enim, vt ipse inquit, quodvis corpus suum habeat proprium locum: necesse est terram vndiquaque ad medium ferri, & aquam super hanc, leuioribus subsidentem. ergo si plures sint mundi, eveniet vt terra multifariam igni & aëre superior, multifariam item inferior extet: idémque de aëre & aqua intelligendum, quæ alicvbi suis in locis à natura attributis erunt, alicvbi non erunt. quæ cum sint, vt ipse censet, impossibilia: neque duos esse, neque plures mundos statuit, sed vnum hunc ex vniuersa compactum substantia, in quo corpora

Aristotelis sententia censetur.

iuxta

iuxta legem naturæ sint locorum differentiis dispo
sita. Verùm hæc ipsa probabiliter magis quàm ve-
rè dicta ab eo sunt, idque, mi Demetri, sic dispi-
ciamus. Corporum alia ad medium & deorsum, alia
à medio & sursum, quædam circa medium & in or-
bem moueri dicens, cuiúsnam rei respectu medium
sumit? Nõ equidem inanis cõparatione sumit, quod
nullum est ipsius sententia. & qui vacuum ponunt,
medio hoc ipsorum opinione caret, vt & principio,
& fine: quæ sunt extremitates, quibus in infinito nõ
est locus. Atq; vt extorqueas Aristoteli assertionem
inanis, tamen intellectu arduum est, qúenam eius ra
tione corporibus differentia motuũ debeat tribui.
nam neq; inani vis est corporum, neq; voluntatem
habent corpora & appetitum quo mediũ affectent
& vndiquaque ad illud contendant. sed tamen dif-
ficile est intelligere, quomodo corpora ad incorpo-
ream atq; indifferentem rem ferantur, aut ab ea mo
tum momentúmve consequátur. Restat vt medium
non loci ratione, sed corporis accipiamus. Cũ enim
mundus hic ex multis ac dissimilibus corporibus in
vnam compactus sit ac concinnatus molem, neces-
sariò differentiæ eorum motus vicissitudines effi-
ciunt. Id ex eo fit evidens, quòd singula dum sub-
stantiam mutant, simul etiam locum alium à prio-
re occupant. dissipatio enim à medio sursum ela-
tam materiam per circulum didit: concretio & sti-
patio deorsum eam ad mediũ cogit atq; deprimit.
qua de re nõ est opus hoc loco copiosiùs differere.
Quam enim causam harum affectionum atque mu-
tationum effectricem posueris, ea vnumquemvis in
seipso continebit mundum. quivis enim peculiare
habet medium, suas corporum affectiones, muta-
tionesq;, suam naturam & vim, quæ suo quodque in
loco conseruet. Quod enim extrà est, siue id nihil
est, siue infinitum inane, non præbet medium: sicvẽ
docuimus suprà. Cùm autem plures sint mundi,

Medium mundi.

vnicuique ſuum eſt medium, ac proinde peculiaris etiam cuivis motus, aliis ad medium, aliis circa id, aliis ab eo: ſicvt ipſi diſtinguunt. Qui autē propoſita mediorum multitudine contendit vndique omnia grauia ad vnum medium compelli, is perinde facit ac ſi poſtulet omnium hominum (qui numero ſunt permulti) ſanguinem in vnam aliquam venam confluere, omniáque cerebra vna contineri membrana. quia nimirum iniuriam naturæ fieri putet, ſi corporum naturalium non omnia ſolida vno, rara itidem ſuo quodam ſint in loco. Nam & hic abſurdum tueretur, & is ineptè facit, qui ferre æquo animo nō poteſt vt tota quævis ſuis vtantur partibus, naturæ ratione atq; ordine debito diſpoſitis. Id quidem abſurdum foret, ſi quis diceret mundum eſſe qui ita in ſe Luuam habeat, ſicvt homo in calcibus cerebrum ſi geſtet, & cor in temporibus. Sed plures à ſe invicem ſeparatos mundos ſtatuentem, vnà cùm totis etiam partes ſegregare ac diuidere, non eſt à ratione alienum. vnius enim cuiuſque mundi terra, mare, cœlum, ſecundum naturam erunt collocata. & quivis mundus ſuperiora, inferiora circulo ambientia, centrum habebit non alterius, ſed ſui ipſius ſuarúmque inter ſe partium reſpectu, intra, non extra ſe. Quem enim quidam lapidem extra mundum poſitum pro argumento adhibent, is neq; quietis expeditam, neque motus opinionem adfert. Quomodo enim vel manebit, pondere preditus? vel ad mundum feretur, reliquorum inſtar grauium, cuius pars non eſt, neque in naturam eius compoſitus? De terra autem in altero contenta atque devincta mundo non erat neceſſe ſolicitum eſſe, quomodo non avulſa pondere ſuo ab vniuerſo in hunc mūdum tranſiret: cùm videamus naturam ſuo quaſque partes loco cohibere. Etenim ſi non ipſius mundi reſpectu, ſed extra eum ſuperiora & inferiora comparare inſtituamus, in eaſdem cùm Epicuro incidemus difficultates

cultates, qui atomos vniuersas mouet in loca sub pedibus sita: quasi verò aut inane pedes habeat, aut infinitum in se cogitari superius inferiúsve aliquid sinat. Itaque Chrysippum admirari licet, aut potiùs vehementer dubitare quid nam ei ad animum acciderit, cùm mundum in medio collocatum scriberet, eiúsque substantiam ab æterno medium occupasse locum, qui nõ minimum ei ad permanendum & interitus immunitatem momenti cõtulerit. Hoc enim in quarto de Possibilibus libro tradit, medium inanis locum non rectè somnians, & adhuc causam cur mũdus permaneat absurdiorem ficticio isto medio adsignans. cũ quidem alibi sæpè dixisset substantiam suis in mediũ & à medio suo motibus dispensari ac contineri. Et quidem reliqua Stoicorũ interrogata quem terreant? dum quærunt qui vnum fatum, vna providentia maneat, ac nõ plures Ioues fiant, si plures sint mundi. Primùm enim si absurdum est multos esse Ioues, ipsorum decreta multo erunt absurdiora. faciunt enim in infinitis mundorum conversionibus infinitos Soles, Lunas, Apollines, Dianas, Neptunos. Deinde quæ necessitas cogit multos esse Ioues, si plures sint mundi, non singulis præesse principem Vniuersi deum mente ac ratione prædituin, qualis est qui à nobis dominus omnium ac pater cognominatur? Aut quid obstabit, quo minus Iouis fato ac providentiæ omnes ij obediant, ísque singula inspiciat, ac dirigat, singulis præbens initia, semina, ac rationes eorum quæ peraguntur? Cùm enim in rebus humanis sæpenumerò vnum aliquod corpus ex diuersis corporibus constet, quorum pro se quodvis viuat, intelligat, sentiat, vt est concio, vt exercitus, vt chorus, quod & Chrysippo visum fuit: in vniuerso nefas nequaquam putandum est, esse mũdos x, l, aut c, qui omnes vna regantur mente, & ab vno pendeant principio. immo autem admodum dęos decet talis dispositio. Non enim tan-

quam apum examinum ductores eos debemus statuere qui nusquam exeant, aut materiæ inclusi adseruentur, ac quasi in ea obthurentur. id quod faciunt Stoici, qui deos introducunt aërum, aquarũ, & ignium affectiones seu facultates quasdam insitas, eósq; & gignunt cum mundo, & rursus cum eodem combvrunt. neq; eos liberos ac solutos instar aurigarum aut gubernatorum faciunt: sed quo modo simulacra suis basibus adfixa sunt, ita deos corporeæ inclusos naturæ ac tanquam clauis immissis adstrictos faciunt consortes omnium mutationum, etiam ad interitum vsque. Hæc verò, nisi fallor, magnificentior est & maiestati deorũ affinior sententia, esse eos liberos, neq; alieno subiectos dominio. vtq; Castores auxilium iactatis tempestate ferunt, suóque adventu

Dij Stoicorum.

Leniunt fluctus, celeresq; ventos,

non ipsi simul nauigantes, aut in eodem versantes periculo, sed ab alto supervenientes salutémque adferentes. ita eos alium aliàs invisere mundum, cùm contemplationis ductos iucunditate, tùm quòd sua natura singulorum gubernationem adiuuant. Nam Homericus quidem iste Iupiter non vsq; adeò longè oculos à Troia divertit, in Thraciam & Nomades Istri accolas intuens. verus autem pulcras habet, ipsiq; convenientes in variis mundis mutationes, non inane extra infinitũ cernens, neq; seipsum ac nihil aliud (quæ nonnullorum fuit opinio) considerans: sed opera deorum & hominum, motúsq; & conversiones siderũ multiplices contemplans. Non enim odit mutationes diuina natura, sed admodum iis delectatur, si licet hoc colligere ex siderum vicissitudinibus conspectui nostro expositis. Enim vero infinitas omnino bruta est & importuna, neque deum admittit, fortuna & casu omnibus in rebus vtitur. At in certa multitudine definitóque numero mundorũ administratio ac providentia versans,

Initio Ili. v.

ei quæ

ei quæ in vnum aliquod corpus illapsa eique adfixa id infinities transmutat atq; refingit, neq; maiestate cedit, neq; est laborioſior. Hæc ego locutus, conticui. Philippus autem temporis exiguo ſpacio elapſo, Hæc, inquit, Sicne habeant an ſecus, meum non eſt affirmare. Quod ſi tamen deum extra vnum mundum profeſimus, cur eum quinque duntaxat artificem faciamus mundorum, non plurium, & quæ ſit huius numeri ad multitudinem mundorum ratio, cognituru me maiore cum voluptate arbitror, quàm quæ ſit. Et hæc dedicati cauſa. Is enim numerus neque triangulus eſt, neq; quadratus, neque perfectus, neq; cubicus, neque vllam aliam videtur elegantiam offerre iis, qui ſtudio iſtarum rerum afficiuntur, haſque magni faciunt ſubtilitates. Illa autem ab elementis ratiocinatio, quam Plato per ænigma innuit, omnino obſcura ac intellectu difficilis eſt, neq; probabilitatem aliquã præ ſe fert, qua inductus cõcluſerit, cùm ſint quinq; corpora æquiangula & æquilatera æqualibuſq; contenta ſuperficiebus, ea in materiam veniſſe, & ex his ſtatim quinque confectos eſſe mundos: At verò, inquã ego, videtur Theodorus Solenſis nõ ineptè rem explicaſſe, vbi mathematica Platonis interpretatur. Sic autem tractat. Pyramis, octaëdron, quod eſt octo, icoſaëdron quod eſt viginti, & dodecaëdron, quod eſt duodecim baſium corpus, quæ prima ponit Plato, pulcra quidem ſunt omnia, ob proportionum & rationum æqualitates: neq; his melius quicquam aut aliud ſimile componere naturæ atq; concinnare eſt relictum. Vnã tamen omnia compagem ſortita non ſunt, neq; ortum habent ſimilem. ſed tenuiſsimum eſt corpus atque minimum Pyramis, maximum & plurimis conſtans partibus dodecaëdron: reliquis è duobus icoſaëdron numero conſtat triangulorum ampliore quàm duplo, ſi cum octaëdri conferatur triangulis. Impoſsibile itaq; eſt, ex vna ſimul

Cur quinq; mundi. Quinarij natura.

isthæc omnia nasci materia. Tenuia enim & exigua, ac quorum simplicior est constructio, illa prima obtemperare motori atque efformatori materiei, constituíque oportet, & priùs existere quàm ea quæ magnas partes ac multa habent corpora: è quibus est dodecaëdron, cuius compages plus requirit laboris. Hinc sequitur solam pyramidem esse primũ corpus, reliquorum nullum, cùm ortus eorum natura sit posterior. Est autem huius quoq; absurdi remedium, materiæ in quinque mundos diuisio ac diuectio. alibi enim primũ pyramis exstitit, alibi octaëdron, alibi icosaëdron. ex eo autem, quod in quavis materiæ parte primum exstitit, reliqua orientur secundum concretionem partium, qua omnium in omnia mutatio efficitur. id quod Plato ipse monstrat ferè per omnia orationem deducẽs. nobis satis erit breuiter sic intelligere. Aër fit igni exstincto, rursúmque aër attenuatus ignem edit. horum actiones & mutationes considerari debent in vtriusque seminibus. Semina ignis sunt pyramis ex XXIV primis triangulis conflata. aëris autem, octaëdrum ex XLVIII eiusdem generis trigonis. Fit ergo aëris vnum elementum è duobus ignis coactum & temperatum: rursúsque vnum aëris corpus diuisum, in duo ignis corpora secernitur. iterúmq; in sese compactum atq; coiens, abit in aquæ formam. Itaq; vbique semper illud quod primò exstitit, mutatione sui reliquis expeditam nascendi rationẽ præber. vt iam non vnum duntaxat sit primum, sed aliud in alia materiæ parte princeps originis reliquorum, idémque omnibus primordij nomen hoc modo seruetur. Hic Ammonius. Animosè quidem, inquit, ista & magno cũ studio Theodorus elaborauit. mirer verò, si non sumserit ea, quorum alterum ab altero evertitur. Ponit enim, quinque ista non simul omnia nasci, sed id semper prius oriri, quod tenuissimum est ac minore negocio constituitur. Deinde, tanquam non pugnans

gnans huic sumtioni, sed eius consequens, subdit, Non omnem materiá occupari à tenuissimo & simplicissimo corpore: sed aliquando etiam grauia & multis constantia partibus ortum ex materia antecapere. Præterea quinque primis corporibus propositis, ideóq; totidem esse mundos affirmato, probabilitate tantùm quatuor corporibus tractandis vtitur, cubum autem tanquam in calculorum ludo subtrahit, qui neque mutari in reliqua potest, neq; reliqua in ipsum, cùm triangula sint diuersi generis. Illis enim omnibus commune ponitur principium semissis trianguli, huic autem soli peculiare æquicrurum triangulum, quod cũ illo inclinatione aliqua coire, aut cõmisceri & vniri nequit. Ergo cum sint quinque corpora, quorum vnumquodq; vt primum in vno de quinq; mundis materiam occupauit, reliquorum originis princeps sit: fiet vt vbi cubus primò exsistet, reliquorum nullum sit futurum, cùm in eorum nullum mutari cubus queat. Omitto, quòd elementum dodecaëdri aliud faciunt, non scalenum istud, ex quo Pyramidem, octaëdrum, & icosaëdrum Plato constituit. Itaque tibi (subridens autem simul hæc dicebat Ammonius) aut dissoluenda hęc sunt, aut proprium aliquid adferendum, quo nos a communi hac hæsitatione expedias. Ego in hæc verba respondi. Non habeo sanè in præsentia probabilius aliquid. præstat tamẽ fortasse suæ quàm alienę opinionis rationes reddere. Rursum ergo ser monẽ à principio arcessens dico. Cùm constet duas esse naturas, vnam sensilem, ortui, interitui, mutationibúsq; & motibus variis obnoxiam: alterá, quæ solo intellectu percepta semper eodem se habet modo: periniquum, amice, videtur hanc diuisam suísq; distinctam dicere differentiis, corpoream autem & motibus subiectam si quis non concedat vnam esse cohærentem sibi & partium invicem momẽtis vnitam, sed separet ac divellat, indignari & fremere.

Cubus.

Natura duplex.

Nimirum enim ſtabilia & diuina magis cõuenit invicem eſſe continuata, omnémq; quantum eius fieri poteſt ſectionem ac divulſionẽ fugere. quanquam Diuerſi natura hæc quoque aggreſſa, maiora fecit quàm quæ diſtantia locorum æſtimantur inter ea intervalla: tanta eſt mentis notionum & idearũ diſſimilitudo. Itaque Plato opponens ſe iis qui vnum pronunciant eſſe Vniuerſum, quinque ſtatuit principia, Ens, Idem, Diuerſum, Motum, Quietem. quæ cum ſint, non eſt mirum ſi corporeorum principiorum quodvis ſui aliquod exemplum imitando in natura impreſſum habet, nõ expers mixtionis aut ſincerum, ſed vt ſingula ſingularum facultatum participent aliquid. Proinde cubus perſpicuè ſignum eſt quietis conveniens, propter ſuperficierum ſtabilitatem. pyramidis igneam vim & ad motum agilitatem quivis in laterum & angulorũ acumine deprehenderit. natura dodecaëdri, quæ apta eſt ad cõplectendum reliquas figuras, Entis effigies omnia corpora cõprehendentis videtur eſſe. de reliquis duobus icoſaëdrum diuerſi, octaedrũ eiuſdem ideæ cõvenit. itaq; alterum aerem qui vna in forma omnem ſubſtantiã continet, alterũ aquam quæ temperando plurimas qualitatis ſpecies recipit, exhibuit. Quod ſi ergo natura in omnibus æqualitatẽ exigit, mũdos neq; plures exemplis iſtis conſentaneũ eſt, neq; paucíores eſſe. vt cuivis ſua ſit princeps conſtitutio atque vis, ſicvt in compoſitionibus erat corporũ. Atque hac quidem oratione eos libuit demulcere, qui mirantur nos naturã ortui & mutationi obnoxiam in tot partiri genera. Hoc autem vnà mecũ vniuerſi perpendite, quòd ſupremorum principiorũ, Vnius inquam & infiniti Binarij, hoc quia elementum eſt omnis informitatis & confuſionis, Infinitas dicitur: Vnitatis autem natura cum definiat ac determinet infinitatis vacuum, & ratione ac finibus carentem naturam, informat eam, atque vtcunque appellationem

Principia Platonica.

Vnitas.
Binarius.
Multitudo.
Numerus.

tionem quæ in singulis monstratur sensilibus sustinet atque accipit. Hæc principia primùm in numeris apparent. immò omnino numeri appellatio multitudini non congruit, nisi infinitatem materiæ tanquam forma quædã subiens, alicvbi minus, alicvbi amplius decídat. tunc enim vnaquævis multitudo fit numerus, cùm vnitate definitur. vnitate abolita, rursum infinitus binarius omnia cõfundens, incomposita, infinita, immensáq; reddit. Quoniam autem forma non est abolitio materiæ, sed subiecto speciem ordinémque adfert: necesse est etiam in numero vtrunque inesse principium, vnde primum discrimen, maximáq; dissimilitudo ortũ habet. Est enim infinitum principium causa paris numeri efficiens, melius principium imparem gignit. Primus autem parium est binarius, imparium ternio. è quibus conflatur quinarius, ob compositionem vtrique communis, vi autem sua impar. Oportebat enim, cùm natura sensilis & corporea concreta, necessitate diuersi in aliquot diuideretur partes, harum numerum neque parium esse primum, neque imparium, sed tertium ex his compositum. vt fieret ab vtroq; principio, & eo quod parem, & eo quod imparem architectatur. non enim poterat alterum ab altero divelli. cum vtrũq; principij naturam facultatémq; obtineat. Ambobus ergo copulatis, melius principium prævaluit infinitati diuidenti, inhibuitque, & cum ab vtroq; divelleretur materia, in medium inflecta vnitate effecit, ne Vniuersum in duas scinderetur partes. ita multitudo quidem mundorũ exstitit ob diuersitatis naturã quæ inest infinito discernenti: finiti autem & eiusdem vis imparẽ eam redegit. Talis autem est imparitas, quia naturã progredi longiùs quàm expediebat non siuit. Si enim sincerũ purúmque fuisset vnum, nullam omnino diuisionem admisisset materia. Quoniam autem illud binario vim diuidendi nacto admixtum fuit, admisit se-

ctionem materia & diuisionem, sed quæ ibi constiterit, victo à pare impari. Ideóque veteribus in vsu fuit pempazesthæ dicere, pro numerare. Puto autem panta quoque (id est omnia) vocem esse à pente (quod quinque significat) deductam, quòd is numerus è primis sit conflatus numeris. Et cùm alij numeri in alios multiplicati, aliud genus numerorum producant: quinarius pari multiplicatus, denarium gignit perfectum numerum: in imparem multiplicatus, seipsum refert. Mitto, quòd è primis duobus quadratis vnitate & quaternione constit quinarius. & quòd tantum potest quadratum, quantum coniuncta duorum faciunt quadrata numerorum qui ipso proximè sunt priores, pulcerrimúmque rectangulum ita triangulum constituit. & quod primus hic numerus sesquialteram proportionem continet. Hæc enim fortasse ad propositam nobis materiam non pertinent. Id propiùs huc facit, quod natura huius numeri facultatem habet diuidendi, ac secundum eum plura diuisit natura. In nobis ipsis quinque insunt sensus, totidem animæ partes, vitalis, sentiens, appetens, irascens, ratiocinans. totidem in vtravis manu digiti. & semen fecundissimum quinquefariam diuiditur. non enim mulierem plures quinque fetus partu edidisse memoratur, multæ autem quinque vno enixæ partu. ac Rheam Aegyptij fabulantur quinq; deos peperisse, per involucrum innuentes ortum quinque mundorum ex vna materia. Ipso in vniuerso terra quinque Zonis, cœlum quinque circulis distribuitur, polaribus duobus, totidem solstitialibus, & medio horum æquinoctiali. Quinque etiam sunt conversiones stellarum vagarum, cùm eadem sit Solis, Luciferi, & Mercurij. Ipse etiam mundus ad quinarij concinnitatem est compositus, sicvt apud nos harmonia ex quinque tetrachordorum positu constare cernitur, summorum, mediorum, adiunctorum,

Quinarij proprietates.

rum, deiunctorum, ac excedentiũ. & in cantu quinque sunt intervalla, diesis, semitonium, tonus, sesquitonium, ditonus. Ita videtur natura magis delectata fuisse rebus quinario construendis, quàm globi ad formam redigendis, quod visum fuit Aristoteli. Quærat hìc aliquis, Quidnam causę sit quod Plato, cùm quinque mundorum numerum ad quinque corporum revocauerit figuras, fatus quinaria constructione deum vsum in describendo vniuerso, ac deinde proposuerit de multitudine mundorum difficilem dubitationem, vnúmne an quinq; re vera exstitisse dicendum sit: tamen deprehendatur hinc suspicionem eius rei iniecisse. Quod si id quod probabile est, accommodari ad eius sententiam debet, eò ipse respicio in hac re explicanda, quod scilicet censerit Plato differentiis corporum istorum & figurarum, necessariò motuum quoque comitari discrimina. hoc enim ipse docet, vbi pronunciat id quod coit aut secernitur, vnà cum substãtia & qualitatibus locum etiam noménq; mutare. Si enim ex aëre ignis fiat, soluto octaëdro & in pyramides dissipato: aut vicissim ex igni aër, in octaëdrũ coacto & cõpulso: non potest suo manere loco id quod mutatum fuit, sed fugit fertúrq; ad aliũ locũ exturbatum priore, pugnátq; cũ iis quæ obsistunt & impellunt. Adhuc etiam plenius similitudine eorum quæ cribris aliisq; ad purgandum frumentũ paratis iustrumentis concutiuntur atque ventilantur, rem explicat. eodem modo etiam elementa docẽs, dum quassant materiam, atque ab ea quassantur, similia semper ad similia ferri, aliáque aliis locis contineri, antequam eorum compositione Vniuersum constituatur. Hoc ergo modo tum affecta materia, vt par fuit Vniuersum esse affectum vbi Deus abest, statim primæ quinque qualitates suis singulæ præditæ momentis, incitatæ sunt: neq; omnino separatæ tamen aut sincerè secretæ, ideò quòd omnibus permixtis

Platonis sententia explicatur.

natura ita comparatum est vt semper quod superatur ei comitetur quod prevalet. Itaq; in ortu corporum cùm alia aliò ferrétur, æquales numero partes atque diuisiones effecerunt. vnam partem non puri ignis, sed ignea specie præditam: aliam non sinceri ætheris, sed ætheris similem: aliã non terræ puræ putæ, sed formę terreę: maximè tamen aër cũ aqua fuit permixtus, quòd hæc multis diuersi generis admixtis discesserunt, sicvti dictum fuit. Non enim deus separauit aut dispositi naturam, sed cùm ipsa vltrò divortiũ fecisset: & in diuersa discessionem loca admodum inordinatam, accepit, cõposuit, & proportione ac medietate adhibita concinnauit. deinde rationẽ vnicuiq; imponens velvti gubernatorẽ & custodis loco, tot effecit mũdos, quot sunt formæ primorum corporum. Atq; hęc propter Ammoniũ gratiæ Platonis dedicata sunto. Ego autem de numero mundorum, quòd sint tot, nunquá sanè contenderim. eá verò sententiã, quæ plures vno mundos, non tamẽ infinitos sed numero determinatos facit, neutra istarũ absurdiorem censeo: in materiæ naturam intuens, disipabilem eam ac diuiduam, & quæ neq; vnitatem seruet, neq; eam ratio in infinitum evagari sinat. Sed, quod aliàs solemus, hìc quoq; Academiæ recordemur, nimiámque vitemus assensionem, ac tanquam in loco lubrico in disputatione sola de infinito firmiter consistamus. Hæc ego cùm dixissem, Demetrius: Probe, inquit, Lamprias hortatur.

Multis enim dij formis, non sophismatum,

vt est apud Euripidem, sed rerũ decipiunt, cùm velvti scientes de tantis rebus audemus pronunciare. Sed ad argumentum initiò propositum revocanda nobis est disputatio. Quod enim dictum fuit, oracula relinquentibus & deferentibus gentis, tanquam instrumenta artificum iacere ociosa & muta, aliam maiorem excitat quæstionem de causa & facultate, qua vsi genij vates vtriusq; sexus furore & imaginatione,

Redit ad disputationẽ de oraculis.

tione futurorum impleant. Non possumus quippe causam silentij oraculorum adscribere discessui geniorum, nisi persuasum nobis sit quo modo præsentes eadem vocalia & operosa reddant. Sub hæc Ammonius. Putas verò, inquit, genios aliud quicquam dicendos, quàm quod ait Hesiodus, animas circum vagantes,

Aere uestitas— Mihi enim quo pacto homo differt ab homine tragicam comicámve agente personam, eodem differre videtur animus ab animo corpore in hac vita amicto. Nihil igitur est causæ cur absurdum aut mirũ videri debeat, si animi in animos incidentes, futuri imaginationé aliquam ingenerant. sicvt & nos invicem non omnia voce, sed & litteris, & tactu, & intuitu significamus multa præterita, & futura præmonstramus. Nisi tu quid, Lampria, diuersum habes. est enim nuper nobis renunciatum, multa te hac de re cum hospitibus apud Lebadiam disputasse, quorum nihil nuncius perfectè memoria tenebat. Noli mirari, inquam ego. multæ enim actiones, multæ occupationes mediæ inciden tes, propter oraculum & sacrificium quod tractabatur, fecerunt vt sparsim ac per intervalla commentaremur. Atqui nũc, aiebat Ammonius, & ocio vtentes habes auditores, & paratos alia quærere, alia discere, omni contentione ac studio altercandi remotis, libertatéque & venia omni sermoni, vt vides, proposita. Eadem reliquis etiam postulantibus, ego postquã paululum subticuissem: Et quidem, inquã, iis quæ tum disputata sunt, ipse tu casu quodam exordium occasionémq; hic referendi dedisti. Si enim animi secreti à corporibus, aut omnino quibus nullum est cum corporibus commercium, sunt, quę tua est, & diuini sententia Hesiodi, dæmones

Genij quid.

Custodes hominum casti, terras obeuntes.

cur animos in corporibus degétes ista vi priuamus, *Animos etiã*

humanos, diuinandi vim habere.

qua futura præscire & prædicere possunt à natura sua genij? Probabile quidem non est animis vllam facultatẽ, vllámve partem adnasci abitu è corpore, qua caruerint antè: sed ea semper habere, habere autem deteriora, dum mixti sunt corpori. atq; alia quidem omnino obscura & occulta, alia infirma & languida, & sicvt cùm per caliginem videmus, aut in humore mouemur, inefficacia & tarda, multâq; suæ naturæ curationẽ & restitutionem, multã eius à quo impediuntur detractionẽ atq; expurgationẽ desiderantia. Sicvt enim Sol non tũ fit splendidus, cùm nubes effugit: sed cùm semper talis sit, in nebula nobis obscurus videtur, ac vix apparet. sic animus vim diuinandi nõ adipiscitur è corpore tanquã nube egrediendo: sed iam nunc ea præditus, cæcatur ob permixtionẽ & confusionem cũ natura mortali. Quod ne miremur, aut fidem rei derogemus, videamus, si nullam aliam animi facultatem, saltem eam quæ ex aduerso respondet diuinatrici, memoriam dico, quantum illa præstet opus, quòd præterita seruat ac retinet, aut potiùs ea quæ non sunt. eorũ enim quæ facta sunt nihil est neque subsistit, sed simul exsistũt omnia & intereunt, siue facta, siue verba, siue affectiones, tempore fluminis instar omnia proripiente. ista autem vis animi, nescio quomodo ea apprehendit, & nõ cùm sint, iis tamen speciem ac substantiam circumponit. Sanè oraculum Thessalis de Arna datum iubebat eos

Visum oculis capti, muti uocemq; notare.

Memoriæ vis.

At memoria nobis & surdorum auditio, & visio cæcorum est. Itaque, sicvt dixi, mirum non est, si apprehendens quę iam esse desierunt, multa etiã nondum quæ sunt adsciscat. Hæc enim ei magis conueniunt, & ab his consensu quodam adficitur. accingitur enim futuris, eáq; aggreditur, à præteritis & finem nactis absoluta, nisi quatenus eorum meminit. Hãc ergo vim animi cum habeant innatam, obscuram tamen

men, & imaginatu difficilem, quidam tamen subitò in somnis aut sacrificiis effloreſcunt, eáq; vtuntur, siue quòd tum corpus mundatum est, siue aptam ad hanc rem consecutum temperiem, siue quòd mens laxata & à præsentibus liberata, imaginandi vim futuris intendit. Non enim, vt Euripides ait,

Optimus is est uates, probè qui coniicit.

sed hic quidem intelligens est vir, rationem præcedentem ac indicio probabili ducẽtem sequens. Vis autem diuinandi, tanquam tabula scripturæ expers, ratione carens, & infinita ex sese, capax tamen ortarum à visis affectionum & præsensionum, absque vlla ratiocinatione futurũ attingit, maximè vbi è præsenti exit statu. hoc fit, cùm ob temperiem & affectionem corporis mutatio ei accidit, quæ enthusiasmus, hoc est diuinus instinctus, dicitur. Ipsum quidem corpus ex seipso sæpe huiusmodi consequitur affectionem. Terra autem cùm multarum aliarum sacultatum fontes hominibus effundit, alios furorem diuinum, morbos, mortémque ferentes, alios vtiles, iucundos, & commodos, id quod ij qui accedunt, experientia deprehendunt: tum verò diuinandi fluxus atq; Spiritus diuinissimus est & sanctissimus, siue is seorsim per aërem, siue cum liquore percipiatur. In corpus enim admixtus, temperiem in animis ingenerat insolentem atque alienã ab vsitata. cuius proprietates difficile est exprimere verbis, coniecturas autem multiplices de iis ratio suggerit. Calore nimirum & diffusione meatus aperiri quosdam imaginãdi futura præditos facultate, probabile est. quemadmodum vinum sublatis ad cerebrum vaporibus multos animo motus infert, multáq; eius sensa abdita priùs & occultata detegit. Multa enim vis diuinandi bacchationi & furori ineſt, siquidem Euripidi credimus: quando incalescens animus atque ignitus metum amolitur, quem humana prudentia inducẽs sæpenumero avertit & restinguit diuinum

Diuinandi spiritus qualis.

instinctum. Ad hæc nō abs re dici posse videtur, siccitatem vnà cum calore animo ingeneratam, spiritum reddere tenuem, æthereúmque eum & purum redigere. Hæc est enim illa Heracleti anima sicca optima. Humiditas non visum modò & auditū hebetat, sed & speculis incidens splendorē & aëri lucem adimit. Contrà etiam non est nefas refrigeratione & densatione spiritus, ad instar tinctura terri, vim præsagientem animo indi ac durari. & quidem sicvt stannum illiquefactum æri, quod rarum est ac multis hians meatibus, simul hoc & stipat densatque, & splendidius puriúsq; redigit: ita nihil impedit, quin diuinandi facultas, vapor quippiam consentaneum & cognatū animo habens, laxas eius partes impleat, concinnet, ac contineat. Alia enim aliis sunt condu cibilia. sic faba purpuræ, nitrum cocci tinctura expedit admixtum, & vt Empedocles ait,

Glauci flore croci byssus miscetur amœnus.

de Cydno autē, & sacro Apollinis qui Tarsi est gladio, te, mi Demetri, narrantem audiuimus, gladium eum nulla alia aqua perinde tergi & purgari, ac flúminis eius. sicvt etiam Olympiæ cinerem aqua Alphei amnis affusa aræ circumglutinant: cùm nullà hoc alia possint aqua efficere. Non est igitur mirū, si terra multos alios liquores edente, isti soli animis enthusiasmum & futurorum imaginationem inferunt. Citra controversiam porrò hanc rationem fama confirmat. Hæc enim vim loci huius primùm innotuisse ferunt, cùm casu pastor quidam in eum incidisset, vocésque deinde à diuino instinctu edidisset profectas. quas cùm initio spreuissent qui aderant, postea eventu probatis quæ is prædixerat, mirati sunt. Delphorum doctissimi, nomen quoq; hominis perhibent Coretam. Mihi verò videtur maximè huiusmodi cum diuinatione cōtemperationem atque cohæsionem animus admittere, qualis est visui cum luce consentiente. Oculus enim videndi facultate

Origo Delphici oraculi.

cultate præditus nihil sine luce agere potest, & animi vis diuinatrix, tanquam oculus, sua quadam re indiget, à qua incendatur atque exacuatur. Quare multi antiquiorum esse vnũ eundémq; deum Apollinem & Solem putauerunt. Qui verò proportionem, pulcram ac sapientem sanè rem, cognitam habent ac magnifaciunt, ij sicvt corpus ad animum, visus ad mentem, lux ad veritatem se habet, ita Solis facultatem se habere censent ad naturam Apollinis. illam huius propaginem fetúmque existimantes, illam semper ab hac quæ semper est, procreari. Ille enim accendit, producit, atque excitat videndo sentiendi vim: hic animi diuinatricem facultatem. At qui vnum eundémque deum eos esse senserũt, probabili ratione moti Apollini & Terræ cõmune oraculum adscripserunt. arbitrati Solem terræ ingenerare affectionem istam & temperiem, à qua vapores ad diuinandum facientes exhalent. Ipsam proinde terrã, vt Hesiodus meliùs quàm à nonnullis factum est philosophis, re considerata appellauit

Immotam sedem cunctorum: ——

Terræ et eius facultates.

ita nos quoque sempiternam interitúsq; expertem statuimus. facultatum autem eius aliquando defectus, aliquando ortus, nonnunquam aliò migrationes probabile est evenire, vniuersíque temporis circuitu tales conversiones in ea revolui. quod coniicere licet ex iis quæ animadverti sensu possunt. Nã & lacus, & amnes, ac frequẽtius thermæ quibusdam in locis defecerunt ac omnino evanuerunt, in aliis quasi subterfugerunt ac delituerunt: aliquanto pòst tempore rursum iisdem aut vicinis locis exstiterũt. Iam metalla quædam prorsum exinanita iacent: vt in Attica secturæ argentariæ, & in Eubœa æris venæ, ex quo cudebantur gladij qui aquæ tinctura durabantur, quorum sic meminit Aeschylus:

Sumens acutum mucronem Euboicum manu.

Neque diu est quod Caryſtia rupes deſiit ſimul cum marmore proferre ſtamina quædam mollia ac quaſi fila lapidea (exiſtimo enim quoſdam veſtrûm vidiſſe mãtilia, retia, & involucra capitis ea ex materia confecta: quæ neque vruntur, & cùm vſu ſordes cõtraxerunt, in ignem coniecta nitorem ſplendorémque ſuum recipiunt) planè enim deſiit, & vix graciles quædam tanquam fibræ & quaſi capilli eius materiæ per metalla diſcurrunt. At enim horũ omnium opificem Ariſtoteles facit vaporem qui eſt in terra: cuius defectum, migrationem, nouúmq; ortum neceſſe eſt iſta omnia ſequi. Hęc itaq; de ſpiritibus diuinationi ſeruientibus cogitanda ſunt, vim eorum non eſſe ſempiternam aut ſenij immunem, ſed mutationibus obnoxiam. Nam conſentaneũ eſt & magnis eos exſtingui imbribus, & diſsipari fulmine ictis locis, maximè aut cùm terræ motu concuſſæ in ſeſe ſubſidunt ac confundũtur, pẽtere ima aut etiam planè elidi. ſicvt hîc aiunt veſtigia apparere magni terræmotus, eius qui vrbem ſubvertit. Orchomeni aiunt peſte multis abſumtis hominibus, Tireſię oraculum planè defeciſſe, & in hunc vſque diem manere ocioſum & mutum. Idem de Ciliciæ oraculis auditu accepimus: veréne dictũ, tu Demetri omnium optimè expoſueris. Hæc Demetrius. Vt nũc, inquit, res habeat, ignoro. ſcitis enim me permultum temporis iam peregrinando confeciſſe. Cum autem eſſem in patria, florebant adhuc Mopſi & Amphilochi oracula. Habeo autem rem apprimè admirabilem, quæ me pręſente apud oraculum Mopſi evenit, quam vobis referam. Præfectus Ciliciæ, homo dubiæ de diis ſententiæ (quod ei accidiſſe puto propter imbecillitatem incredulitatis de diis conceptæ) cæteroqui contumelioſus & prauus, cùm circa ſe haberet Epicureos, qui freti pulcra (ſi diis placet) iſta ſua phyſiologia religioni illudunt, motus eorum vocibus libertum ad oraculum Mopſi miſit, tan-

Mopſi oraculum.

tanquam exploratorem in castra hostium, cũ tabella obsignata, in qua, nemine conscio quæstionẽ scripserat. Libertus cùm pro more noctem in delubro exegisset, ac obdormiuisset, facta die tale narrauit somnium. visum fuisse sibi adstare virum pulcrum, qui vna hac voce, Nigrum, edita statim discesserit. Absurdum nobis hoc videbatur, multúmque hæsitationis iniiciebat. At præfectus consternatus, flexísq; genibus veneratus Mopsum aperuit tabulam, ostenditque nobis hanc inscriptam quæstionem, Albúmne tibi, an verò nigrum immolabo taurum? Itaque & Epicureis pudor est iniectus, & præfectus sacrificio peracto isto, deinceps Mopsum coluit. His dictis Demetrius cõticuit. Ego autem, qui summam disputationi imponere cuperem, sum in Philippum ac Ammonium intuitus, qui simul sedebant. videbantúrque mihi velle aliquid dicere, & rursum vocem inhibere. Tum Ammonius. Habet, inquit, mi Lampria, Philippus etiam quæ dicat de disputatis. Ipse enim quoque in eam, quæ plerorunq; est, venit sententiam, Apollinem nõ esse à Sole alium, sed eundem cum eo deum. Mea autem grauior est, ac maioribus de rebus dubitatio. Antè, nescio quo modo, oratione eò rem deduximus, vt à diis diuinationem ad genios vtcunque reiiceremus. Nunc videmur mihi hos iterum oraculo & tripode detrudere atque exturbare, diuinationis principium, immò ipsam substantiam ac vim, in spiritum, vapores, exhalationésque referentes. Quæ enim commemoratæ sunt temperies, calores, & quasi aciei ac roboris (qualia ferro candenti aquæ tinctura conciliat) in animum introductiones, sententiam nostram etiam longius è diis abducũt: quandámq; talem causæ oraculorum ratiocinationem proponunt, quali Cyclopem vti facit Euripides.

Tellus oportet, seu uelit, seu non uelit,
Gignendo gramine saginet meum pecus.

Hoc interest, quòd ille negat se diis sacrificare, sed sibiipsi ait & ventri geniorũ maximo. Nos autem & sacrificamus, & vota facimus, nescio sanè cur oraculorum isthæc gratia, siquidem animi nostri in se vim habent diuinandi, quã aëris aliqua aut venti excitet temperies. Iam quid sibi volunt constitutiones antistitarũ? & quod oraculum nõ editur, nisi hostia tota ab imis talis contremiscat dum liquor inter libandum ei invergitur, & cõcutiatur? Non enim satis est quassare caput, vt in aliis sacrificiis: sed oportet omnibus mẽbris trepidationem & concussionẽ accidere cũ tremulo sonitu. hoc nisi fiat, negant oraculum respondere, neq; Pythiam introducunt. Atqui certè necesse est vt hæc cum faciunt, & fieri debere statuunt, diis aut geniis eorum causam adscribant. quo tu modo rem explicabas, probabile nõ est. vapor enim siue tremat victima, siue nõ tremat, vbicũque aderit, diuinum instinctum incutiet, animúmq; afficiet. idq; non tantùm si Pythiæ, sed si quodcũq; corpus attigerit. vt ineptum sit vna muliere vti ad oracula, eíq; facessere negocium, ac per omnem vitam castã eam intactámq; seruare. Etenim Coretas ille, quem primũ aiunt Delphi, cùm eũ in locum incidisset, facultatem loco insitam demonstrasse, nihil (arbitror) habuit, quo alios caprarios aut pastores excelleret. si tamen narratio de eo non est fabula & inane commentum. Mihi quidem nugæ videntur. & quoties ratiocinor, quantorũ bonorũ causam Græcis hoc præbuerit oraculum in bellis, condendis vrbibus, pestilentiis, sterilitatibus: indignũ facinus iu dico, inventionem eius atq; principium non deo, ac providentiæ, sed fortunæ & casui imputari. Hac de re cum Lampria paratus sum disserere. modò tu, Philippe, moram hanc æquo animo feras. Maximè, inquit Philippus, cùm ego, tũ omnes isti. oratio enim hæc tua omnes nos commouit. Me verò, inquã ego, non mouit tantùm oratio hæc, sed planè pudorem incus-

incusit,si in tanto tantorum hominum cœtu vobis videar præter ætatē probabilitate sermonis fucum faciens convellere aliquid aut in dubium vocare voluisse eorum quæ verè & diuinitus de rebus diuinis statuta ac recepta sunt. Purgabo tamen me, teste ac patrono interim Platone adscito. Hic enim Anaxagoram veterem culpauit, quòd nimis in naturales immersus causas, sempérque necessitatem earum quæ corporibus naturalibus accidunt affectionum consectans atq; persequens, finalem & efficientem causam,prestantiores in genere causarum,& potiora principia omisisset. Interim ipse aut primus aut maximè omnium philosophorum has vtrasque tractauit,ita quidem vt deo principium eorum quæ ratione fiunt adscriberet: neque tamen materiam necessariis causis ad rerum ortum pertinentibus spoliaret. perspiciebat quippe, quòd his causis quævis res naturalis ac exposita sensui cùm adornetur, non simplex est aut mixtionis expers, sed materiæ cū forma implicatione oritur. Cōsideremus primùm hoc in operibus artium: Offert se nobis statim famosus iste craterę fundus siue basis, quam hypocrateridium, id est fundamentū crateri substratum Herodotus appellauit. materiales hic crater habet causas,ignem puta,ferrum,mollitionē vi ignis,immersionem in aquam: sine quibus nullo pacto opus hoc potuit confici.præstantiorem tamen causam,& quę his mouendis operaretur,ars & ratio operi prębuit. Præterea exemplaribus his atq; simulacris, autor & opifex inscriptus est.

Causarū diuisio.

Aglaophonte satus,patria Thasius,Polygnotus
Arcis depinxit Dardaniæ excidium.

ac pinxit,vt videtis, excidiū Ilij.verùm id fieri non potuit, vt nisi multis pigmētis tritis ac inter se permixtis picturæ hæc efficeretur forma. An ergo qui vult materialē causam attingere, quæritq; & docet

effectiones & mutationes, quæ accidũt Sinopidi rubricæ cum ochra permixtæ, aut atramento cum melide, aliquid pictoris detrahit gloriæ? Aut qui explicat qua ratione ferro duricies ac mollicies inducantur, (nempe quòd igni laxatum tundentibus & percutientibus cedit, in aquam autem recentẽ immersum, ac frigore ob partam vi ignis teneritatem ac raritatem, coactum in se atque densatum, robur acquirit & crassiciem, quam Homerus vim ferri appellat) Odyss. l. 393. iccirco operis effectionem non relinquit artifici integram? Non equidem opinor. Nam & sunt qui vires medicamentorum aut qualitates examinant, nequaquam ij artem medicam abolentes. Sicvt etiam haud dubiè Plato videre nos oculorum splendore cum Solis luce contemperato, ictóque aëre audire dicens, non hoc negat, ratione & providentia nobis facultatem videndi atque audiendi obtigisse. In vniuersum enim, cùm (vt dixi) quivis ortus duas habeat causas: antiquissimi theologi atque poëtæ soli præstantiori animum advertere dignati sunt. scilicet commune hoc omnibus rebus accinentes:

Principium Iupiter, medium Iouis, omnia ab ipso.

Ad naturales autem & necessarias causas nunquam accesserunt. His posteriores, quibus physicorũ nomen fuit inditũ, diuerso à prioribus instituto, à pulcerrimo illo & diuino aberrauere principio. omnia corporibus, eorúmque perpessionibus, collisionibus, mutationibus, mixtionibus accepta ferre maluerunt. Quo fit, vt vtrorumq; ratio imperfecta sit. his per quem, & quapropter, illis è quibus rebus, & ob quas causas factæ sint ignorantibus, aut saltem non exponentibus. Enimverò is, qui primus liquidò vtrunque causarum genus attigit, certáque ratione efficienti & mouenti causæ adiunxit subiectũ necessariò motionum capax: is nos quoque omni sinistra suspicione & calumnia exonerat. Non enim dei aut rationis expertem facimus diuinationem:

dum

dum ei pro subiecto animum humanum, spiritum autem seu vaporem enthusiasmos cientem instrumenti plectri ve loco tribuimus. Iam primùm terra quæ exhalationes istas parit, tum qui omnis temperiei ac mutationis facultatem terræ largitur Sol, Dij maiorum nostrorum instituto censentur. Deinde huic temperici genios, tanquam præsides, inspectores, custodésque cùm addimus, qui alia tempestiuè suggerant, alia intendant, nimiámque abalienationem mentis & conturbationem restringant, spiritúmq; ita temperent, vt sine noxa & dolore moueat correptos: non videbimur aliquid vel absurdum vel impossibile facere. Preterea nostræ ratiocinationi hoc nó adversatur, quòd antè quàm oraculum petimus, victimam immolamus, coronamus, libamus. Sacerdotes enim, & alij quorum est immolare victimam & libare, ac habitũ eius & motum obseruare, aliam eius rei causam habent, quàm nos qui oracula petimus. Nam hostiam oportet & quod ad corpus, & quod ad animum attinet, puram esse, integram, atq; incorruptam. de corporibus iudicium non est difficile. Animam explorant, farinam tauris, ciceres suibus apponentes. si enim non gustent, non esse sanos iudicant. Capram argui frigida affusa, si non mouea tur. non enim esse animæ secundum naturã affectæ, non moueri neq; affici cum libamenta invergũtur. Quod si constanter verum sit, litare signum esse exituræ sortis, non litando demonstrari responsum nullum acceptum iri: non tamen ego video quid adversum iis, quæ suprà sunt dicta, consequatur. Nimirum vnaquævis facultas suo tempore meliùs quàm alieno id ad quod natura eam destinauit, præstat. & cùm ille temporis idoneus articulus nos fugiat, consentaneum est à deo nobis eius signa monstrari. Id quoq; sentio, exhalationem istam non perpetuò esse eiusdem modi, sed intẽdi atq; remitti interdum. Et mei argumenti, quo id confirmo, testes habeo

cùm multos peregrinos, tũ eos omnes qui adsiduè sacrarium hoc obeunt administros. Celia enim, in qua collocantur consultores oraculi, neq; sæpe, neque statis temporibus, sed fortuitis interstitiis suaui odore impletur, ac Spiritu è delubro tãquam fonte quodam oblato: qui fragrãtia suauissimum quodq; & preciosissimum ęquet vnguentum. expelli autem verisimile est à calore, aut alia quadã innata vi. Hoc si cui nõ videtur probabile, at illud quidem vniuersi fatebimini, ipsam Pythiã aliàs aliis & diuersis inter se affectionibus citatã habere eã animi partem, quam tangit spiritus: neq; ab ea vnam semper animi temperiem, instar harmoniæ nullo temporis puncto mutabilis, cõseruari. Multæ enim sentiente ipsa, plures non animadvertente corpus eius invadunt, animóq; obrepunt molestiæ & commotiones: quibus oppletam nefas est ire ad cortinam & deo sese vtendam exhibere: cùm fit tunc non pura, sed instrumentum quasi non satis rectè adornatũ aut bene sonum redditurum, verùm turbulentum atque incompositum. Nam neque vinum ebriosum, neque fistula enthusiasmis captum eodem semper afficit modo. sed pro eo atq; aliud vel aliud temperamentum in corpore obortũ est, iidem aliàs magis, aliàs minus bacchantur ac insaniunt. Maximè omnium partium animi ea, qua imaginamur, videtur corporis alterationibus permoueri, eiúsq; mutationes imitari. Quod manifestum faciunt somnia, quæ aliquãdo nobis varia & multiplicia offeruntur, aliquando eorum vacui, animóq; ad hæc quod attinet trãquillo sumus. Ipsi nouimus Cleonem à Daulia istum, qui toto vitæ suæ decursu (vixit autem satis multos annos) vllum se vidisse somniũ negat. Antiquiores idem tradunt de Thrasymede Heræense. In causa est corporis temperies. Sicvt ab altera parte melancholicis frequentia visa & somnia offeruntur. quæ quòd veracia creduntur, id eo fit, quòd aliàs alio vim imaginandi

Oraculi antistita quomodo afficiatur.

ginandi convertentes, sicvti ij qui crebrò iaciunt, sæpenumero scopum attingunt. Ergo quoties facultas imaginandi atque diuinandi, ad spiritus, táquam medicamenti, temperamentum cõcinnè affecta est: necesse est vates instinctu diuino cieri. Sin verò, aut nullus erit enthusiasmus, aut incompositus, intempestiuus, & turbulẽtus. sicvt nuper mortuæ Pythiadi accidisse nouimus. Cùm enim quidam scitatum oraculum peregrè venissent, fertur ad primas libationes victima immobilis mansisse, neq; passa quidquam. tandem instantibus certatim libando sacerdotibus, vel vt imbre rigata ac madefacta cõtremuisse aliquantum. Quid ergo Pythiadi vsu venit? Descendit in opertum oraculi inuita, vt aiunt, & animo minimè alacri. statim autẽ in primis responsionibus apparuit ex asperitate vocis eam instar nauis vento impulsæ non sustinere vim Spiritus, adeóque repletam esse spiritu maligno & muto. tãdem prorsus exagitata cum terribili clamore ad oxitum contendit, ibique sese proiecit, ita vt non tantùm consultores fugerint, sed & Nicãder vates, & quotquot hosiorum aderant. (id est sanctorũ. Sic vatum sodales appellantur) Paulo tamen pòst ingressi sustulerunt eam mente captam, ac supervixit paucos dies. Eam ob rem Pythias necesse est vt corpus & à viris intactum, & ab omni alieno commercio purum conseruet. & signa ante oraculum exigunt, existimantes deo notum esse quando ea commodè affecta atque temperata sustinere instinctũ diuinum possit. Neq; enim omnes, neq; eosdem eodem semper modo vis Spiritus afficit: sed fomitis instar initiũ (sicvti diximus) prębet iis, qui ita comparati sunt, vt cómo dè affici ac mutari possint. Est autem vis ea diuina quidem, non tamen quæ deficere nunquam aut senectute elangueſcere, sed durare per infinitum tempus possit. quo sanè omnia debilitantur, quæ inter Lunam sunt & terram. vt quidem nostra do-

Pythias Spiritu interfecta.

ctrina perhibet. Sunt enim qui ſuperiora etiam non perdurare putent, ſed cùm æternitatem atque infinitatem aſſequi non poſsint, celeribus vti mutationibus ac renouationibus ortuum. Hæc, inquã ego, ſæpenumero perpendere & vos iubeo, & meipſum, cùm multis videantur expoſita reprehenſionibus, & in contrariam ſententiam ſuſpiciones præbeant: quas omnes perſequi diſputando tempeſtiuum in præſentia non eſt. Ergo & hæc in aliud reiiciamus tempus, & quæ Philippus de Sole & Apolline dubia explicanda habet.

PLVTARCHI
De Ei, inſcripto foribus templi Delphici, commentatio.

NOnidi nuper, mi Sarapio, in verſiculos quoſdam nequaquam inelegantes: quibus Dicæarchus exiſtimat Archelaum fuiſſe ab Euripide compellatum:

Nolo tibi dare dona pauper diuiti:
Deſipere ne putes me, uel dando petere.

Pauper diuiti donãs.

Nullam enim gratiam init, qui de exiguis opibus paruum aliquid multa poſsidenti dat: & cùm fidem non facit ſe gratis dare, in maliciæ ſimul ac illiberalitatis venit ſuſpicionem. At enim, quando liberalitate ac pulcritudine munera pecuniaria donis doctrinæ & ſapientiæ multo ſunt inferiora: honeſtum eſt cùm dare hæc, tum ab iis quibus dantur ſimilia repoſcere. Itaque ego ad te, & propter te ad amicos iſthic degentes Pythicis de rebus quoſdã commentarios mittens, fateor alios me à vobis, & plures & meliores exſpectare. quippe cùm & magna vos in vrbe verſemini, & ocio inter multos libros atque omnis generis diſputationes fruamini. Enimverò

verò Apollo noſter, vt apparet, cùm difficultates vitæ incidentes ſubleuet atque diſſoluat edendis oraculorum reſponſis, eas quæ circa doctrinam ſunt, relinquit & proponit excutiendas ei animi facultati quæ ſtudio ſapientiam ſectatur, appetitum ingenerans qui ad veritatem ducis loco ſit. Id cùm aliis multis rebus manifeſtũ fit, tum inſcriptionis Ei dedicatione. Conſentaneũ enim eſt eam litteram non forte fortuna, neque ſorte inter litteras comparato ſolam à Deo principe in ſede collocatam, ac donarij ſacri & ſpectaculi conditione ornatam fuiſſe. ſed eos, qui primi de hoc deo philoſophati ſunt, aut Ei huius vim quandam peculiarem & inſignem perſpexiſſe, aut hac nota & teſſera ſeriæ alicuius rei vti voluiſſe. Qua de re quæſtionem cùm ſæpenumerò in ſchola propoſitã ſenſim declinando evitauiſſem, nuper deprehenſus ſum à filiis cũ hoſpitibus quibuſdam concertans, quos ſtatim Delphis abituros decorum non erat præterire, aut ſermonem detrectare illis aliquid omnino audire cupientibus. Cùm ergo apud templum conſediſſemus, & alia ipſe inquirere, alia ex iſtis interrogare cepiſſem: ipſe locus, ipſáque diſputatio eorum memoriam mihi renouauit, quæ quo tempore Nero apud Delphos eſt peregrinatus, eodem in loco eadémq; quæſtione obortà Ammonium differere audiueramus. Iam primùm omnibus Ammonius rectè videbatur eò dei iſtius nomina accommodaſſe, vt non minus philoſophum eum quàm vatem eſſe oſtenderet. ac docuiſſe, Pythium vocari iis, qui diſcere incipiunt & percunctantur. Delium autem & Phaneum iis, quibus iam aperitur & eluceſcit veritatis aliquid: Iſmenium ſcientibus: Leſchenorium, iis qui iam vtuntur ac fruuntur ſcientia, ac inter ſe diſputant & philoſophantur. Quoniam autem philoſophiæ eſt inquirere, mirari, dubitare: aiebat non abs re pleraque de diis occultata eſſe ænigmatis, rationémq; aliquam

Apollinis nomina.

& causæ explicationem desiderare. verbi gratia, cur ad ignem sempiternum de omnibus lignis sola vratur abies, cur sola laurus suffiatur, cur duæ sint positæ Parcæ, cùm vbique tres censeantur, cur nulli mulieri liceat ad comitiam accedere, quæ tripodis ratio, atq; alia, quæ non planè brutis & dementibus submissa, alliciunt eos, & ad considerandũ, audiendúmque & differendum aliquid de iis incitant. ista quoque vide vestibulo præscripta, Noris teipsum, ac Ne quid nimis, quantas philosophorũ excitauerunt disputationes, quantáq; de singulis sermonum multitudo tanquam è semine pullulauit. Ego autem præsentem quæstionem fecunditate nulli istarũ cedere existimo. Hæc locuto Ammonio, Lamprias frater meus: Atqui, inquit, ratio quam nos adduci audiuimus ea dere, perbreuis est ac simplex. Dicunt enim sapientes istos, qui à nonnullis sophistæ appellantur, numero fuisse quinque, Chilonem, Thaletem, Solonem, Biantem, Pittacum. Postquàm verò Cleobulus Lindiorum tyrannus, & Periander Corinthius, quanquam virtutis essent sapientiæq; expertes, potentia, amicis, officiisq; vim famę fecerũt, & se in nomen sapientum ingesserunt, itidémque vt quinq; illi sententias quasdam & dicta emiserunt ac per Græciam sparserunt: ibi tum quinque istos, qui molestè hoc ferrent, arrogantiam quidem horum refellendum, aut de gloria palam inimicias suscipiendum, & contendendum cum præpotentibus viris non censuisse: ipsos autem huc conuenisse, intérque se collocutos, litteram eam, quæ & in ordine est quinta, & quinque numerum designat, dedicauisse, coram deo protestatos se quinque numero esse, ac sextum & septimum vt nihil ad se pertinentes repudiasse & abdicasse. Quæ non dici abs re, cognoscere potest si quis audiat eos quibus templi cura est commissa. Est enim aureum illi Liuiæ Augustæ nominant, æreum Athenienſium, ligneum autem

Aenigmata.

Sapientum prisorũ numerus.

autem, antiquissimum ac primum omnium, hodiéq; sapientem appellant, non ab vno, sed communiter ab omnibus dedicatum. Adhæc Ammonius placidè subrisit, suspicatus Lampriam peculiari quadam opinione duci, & ne eius rationem cogeretur reddere, fingere historiam ab aliis se audiuisse. Alius autem quidam de iis qui vnà aderant, simile aiebat esse hoc nugis quas proximè Chaldæus hospes protulisset. Septem scilicet esse vocales litteras, septem in cœlo stellas quæ suo proprio & primi cœli motui non alligato ferantur motu. E autem esse in ordine vocalium secundam ab initio, & Solem à Luna secundum: omnes autem ferè Græcos vno ore eundem cum Apolline Solem perhibere. Verùm isthæc planè sunt inepta & trivialia. Cæterùm Lamprias non sensit se templi curatores commouisse aduersus suam orationem. Quæ enim ipse dixit, ea nemo Delphorum agnoscit. Sed communem ij & interpretem opinionem in medium produxerunt, contendentes neque formam, neque sonum, sed solum nomen litteræ notare aliquid. Est enim, vt Delphi opinantur, & Nicander sacerdos omnium nomine dixit, quasi vehiculum & forma sermonis quo deum compellant homines, syllaba E I, quod Latinè S I dixeris, principémq; locum obtinet in interrogationibus: dum consultores identidem quærunt ac scitantur, Si victoria sint potituri, Si ducenda vxor, Si expediat nauigare, Si agriculturam exercere, Si peregrinari. Dialecticis autem valere iussis Apollo sapiens deus, qui ex particula S I & pronunciato ei adiuncto nullam censent confici rem, omnes interrogationes huic subiunctas particulæ pro rebus accipit & admittit. Quoniam autem nobis proprium est interrogare vatem, commune autem invocare vt deum: existimant litteram illam E I, siue S I, non minus optandi quàm

interrogandi significationē habere. Optantes enim dicimus, Si mihi contingeret. & Archilochus,

— Si mihi
Manum liceret Neobules tangere meæ.

Et in ΕΙΘΕ posterior syllaba ΤΗΕ locum implet, nihil significat, vt & particula ΘΗ᾽Ν. Sed ΕΙ optandi vim habet sufficientem. Hæc cùm dixisset Nicander: Theo socius noster, notus (opinor) tibi, ex Ammonio quæsiuit, libertáne relicta esset dicendi dialecticæ, tanta affectæ iniuria. Et Ammonio dicere, opémque ei ferre iubente: At verò, inquit, artis huius peritissimum esse Apollinem, pleraque oracula ostendunt. est enim eiusdem nimirum soluere & texere ambiguitatem. Iam sicvt Plato dicebat oraculo dato, quod aram Delphicam duplam prioris facere iuberet, (quod summæ est rerum geometricarum peritiæ opus) non de ara deum fuisse locutum, sed Græcis hoc modo mandauisse vt geometriæ darent operam: ita sanè ambigua edens oracula Apollo, auget commendátque dialecticam, qua scilicet opus habeant qui ipsum velint intelligere. In dialectica autem maximam vim habet coniunctio Si, eam componens enunciationem, quæ omnium maximè rationi humanæ cógruit. Quid ni enim? cùm etiam bruta rerum substantiæ habeant noticiam: considerationem autem & iudicium consequentiæ soli homini natura dederit. Esse enim diem, esse lucem, sentiunt nimirum & lupi, & canes, & aues. quod autem Si lux est, dies sit, nullum excepto homine animal intelligit. solus enim homo antecedentis & consequentis, & significationis horum atque connexionis, mutuiq; respectus & discriminis notionem percipit, ex qua demonstrationum principium petitur præcipuum. Quoniam autem philosophia versatur circa veritatem, lux veritatis est demonstratio, huius principium est connexa oratio: conuenienter ea par-

Dialectica.

ea particula, quæ vim habet hanc cõficiendi & continendi, à sapientibus hominibus ei deo consecrata fuit, qui maximè diligit veritatem. Vates ergo est deus, ars circa futura fatidica ex præsentibus aut præteritis. Nullius enim rei vel sine causa est ortus, vel sine ratione prænotio. sed cùm omnia præsentia præteritis, omnia futura præsentibus connexa sint & alterum ex altero sequatur progressu ab initio ad finem pertendente: is qui causas naturalibus rationibus perspicere & inter se contexere potest, is nouit ac prædicit

Quæ sunt, quæ uenient post hæc, quæ præterierunt. Ilia. æ, 70.

Et præclarè Homerus primo loco posuit præsentia, deinde fututa & præterita. Nam è connexi natura ducitur ratiocinatio: Si hoc est, istud præcesit. & Si hoc est, istud fiet. Artificiosa enim, vt dixi, res est, & ab humana proficiscitur ratione cognitio cõsequentiæ. assumtionem autem sensus rationi præbet. Itaque etsi turpe videtur, tamen non verebor dicere, tripodem nihil esse aliud quàm rationem veritatis: quæ posita eius quod est ad antecedens cõsecutione, deinde assumens rem extantem, conclusionẽ demonstrationis infert. Quid mirum autem, si Apollo, qui Musica delectatur, & olorum cantu, citharæque sono, ob amorẽ dialecticæ hanc particulam amplectitur & diligit, qua maximè & crebrò vti videt philosophos? Hercules autem, cùm nondum soluisset Prometheum, neque cum Chirone & Atlante sophistis collocutus fuisset, iuuenis etiamnum ac planè Bœotius, dialecticam abolens, & Si prius ac posterius deridens, creditus est vi abstuliſſe tripodem, & de arte cum deo dimicasse. nam aucta quidẽ ætate, ipse quoque & diuinationis & dialecticæ factus est peritissimus. Vt finem dicendi fecit Theo, Eustrophus Athenienſis fuit, vt puto, qui ad nos dixit: Viden' quàm alacriter Theo dialecticam tueatur, tantùm non leonis indutus exuuium? ne nos

quidem porrò, qui omnes in vna summa res, naturas, principia, diuinarum iuxtà humanarúmque rerum, numeris adsignamus, numerumq; multo maximè omnium pulcrarum bonarúmq; rerum facimus principem ac dominum, quiescere iciens, sed primitias charæ mathematices deo offerre. quippe qui statuamus Et illud neque virium, neque formæ, neque significationis gratia quicquam ab alijs differre literis: sed iudicemus hoc honore eximio ornatũ esse, vt notam quinarij, cuius numeri magnum est in vniuersam naturam ius. quem nos pemptada, & ab eo sapientes pempazein numerare appellant. Hæc ille ad nos dicebat, non ioco, sed quia tum mathematibus ego ardenti studio animi incumbebã. fortassis etiam, vt versans in Academia, vbique magni fa-
* cturus vocem, illam, Ne quid nimis. Ad hæc itaque ego sic respondi. Equidem dubitationem Eustrophus optimè numero soluit. Cum enim numerus in parem ac imparem diuidatur, vnitas facultate vtrique generi est communis: vt quæ pari addita impa-
Quinarij vis & præstantia. rem, impari adiecta parem conficiat numerum: principium autem paris numeri duo, ternio imparis statuitur: Quinarius ex his duobus cõpositis cõflatus, meritò in honore est, vtpote primus ex primis cõfectus, nominatúrque Matrimonium, ob paris cũ fe-
mina, imparis cum mare similitudinẽ. Quãdo enim numeri in æquas diuiduntur partes, par omnino diuulsus, principium quoddam capax in seipso, spaciúmq; relinquit. impari diuiso, semper medium restat gignendo aptum. itaque & fecundior pari est, mixtúsque semper prævalet, nunquã vincitur. nunquam enim par impari mixtus parem, semper imparem producit. immò autem vterq; secum compositus, discrimen ostendit. nunqua scilicet par pari adiunctus imparem procreat, neq; suam mutare naturam potest, imbecillus & vi alium gignendi destitutus. impares, quia vsquequaq; sunt fecundi impari-

bus

bus iunctí multos generãt pares. Reliquas numerorum facultates ac differentias nõ est hic persequendi locus. Proinde quinarium Pythagorei, ob similitudinem congressus primorũ maris & feminæ Coniugium appellauerunt. Idem etiam natura dicitur, quòd sui multiplicatione in se redit. sicvt enim natura triticũ loco seminis accipiens, multas alterando eo mutandóq; formas interim inducens, tãdem triticũ reddit, in fine totius mutationis principium restituẽs: ita cùm reliqui numeri in sese multiplicati, incremento facto in alios desinant, soli quinarius & senio in se ducti, seipsos referunt & conseruant. Sexies enim sex, x x x v i sunt: quinquies quinque, x x v. Verùm senarius semel hoc facit, vnóq; duntaxat modò ex seipsõ quadratũ producit. Sed quinarius præter hunc multiplicationis fructum, sibi ipsi adiectus denarium gignit: idque durat perpetuo. qua in re imitatur hic numerus principium illud, quod Vniuersum temperat. Sicvt enim Heracletus ait eo sese conseruante ex seipso mundum, ex mũdo se refici, igníq; omnium vicissitudines effici, ex quo omnia fiant & in quem omnia redeant, quo modò ex auro fit pecunia, è pecunia aurum. sic quinarij ea est natura, vt cum quinario congressus nihil imperfectum aut alienũ possit procreare: sed aut sese, aut denariũ: id est, vel suæ naturæ, vel perfectum numerũ. Quod si quis interroget, quid hæc ad Apollinẽ attineant, respondebimus, nõ ad hunc modò, sed & ad Bacchũ, qui non minori iure quàm Apollo Delphorum sibi partem vindicat. Audimus enim theologos partim carmine, partim libera oratione canentes atque tradentes, deum interitus expertem atque æternum suapte natura, fatali quodam decreto ac ratione mutationibus sui vtentem, aliàs in igneam naturã accendi, omniáq; omnibus assimilare: alias in varias se omnisq; generis formas induere, diversisq; affectionibus & facultatibus ob

noxium facere, idque fieri quod notissimo nomine mundus dicitur. Sapientiores autem isthæc vulgus hominum celantes, mutationem in ignem Apollinis, ob negationem multitudinis, & Phœbi ob puritatem nomine afficiunt. Mutationem autem inspiritus, aquam, terram, sidera, stirpes, atque animalia, eiúsque dispositionem, divulsione quadã & in membra distractione per ambages proponũt: ipsum deũ Dionysum, Zagreum, Nyctelium, & Isodætam appellant. Interitus etiam quosdam, & è medio sublationes, mortes, rursúmq; in vitam reditus, consentanea dictis mutationibus ænigmata, agũt: canúntque Baccho dithyrambos, plena motuum animi & mutationum carmina cum vagis erroribus & circumcursitatione coniunctarum. nam, vt Aeschylus ait, Promiscui clamoris dithyrambum convenit comitari Baccho. Apollini autem canunt Pæanem, carménque modestæ Camœnæ. Atque hunc semper iuuenem, & senectutis exsortem, illum multiplici forma, variáque specie pingunt atque fingunt. denique Apollini tribuunt æqualitatem, ordinem, sinceritatémque seriò constantem Baccho admixtos iocos, & petulantiam, & furoré & inæqualitatem: Euium, in mõtibus inter mulieres versantem ac currentem Bacchum væsanis honoribus invocantes: non ineptè vtriusq; mutationis naturã contemplati. Quoniam autem circuitionum in mutationibus tempus æquale non est, sed longius eius, quam Coron, id est satietatem vocãt, breuius Chresmosynes, id est indigentiæ: proportionẽ hic obseruantes, reliquis anni partibus pæane ad sacrificia vtentes, ineunte hyeme dithyrambum illo silere iusso excitãt, ac per tres menses Bacchum loco Apollinis invocant, tempus quo in ignem redigantur omnia triplum alterius esse censentes. Verum hæc prolixius quàm prorationе temporis sunt commemorata. Id quidem manifestũ est, huic rei theologos quinarium accommodasse:

modasse: quæ nunc ipsa seipsam gignit, vt ignis, nũc denarium constituit, nimirum mundum. Quid? Musicam, quæ deo illi gratissima est, censebimus quinario carere? Harmonica certè maximè vocum in concentibus (symphonias vocant) occupata est tractandis. at quinq; non plures, neq; pauciores, esse symphonias, ratio convincet, & refellet eum qui sine ratione ista sensu in fidibus aut fistularum foraminibus velit examinare. omnes enim proportione numerorum oriuntur. quæ est diatessaron symphoniæ sesquitertia, diapẽte sesquipla, diapason dupla, diapason cum diapente tripla, disdiapason quadrupla. quam enim his addunt harmonici diapason cũ diatessaron, ea recipienda non est, neq; auribus est aliquid contra rationẽ, quæ legis vice est, gratificandum. Porrò vt quinq; dispositiones tetrachordorũ omittam, vt taceam de quinq; primis tonis siue modis siue harmoniis, quæ vocem intendunt ac remittunt, & maiorem minorémve faciunt, cùm reliquæ grauitate aut acumine considerentur: nõ cùm multa, adeóq; innumera sint intervalla, quinq; tãtùm in cantilenis vsurpantur? diesis inquã, semitonium, tonus, trisemitoniũ, ditonus? nullum aliud neq; minus neq; maius in vocibus intervallum grauitate & acie definitũ in cantũ venit? Multa id genus alia ego prẽteriens, Platonem producã, qui aut vnũ mundũ esse affirmauit, aut si præter eũ alij sint, omnino quinque numero esse mundos, nõ plures. Enimverò etsi vnicus mũdus hic est, quod & Aristoteles sensit: tamen is quodammodo ex quinq; compositus est & concinnatus mundus: nimirũ mundo terræ, aquæ, aëris, ignis, & cœli, quã quintã substantiã ille, alij lucem, alij ætherẽ nominant: cui soli omniũ corporum nõ necessitate, non accidentis ratione, sed à natura datum est, vt circulo rotetur. Ideóq; primas etiã & perfectissimas earum quæ in natura sunt figuras Plato animadverteus, pyramidem, cubum, octaëdrum,

Sẽsus quinque.

icosaëdrum, & dodecaëdrum, singulas singulis ãc-
commodauit mundis. Neq; desunt, qui sensuum fa-
cultates numero itidem æquales primis illis appli-
cent corporibus. videntes tactũ esse terrestre quip-
piam & resistens, gustatũ ob humiditatem sapidorũ
qualitates percipere. aër porrò ictus, vox fit & so-
nus. de reliquis duobus odor, quẽ olfactus arripit,
igneæ est naturæ, cùm sit exhalatio à calore elicita.
visus fulgore æther & lux res cognatæ contempe-
rantur, sensumq; concordi motu percellunt. Alium
neq; sensum animal, neq; mundus simplicẽ & mix-
tionis vacuã habet naturã. sed mirabilis quædam, vt
apparet, distributio est facta, quinq; ad quinque ita
aptatis, vt cuique suus quasi collega destinaretur.
Hæc ego inter dicendũ paululum subsistens, interca
pedine aliqua facta, En, inquã, Eustrophe, quid no-
bis vsu venerit? parum abfuit quin Homerũ prẽteri-
remus. quasi verò non ille primus mundũ in quinq;
diuiserit partes: quarũ tres in medio sitas tribus ad-
signauit diis, duas extremas olympum & terrã, qua-
rum hæc imorum, illa summorum est terminus, com
munes & nõ distributas relinquens. Sed, vt est apud
Euripidẽ, referenda est ad id vnde exiit oratio. Qui
quaternarium magnificè prædicant, non ineptè do-
cent, eius ratione omni corpori ortum suũ contin-
gere. Cùm enim omnis soliditas intelligatur esse in
longitudine & latitudine crassiciem nacta: & ante
longitudinem exsistat punctũ vnitatis rationem ha
bens: linea autem sit longitudo latitudine carens: li
neq; autem in latitudinem motus, & superficiei pro-
creatio ternario constet: huius profunditate acce-
dente, soliditas quaternario conficiatur: nemo non
videt, quaternarium, postquã naturam vsq; ad cor-
poris perfectionẽ produxit, tactuiq; rẽnitentem mo
lem exhibuit, destituere eam potissimẽ rei indigam.
Nam quod animæ est expers, id, vt verbo dicam, or
bum est & imperfectũ, neq; vllam ad rem anima non
mouente

Ilia. c, 190.

mouente commodum. Motus autẽ siue affectio animã introducens, mutatione per quinq; fit, naturęq; perfectionem conciliat. vt quinarij ratio tanto sit quàm quaternionis pręstantior, quãto maior est animalis quàm anima carentis corporis dignitas. Præterea concinnitas & facultas quinarij plus viriũ nacta, non siuit in infinitum progredi animatorum naturam, sed animalium quinq; definiuit genera: deos scilicet, genios, heroës, homines, bruta. Iam si ipsam animam ita vt natura eius fert partiare, prima eius & obscurissima vis est vegetandi, proxima sentiendi, post hanc appetendi, deinde irascendi: in ratiocinandi facultate quinta, tanquam in extremo perfectionẽ adsecuta substitit natura. Tot tantisq; præditi quinarij facultatibus, ortus quoq; elegans est. non is quem suprà commemorauimus, vbi è binario & ternario conflari eum docuimus: sed quod nascitur principio cum quadrato primo coëunte. omnis enim numeri primordium est vnitas: quaternarius quadratorum primus. Ex his, tanquam forma & materia finita, quinarius componitur. Quod si rectè nonnulli vnitatem quoq; quadratum censent, quæ ex sese ipsa propagatur: quinarius coitu duorum primorum quadratorum natus, non potuit nobiliori ab origine exsistere. Quod autem maximum est, id vereor ne si dicam, ita premat Platonem, sicvt ipse Lunæ causa pressum fuisse Anaxagoram perhibet, q admodum vetustam de eius illuminatione rationẽ pro sua vsurpasset. Nónne enim in Cratylo ita scriptũ reliquit Plato? Omnino, inquit Eustrophus. sed quid simile eveniat, non cerno. Atqui, inquam, nosti eundem in Sophista quinq; potissima demonstrare principia, Ens, Idem, Diuersum, Motum, Statum. Et in Philebo alia instituta diuisione, Vnum ait esse Infinitum, alterũ Extremũ, his mixtis omnẽ exsistere Ortum. quartũ ponit Causam eius mixtionis: & quintũ nobis cogitandũ reliquit, Causam secretiõis & dissi

Animalium genera.

Platonica principia.

pationis mixtorum. Existimo autem hæc illorum quasi imagines proponi, Entis id quod sit, Motionis infinitum, Status extremum, Eiusdem miscendi, Diuersi secernendi principiũ. Quod si diuersi sunt, & illo & isto modo quinq; erunt principiorũ gene
* ra ac differentiæ. Hæc aliquis ante ætatẽ Platonis cùm comperisset, Ei Apollini eam ob rem consecrauit, notã atq; indicium numeri vniuersorum. Enimverò bonum quoq; perspiciens in quinq; tributum genera, quorũ primum est Mediocre, secundũ Proportione mensuræ concinnum, tertium Mens, quartum in animo Scientiæ, artes, veræq; opiniones, quin
* tum Voluptates puræ & à dolore secretæ: ibi dicit Orphicum illud subijciens:

Aetate in sexta studium finite canendi.

His ita dictis inter nos, breuiter ex Nicandro aliquid quæram, ac

Cantabo gnaris.

Sexta noui mensis die, cùm Pythiam in prytaneum introducit, prima vobis de tribus sortibus ducitur quinario, neq; binario iacto, neq; ternario, aut in-
* ter se comparatis. Nónne ita est? Tum Nicãder, ita est, inquit: sed causam aliis effari nefas est. Ergo, aiebam ego, interim dũ nobis consecrãdis deus veritatem cognoscẽdã præbebit, id quoq; adiectũ sit his, quæ de quinario sunt dicta. Hic fuit, quãtũ ego memini, finis arithmeticarũ & mathematicarũ notę Ei laudationũ. Cæterùm Ammonius, qui & ipse nequa quã contemnendã mathematicę philosophiæ operã impendisset, delectatus ea disputatione, dixit: Non equidem convenit isthæc ab adolescentibus nimis studiosè refelli, id tamen dissimulandum non censeo, vnumquemvis numerum facilè laudare volentibus materiam sui laudãdi præbiturum. Et quid attinet alios cõmemorare? Ipse Apollini sacer septenarius diem antè cõsumet, quàm dicendo vires eius vniuersæ possint explicari. Decet verò nos pronunciare,

nunciare, ſapientes viros bellum commuui legi indixiſſe ac vetuſtati temporis, & ſeptenario de principe ſede exturbato, quinarium deo tanquam magis illo congruentem dedicaſſe? Ergo neq; numerum, neq; ordinem, neq; copulam, neq; aliam deficientẽ partem exiſtimo littera EI ſignificari. ſed eſt ex ſeſe perfecta compellatio dei, ſimul cum verbo enunciãtis animo obiiciens vim dei. Deus enim vnumquenque noſtrùm huc accedentem velvti ſalutans compellat, Noſce teipſum inquiens: quod nihilo eſt quàm Salue deterius. Nos viciſsim reſpondentes deo, EI, id eſt Es, dicimus: veram, certam, ſolamq; ſoli convenientem ei appellationem, qua eſſe dicitur, tribuentes. Re vera enim eſſentię nos nequaquã ſumus participes, ſed vniuerſa mortalis natura in medio ortus & interitus verſans, ſpeciem opinionémq; obſcuram & inſtabilem ſui præbet. quòd ſi animum intendas, vt intellectu eam comprehendere poſsis: quemadmodum aquã ſi complectaris vehementiùs, ſit vt comprimendo ea & in ſe conducendo diffluat ac pereat: ſic vniuſcuiuſvis perpeſsionibus & mutationibus obnoxiæ rei nimis evidentem perceptionẽ dum ſectatur ratio, aberrat vel ad ortum eius, vel ad interitum, nihil arripere quod permaneat aut ſit re vera cùm poſsit. Heracleti eſt, non poſſe quenquam bis in eundem fluuium deſcendere. Subſtantiã quo que caducam bis eodem in ſtatu nemo attinget: ſed celeritas mutationum eam diſsipat mox, ſtatim colligit rurſum. Immò non iterum, non poſtmodò tangere licet, ſed ſimul & exiſtit & interit, ſimul accedit atq; recedit. Hinc eſt, vt quod fit, eò vſq; nõ perducatur, vt verè dici poſsit eſſe, ortu nimirum nuſquam deſinente, nuſquam inſiſtente. Statim iam inde à ſemine continentibus mutationibus fetus fit, infans, puer, adoleſcens, iuuenis, vir, ſenex, ſilicernium: ſemper poſteriore priores abolẽte ortus. Sed nos ridiculi ſumus, qui vnam metuamus mortem,

Caducæ res non ſunt re vera.

toties iam mortui, toties morientes. Non enim tan
tùm, vt Heracletus dicebat, Ignis mors aëri est or-
tus. & aeris mors aquæ ortus. sed multo hoc eviden
tius in ipsis hominibus animadvertas. Interit vir fa-
cto sene: at vir factus erat intereũte iuuene, hic pue-
ro, hic infante. & qui heri fuit, mortuus est orto ho-
dierno, hodiernus in crastinum desinit. nullus autẽ
manet, neque est vnus, sed nascimur multi, materia
circa vnum simulacrum & exemplar quoddam ex-
pressum circumagitata atq; labascente. Etenim si ii-
dem perduraremus, quomodo nunc aliis gauderemus reb. gauisi antè diuersis? cõtraria diligeremus, odio haberemus, miraremur, vituperaremus: aliter loqueremur, afficeremur, non formam, non figurã, non sensum pristinum retinentes? Nam neq; absq; mutatione probabile est istam diuersitatem oriri, et qui mutatur, idem non est. Si idem nõ est, ne est quidem: sed alius ex alio mutationibus factus. Sensus autem ob ignorationem eius quod est, fallit nos vt esse putemus quod esse videtur. Quid ergo re vera est, quod sit? id quod sempiternum est ortus & interitus exsors, cui nullus à tempore motus infertur. Mobile enim quiddam & quod cum mobili imaginatio concipiat materie, semper fluens, non solidũ aliquid, sed velvti vas ortuũ & interituum est tempus: cuius ipsæ appellationes hæ, Prius, Posterius, Erit, Fuit, fatentur ipsum non esse. facias enim fatuè ac absurdè, id quod nunquam dici potuit esse, aut quod iam esse desiit, si esse dicas. Id aũt, in quo maximè innitimur intellecturi tempus, nimirum quando Instans, Præsens, Nunc dicimus: id rursum elangueſcens ratio prodit. eliditur enim disipatúrq; in futurum & præteritum. idq; nobis hîc vsu venit, quod iis qui rem nimis procul disitam videre volunt, priùs elangueſcentibus radiis quàm eò pertingant. Quod si idem accidit naturæ quam tẽpore metimur, quod mensuræ eius: ipsa quoq; nihil est permanens,

Verum Ens.

Tempus.

manens, nihil ens, sed omnia sunt fientia & intereuntia, iuxta eorum cum tempore cõparationem. Itaq; de eo quod est, nõ licet dicere fuisse id aut fore: quæ verba inclinationẽ significant atq; discessum & mutationem, quæ locũ in eo quod est non habet. Deus autem, si ita dicendum sit, EST, & est nulla ratione temporis, sed æternitatis immobilis, tempore & inclinatione carentis: in qua nihil prius est, nihil posterius, nihil futurum, nihil præteritum. nihil antiquius, nihil recentius, sed vna cum sit, vnico Nunc sempiternam implet durationem: & huius ratione quod esse dicitur, vere est, non futurum, non præteritum, neq; orsum, neq; desiturum. Sic itaq; deus nobis est venerationis studio salutandus atq; compellandus. Nisi mauis veterum quorundam formulam, EI HEN, Vnum es. Non enim multa sunt numina, sed vnum: non vt vnusquisq; nostrũm congeries ex infinitis diuersissimisq; affectionibus variè cõmixta, quo modo ex omnis generis hominibus solennes conventus conflantur. Sed vnũ oportet esse id quod est: & esse, id quod vnum dicitur. nã diversitas cùm differentia entis ponitur, iam ad procreandum id quod non sit ens vergit. Proinde deo huic rectè & primum, & secundum, & tertium nomen est inditũ. Apollo enim dicitur, quòd vnicus sit: voce multitudinis negationem arguente. Ieius autem, vt vnicus & solus. Phœbus, quia hoc vocabulo antiqui omnia casta & pura designauerunt: sicvt (ni fallor) Thessali hodiéq; sacerdotes nefastis diebus priuatim & extra templa degentes phœbonomasthæ, id est lustrari, dicunt. Vnum autẽ quod est, sincerum est & mixtionis purũ. alterius quippe cũ altero mixtione res cõtaminãtur. quo pacto Homerus inquinari ait puniceo colore ebur tinctũ. & infectores colorũ mixtos corrũpi, mixtionem corruptelã nominant. Ergo vnum esse, neq; cũ alio contemperari, semper cõpetit in naturam interitus expertem ac puram. Qui ve *Ilia. d, 141.*

rò Solem cum Apolline eundem faciunt,eorum par
est exosculari atq; amplecti ingenij bonitatem : qui
quòd maximè omnium quæ habent cognita venerá
tur atq; desiderant,ei noticiã ac indicium dei huius
adsignant. In præsentia autem deum quasi in pulcer
rimo omnium somniorum somnio imaginantes, ex-
citemus animos nostros, hortemúrque vt altiùs se
efferant, & dei substantiam sublimiorem naturali-
bus contemplentur.neq; tamen non hanc eius ima-
ginem colamus,& veneremur,quæ (quantum omni
no rès sensilis de ea quam sola mens cernit,& cadu-
ca de perenni præstare potest) fecunda est,indicia
nobis quædam & simulacra effulgentia vtcunq; sug
gerendo, bonitatem & felicitatem numinis istius re
præsentátia.Illas verò Apollinis è sua natura egres-
siones,ac mutationes,quibus ignis fiat,rursúmq; se-
ipsum dissipet,& in maria, ventos,aut animalia,vel
stirpes transformetur,aliásq; id genus diras perpes-
siones,ne audire quidem pium est.nisi eum puero il-
lo à poëta descripto facimus deteriorem: & quod il
le ludicrum in fabulo, id componens ac diffingens
identidem, sibi animi causa fingit, hoc deum vti in
Vniuerso semper statuimus, dum aliàs mundum for
mat qui non erat,aliàs conditum perdit.Immò con-
trà quantũ eius mundo vtcunq; innatum est,id sub-
stantiam mundi constringit, corporeámq; imbecil-
litatem ad interitum propensam coërcet. Ac mihi
quidem maximè oppositũ isti opinioni videtur dei
nomen, vt Ei appellemus eum, testantes nunquam
illum suo de statu exire,nulla mutatione affici. Hoc
enim magis conveniebat tribuere alij cuidam deo,
aut potiùs genio præfecto naturæ quæ ortibus & in
teritibus variatur. quod statim ex nominib. liquet,
contrariis atq; significantibus rem adversam. Nam
Apollo noster, alter Pluto à multitudine : ille De-
lius,hic Aidoneus ab obscuritate & cæcitate nomi-
natur:ille Phœbus,hic Scotius, quod est tenebrico

sus.

fus. apud illum Musæ versantur, & quam Latini Memoriam dicunt Mnemosyne: apud hunc Lethe, seu obliuio, & Silentium. ille à cõtemplando Theorius & Phanæus vsurpatur: hic

Obscuræ noctis, segnis princepsq; soporis.

atq; hic quidem omnium est deorum inuisissimus. ** in illum non inelegãter Pindarus dixit, damnatum esse eo nomine, quòd maximè omnium deorum sterilis & infecundus sit. Rectè itaq; Euripides dixit:

Libationes, atq; cantus
Vita solutis: auricomus quas
Non admittit Apollo.

Priórq; eo Stesichorus:

Cantus atque iocos præ reliquis amat
Apollo rebus: sed gemitus graues
Luctusq; Diti sorte cedunt.

Sophocles sua etiam vtrique instrumenta perspicuè denotat his verbis:

Non nabla sunt amica, nec lyra luctibus.

Nam idem ille nuper admodum ausus est vocem * emittere: cùm priore tempore ad luctum vocaret homines, & non valdè honoratam aut splendidam obiret istarum rerum actionem. postea omnino sunt cõ mixta, magnæq; perturbationes hominib. inde ob- * ortæ, quòd res deorum cum rebus geniorum permiscuerunt. At enim notæ EI dictum Nosce teipsum videtur quodammodo repugnare, alio consonare. Hoc enim pronunciatum est vt nos percellat, & ad venerationem numinis, vtpote quod sit semper, excitet. illa nos mortales esse docet, naturæq; & imbecillitatis nostræ admonet.

TOMI I. FINIS.

IN PLVTARCHI MORALIA, ANNOTATIONES interpretis.

IN LIB. DE LIBERIS EDVCANDIS.



VNC libellum contuli cum Franciſci Fabricij uiri doctiſſimi atque diligentiſſimi optima editione, quanto cum fructu, uel annotationes oſtendent.

Obſeruet Lector, priore numero paginam, altero uerſum notari.

2. 19. Regunculos.) Pro βασιλίδας βασιλίδια legi, rationem Grammaticam Fabriciana editione comprobante. Et quidem apud Plutarchum initio Ageſilai, ubi eadem hiſtoria Doricè refertur, βασιλάδια legitur. Ego regunculos quàm regulos malui uertere, quia reguli uox aliud quàm regem pumilionem ſignificat.

3. 13. Sanè beatus.) σὺ δὲ μὴν οὖν ἡσὺ θεοφιλὴς legit Fabricius: ſed noſtra lectio nihilo uidetur deterior, quæ etiã eſt in ſcripto codice Epiſcopiano noſtro, & eodem recidit.

3. 27. Labore magno.) Fabricius legit τόνῳ, fidem codicis manu ſcripti ſecutus, quam & noſter codex ſcriptus comprobat lectionem, ad ſenſum nihil admodum intereſt: niſi quis mecum cogitet, τόνου ratione ſui etymi non admodũ facere ad curuandũ.

4. 15. Cùm mores ipſi.) Fabricianus codex habet, ut & alibi, caſtigatior. Ego tamen legi, legendumq; autumo: ἡσὺ γὰρ τὸ ἦθος, ἕλος ἐστὶ πολυχρόνιον. quòd monui propter eos, qui noſtra cum Græcis comparabunt.

5. 37. Inſtituenda bonis.) Sic ab initio uerti. Sed ſciolus pro puercia (quòd Horatius etiam uſurpauit,) puericia poſuerat, uerſu corrupto. Verſus hic in Phocylideis hodie non exſtat, ut & alius in libello de ratione audiendi adductus, aliiq; aliás. Eſt autem uitiatus, et fortaſſe ſic rectè legitur:

Παῖδ' ἔτ' ἐόντα χρὴ σωφρονεῖν καλὰ διδασκόμενον ὀρθῶς.

6. 26.

6. 26. Pedamenta.) Sic uerti τὰς χάραπας. non enim τὰς, sed τὰς legẽdum est. Quippe Eustathius in primum Vlissęæ librum docet feminino genere usurpandam uocem, cum pedamentum: id est palum significat, quo in solum defixo uitis nititur. & Iliad. Σ. citat prouerbialem uersum,

Ἐκπάτησιν ὁ χάραξ τὸν ἄμπελον.

Idemq; est apud Pollucem disertè præceptum. 1. 10. Fabricius quoq; τὰς legit in uetusto libro.

9. 20. Gorgiæ, nisi fallor.) Extat locus apud Platonem in Gorgia, sed quærit Polus. Stilponis dictum Simplicius, aut certè simile eius, refert in Categoriis, ad oppositа priuatiuè. ἐπὶ στάμνου ὀδὰς φέρει.

11. 30. Medium tenere.) Hæc olim sic annotaueram. Si à uoce μέσον incipias, omnino esse uidetur uersus senarius: et metrum habet fortè trochaici pars octonarij. Hoc, ut putarem, fecit uox ἐμμελίστατα, quæ uidebatur sita μέτρου χάριν, itaq; legit etiam Fabricius. Sed ubi scriptum codicem (fuit enim ad me aliquanto post quàm hæc scripsissem missus) eum ergo ubi consului, ἐμμελίστατ in eo exaratum uidi, ita quidem perspicuè, ut appareret correctoris manu librarij scripturam in extrema uoce correctam: planeq; eam lectionem amplector.

13. 24. Colligere secundum.) Locus uidetur Fabricio non iniuria mutilus. In scripto ultimæ litteræ correctoris sunt, ac lacunula trium uel quatuor uerborum capax. Ego relinquo suum cuiq; diuinandi acumen, quàm mea inculcare satius duxi. Locus Platonis qui mox citatur, est in fine septimi de republica.

14. 36. Vt & cùm exsultant.) καπροδαν ποτε σύμφανῶσι, τὰς ἐπιπλήξεσιν ἐν αἰσχύνῃ ποιεῖσθαι. Sic omnino uerba hæc sunt distinguenda. Vbi, inquit, lætitia sese efferent, increpationibus incutiendus ijs erit pudor. Fabricius aliam lectionem annotauit, quæ mihi tam benè atq; hæc uix uidetur cohæsura. καπροδαν σφοδρῶς ἐπιπλήξωσιν, ἐν αἰσχύνῃ ποιεῖσθαι. Est & hæc in nostro scripto. Et legitur ποικίλοις supernè annotato λως. Meam

sententiam docti, puto, probabunt.

15. 11. Animo elanguescente deficiunt.) οἷς ἀπωλλῶντες ἐκπίπτουσι. malè erat impressum ἐμπίπτουσιν, itaq; semper iudicaui legendum ut correxi, adstipulante Fabricio ex Codice uetere. ἐκπίπτειν uox est, quæ apud Platonem quoq; excidere instituto, deficere, & elanguescere significat. Et D. Paulus hoc sensu eam cap. 9. ad Rom. & 1. Cor. 13. usurpauit, aliiq; aliâs, noster frequenter.

16. 34. Euripidem.) Stobæus sermon. 19. citat ex Euripidis Protesilao.

18. 2. Imitari sectariq;.) μιμεῖσθαι καὶ πορεύεσθαι. Sanè quid πορεύειν sit, non ignoro: quid πορὶ faciat, sic satis uideo. quid autem hæc posßit significare πορεύεσθαι, dicat qui nouit. Suffridus uertit imitari atq; discerpere. Fabricius noster, circumrodere. ego quid horum sit πορεύεσθαι, aut qui huc quadret non uideo. suspicor legendum παρεχνίζειν, uestigia sectari. In narratione de Antigono et Theocrito, ineste mendum. uide β. συμποσιακῶν. cap. 1. & Macrobium 7. Saturnal. 3.

20. 17. Magistrorum aliquando institutioni.) Lego hæc παρ' ἀγωγὴν ἀνυπεύθυνα sicut emendat Fabricius. legebatur enim παραγωγὴς, quæ tamen ipsa quoq; utcunq; lectio uidetur stare posse, ut παραγωγὴ sit dehortatio à uitio siue deductio, quam tamen adolescentes auersentur. In scripto legitur παραγωγὼ, & super παρα est προς rubrica annotatum. Vnde Fabriciana lectio iuuari potest, quam secutus sum.

22. 9. Nuptas prostituant.) legebatur προσυγόρευσι quod retineri non incommodè poterat. quidam (inquit,) adulatorum, scortum pro sua ipsius uxore (scilicet qui huc usq; gratificatus uellet uideri, ut ei etiam suæ uxoris copiam faceret) deducit. Sed Fabricius & noster scriptus habent περὶ προυγόρευσι: quod amplexus sum. talis fuit abbas, qui suam uxorem Mœcenati prostituit, ut noster in Erotico ostendit. in fine libri Eurydices Epigrammate ὕβριστον legit Fabricius: Ego cum scripto Ὕβριστον, qui à

uoce

uoce μᾶσαι uersum inchoat, ut sententia sit, desiderium suum Musis fuisse bene cognitum.

IN LIBELLVM DE AVDIENDIS Poëtis.

QVia nuper hunc libellũ et conuertimus in sermonem Latinũ, & quæ uisum fuit, annotauimus: ad eam editionem in præsentia Lectorẽ remitto. inueniet & locorum quorundam explicationem, & citatorum è Poëta indicationem, & emendationis nostræ rationem redditam.

24. 29. M. Sedate.) Luscinius, qui olim hunc libellum in Latinam traduxit linguam, Sedape habet. ut uideatur Σύδαπι legisse. Verùm ego Aldino codice usum eum, neq; instructum magis quàm me puto fuisse manu exaratis codicibus. sed profectò in manuscripto nostro Σύδαπι luculenter legitur.

24. 37. Seriò dicta.) pro ἄτιοδαι quod in meis annotationibus ostenderam mihi displicere, λέγεσθαι scriptus liber perspicuè habet. idq; sequor.

25. 24. Subiit in præsentia.) Hunc locum pridem non iniuria mutilum esse suspicatus fueram. Sic autem legendum est πρώλω ἐπῆλθε νιῶ πρὸς σε γεγραμμένα πέμψαι διεγοήθλω. πρὶν λαβὼν ταῦτα ἀίνλθε, κᾆν, &c. integratio hæc codici scripto nostro debetur. idem πότοις rectè habet.

26. 35. Atq; admisceamus.) καλαμιγνύωμεν semper duxi legendum esse, non καταμιγνύωμεν, in quod hæc uox incuria librariorum erat deflexa. Codex scriptus ueram retinuit lectionẽ.

28. 19. Lynce uersipellior.) Ad marginẽ reperi notatũ pro λυγγὸς legi σφιγγὸς, quod sanè est planius.

32. 2. Et eã imitari pulcrè.) Legendũ est ex fide scripti et sententia dictante. ἐ γάρ ὅτι ταὐτὸ καλόν ἐστι, τὴν μιμεῖσθαι καλῶς.

42. 32. Succensebat enim.) Ζοὺς γὰρ ὁι νεμίσσα. ita uersus requirit ratio. Aristoteles etiam (quod in prioribus annotationibus memoria mihi nõ suggesserat) hunc uersum citat, lib. rhetor. ad Theod. secundo: ubi tamẽ νεμίσσησι legitur. Sed & infrà uer-

sus de Phœnice citantur, quorum etiam in libro de discrimine amici & adulatoris meminit, qui hodie desunt post Iliad. ι, 457.

50. 20. Quovis verbo percellitur.) In Græco φιλεῖ πεποιῆσθαι. Annotaui me legere πεῖσθαι. In libello (ut hoc addam) περὶ τοῦ ἀκούειν, dictum hoc ad Heraclitum autorem refertur, & pro πεποιῆσθαι legitur nō minus absurdè, παιδιᾶσθαι. Ego in mea sententia persisto, quod usu uocabuli eam uideo confirmari. Sic enim Plutarchus infra de uirtute muliebri, de Eryxone concubitum Laarcho, sed simulatè, offerēte. ἦν οὖν τοῦτα πρὸς ἡδονὴν τῷ Λαάρχῳ, καὶ παντάπασιν ἀναπεπεῖσθαι πρὸς τὸν φιλοφροσύνην. possem etiam afferre plura, nisi & rem satis manifestam cogitarem, & alibi etiam aliquid annotassem huc pertinens. Hæc allato codice manuscripto delere nolui: inueni tamen in eo super illam mendosam uocem à correctore adscriptum πεῖσθαι. & προσύνει mei scriptum, quod monueram mihi probari, non μή.

60. 15. Hac illac transfigi.) μεταπηδῶμενος in hac ego lectione desidero, nihil tamen cùm codicem scriptum conferrem, in eo ad marginem obseruaui appositam aliam scripturam μεταπλαζόμενος, quod annotatu dignum duxi.

65. 19. Qui nascitur.) Hos uersus aliter uertit Tullius sub finem primæ Tusculanæ, & ex Euripidea Cresphonte docet sumtos. Exstant & apud Stobæum sermone ριθ. Porrò annotationes in libellum de Homero exstant seorsim excusæ, ut nihil attineat eas huc interpolare Itaq; satis erit quædam delibasse: dum illas locupletiores & castigatiores damus.

68. 31. Non carens grauitate) ἀσαμένως legitur in omnibus impressis, quod nemo credet uerum esse. scriptus habet ἀσάμενος. lego itaq; ἀσαμένως.

72. 12. Quòd non semper.) Sic semper putaui legendum, ὃ γὰρ ἀεὶ, itaq; expressum est in scripto.

IN LIB. DE RATIONE AVDIENDI.

156. 8. Simul & optimam.) τὸ χρηστάτον, id quod infert Plutarchus, satis ostendit deesse aliquid: ut si scriptum fuisset

τὸ

τὸ χρηστάλλου τε καὶ βλαβερώτατον, aut aliquid tale. In conuiuio septem sapientum non longè ab initio hoc ipsum narratur, τὸ πονηρότατον ἐξελοντα καὶ χρηστότατον ἀποπέμψαι. Memoriæ proditum est Aesopum idem de lingua iudicium tulisse. nam & cum optimas & cum pessimas carnes iussus ab hero emeret, linguas emisse. Post scripta hæc inueni in scripto codice ὁμῶ καὶ φαυλότατον Et ἐπαπέμψαι, non ἀποπέμψαι.

156. 26. Naturam componat.) καλαῖς οἷν τῷ φύσιν. Verbum hoc quin sit mendosum, minimè dubito. Luscinius interpres: torum habitum immutet. nescio sanè quos codices, aut potiùs quas coniecturas secutus. Sed quàm tutum mihi fuerit eum sequi, iudicabunt Græcorum cum Latinis conferendorum periti. Credo καθαρθέν scriptum fuisse ab autore. nisi (inquit meo iudicio) purgetur anima ipsius. translatione minimè incommoda. pòst inueni scriptum habere καλαῖς ὄν. quod indico, quòd ex υ fieri potuit solertia librarij ot. uox quidem ea satis quadrat.

160. 31. Quavis oratione percelli.) Vox à sensu & instituto alienissima hîc erat παιδοῦσθαι. suprà ostendi, cur ita, uti ego uerti, sit legendum, ἐπαῖσθαι.

162. 15. Mel meditantes flauum.) ξανθὸν μέλι μηδόμενοι. Carmen est Simonidis. quod nescio an casu potiùs quàm industria etiam metricè extulit Luscinius. flauum mel conficientes. esse autem Simonidis carmen, didici ex Plutarchi libello de sentiendo profectu ad uirtutem. Cæterùm in scripto annotatum est pro ἐπινοῆσαι in hac ipsa periodo ἐπῦσαι. et paulo pòst pro ἀρχιτικὰ, ἀρχιμαῖνα legi. quæ profectò sunt meliora et magis huc quadrantia uocabula. ideo ea in uertendo sum amplexus. aliquanto pòst αὐτιδίδου ποιεῖν, malim legere πιεῖν.

164. 16. De infiniti sectione.) Περὶ τῆς τῶν ἀρίστων τομῆς. Iniiciunt (ait interpres) uel optimo cuiq; orationis membra quæstionem hanc, &c. Hoc an sit ἀρίστων τομὴ, aut cur ita uisum interpreti, non assequor. ipse non uerear legere, τῶν ἀορίστων τομῆς, ut ἀόριστον sit τὸ ἄπειρον, nã facultas cõtinui deinceps diuidun-

di nunquam re ipsa completur. quod ex Aristotele notum est γ. φυσικῶν. & θ. primæ Philosophiæ. Itaq; ἀορίστων τομὴ erit continui infinita sectio. Quid quòd scriptum deprehendi habere ἀορίστων? De Vlysse aiũt locus est Odyss. ρ. 222. Sed Melanthij sunt uerba, non procorum. ἄμανον autem non est proprium nomen, sed eũ qui purè in pectore nato periclitetur designat. & idem refertur proximè sequente libello, prope finem. Paulo post ἐπίλαφξιν pro ἔπιλάξιν sensus docuit legere. sed ita habet etiam scriptus.

164. 35. Nutus, & vultu.) νεὶ νᾶμα. hoc quid sit. lego νεῦμα. adstipulatur scriptus, in quo etiã γίθηται et διώκουσιν rectiùs legitur, quàm in impressis mutilo sensu participia. nescio an pro ἀποφίας non sit ponendum ἀπειρίας. sed tolerabilia mouere nolui.

167. 17. Inter echinopodas uelut.) ὡς αὖ ἐχινόποδας. Apud Athenæum extat lib. 3. δειπνοσοφιστῶν uersus integer.

Ὡς αὖ ἐχινόποδας, νεὶ ἀνὰ τρηχᾶαν ὄνωνιν

Φύσιλαι poëtæ, quicunq; is fuit, libuit prima producta ponere, qui patrocinio ipsius Aristotelis uti potest, ita scribentis libro sapientiæ quinto, capite quarto. φύσις δὲ λέγεται ἕνα μὲν τρόπον ἡ τῶν φυομένων γένεσις. οἷον ἔστις ἐπιλέναι λέγοι τὸν v longum. Habes ergo & pentametrum. Atq; ita hoc distichon etiam refertur in libello de fraterno amore, & in symposiacis. lib. 1. quæst. 4. bîc in scripto erat ὁδὸν absq; ἴνα, sed in margine ὄνωνιν illitum. Infrà in libello de fraterno amore in textu est ὄνωνιν, uitiosa lectio in margine. Sed & sequens periodus est manca, quanquam satis interim perspicua. fortassis apud παρασχεῖν deest διώκοιεν, aut aliquid tale scriptũ σχοι in margine ut fiat παράσχοι. Locus Platonis est quinto de rep. pagina penultim. ubi p μελιχλώρους malè legitur μελαγχλώρους. In libello de amici et adulatoris discrimine (41. b) μελίχρους legiũ. Mox pro αὐτὸς legi αὐτᾷ, scriptũ secutus, et rationẽ indidẽ ἀπαγγελίαν pro ἐπαγγελίαν amplexus sum, cũ pagi næ huius priore parte ἀπαγγελία p elocutione esset etiã posita.

Plato emendatur.

168. 16.

163. 16. Sessio autem non insolens.) Καθ' ἡρεμαίαν ἄδυρμος. Scriptus annotat in margine ἄθρυπτος, quod significat molliciei expertem sessionem, & magis uidetur concinnum.

171. 15. Initiatum.) Κατηργμένης legi, ex scripto. καθειργμένης enim non perinde quadrat. & πρὸς τὰς μαθήσεις mendosum est. πρῶται scriptus habet perspicuè. Legi etiam φοβηθεὶς τὰς ἀρχὰς articulo ex scripto reposito, & singulari ob πειρώμενον posito.

172. 4. Philosophia excidit.) Ἐμπεσόντα δὲ ἀνανδρίαν. Lego ἐκπεσόντα. qui deterritus laboribus prius philosophiæ excidit studio conatuq; eius assequendæ, quàm ullum dignum toleratarum ærumnarum tulerit fructum idem mendum notauimus in παίδων ἀγωγῆ. Sed hîc etiam scriptus nobis suffragatur.

174. 9. Rectè audire.) In Græco est, ἀρχὴν τοῦ καλῶς βιῶναι τὸ καλῶς ἀκοῦσαι νομίζοντες. & scio sensu non inepto ita legi posse. nempe initium rectè uiuendi esse, ut malè si audias, id est reprehendare merito tuo, id æquo animo feras. Sed ego id huc quadrare non puto. Et καλῶς ἀκοῦσαι scripsisse Plutarchum iudico, ut qui libelli summà usumq; in fine repeteret. Initium rectè uiuendi uult (opinor) esse, ut rectè ac nostra cum utilitate audiamus eos, qui ad uitam formandam nos doctrina instituunt. καλῶς ἀκούειν fol. 33. ult. hoc ipso libello ita dicitur, ut est apud Latinos malè audire sed aliud profectò est malè audire, quàm iustas reprehensiones æquo animo ferre. Quid multis? Hîc quoq; meam sententiam scriptus liber citra ullam obscuritatem confirmat: unde & ὢν inseri potest post ἀεὶ.

IN LIBELLVM DE DISCRIMINE adulatoris & amici.

Initio. Philopappus amantem aui significat. Sed esse cognomentum ex eo liquet, quod infrà seorsim repetitur. Itemq; in cap. ultimo libri primi Symposiacῶν. Platonis locus est quinto de Legi

bus, & quod de ueritate citatur paulò antecedit, in prima eius libri pagina.

176. 28. Vt Euenus.) Sic & pagina ultima Platonicarũ quæstionum. In salubribus præceptis Prodico adscribitur. sed talia occurrunt multa.

177. 20. Verba eorum referunt.) Sic interpretor uerba ἀνενεγκόντας ὡς τις ἔφη. Vt ille Terentianus, Quidquid dicunt, laudo, &c. notus est enim locus. Mox uersu 36. Vmbrã metiri ut cœnæ.) Sic & Erasmus. Locus est obscurus utcunq; sed probabile est parasitos ut in tempore ad prandia occurrerẽt, dimetiẽdis umbris eorum horas & articulos exquisiuisse: quomodo nunc horologia obseruantur.

178. 26. Difficulter depræhenditur.) Sanè impressi habent δυσχώρητός ἐστι. Sed neutiquam prætereunda est alia lectio, annotata in scripti libri margine, δυσφώρατος. quæ mihi concinnior etiam atq; recepta uidetur.

182. 25. Non impetus.) Impetum melius legeretur, & minus etiam ambiguè.

185. 30. Aut polium.) Versus est Nicandri Theriacis. 64.

186. 31. Cùm rex Charilaus.) Χαρίλλου. χαριλάου fortè, ut in Lycurgo. uide quæ ibi annotaui. Sic infrà etiam ἀποφθ. 139. In Laconicis 161. legitur χαρίλαε, quarto casu.

189. 1. Suilla cute crassa.) φορβιᾶ παχέαν. quid sit φορβιὰ, nolo hîc disputare: satis & hinc & ex libello de cohibenda ira liquet, capistrum esse quo uterentur qui fistula canerent. Marsyæ inuentum ibi ex poëta quodam dicitur. φορβειὰ Eustathius & alij ferè scribunt. Sed quadret sanè. Scriptus non hoc, sed φορίνῳ habet, quæ uox cutẽ suis significat, ein Seuhaut. Iudicẽt docti an nõ optimè in bebetem ac rudem competat: & utrà malint lectionem sequi. in margine habetur φορβέαν, quæ uox est etiam paulo antè. & profectò quiduis potius quàm insulam significat, quam huc interpres ingesserat. quid autem sit de Cyprio illo,

illo, & ἐνηδόμενος, mihi sanè non est euidens. Idem liber βούλῃ habet in margine quidem, in textu μιπόμενῳ. Amplius.

189. 34. Mediocrem in ciuitate.) τὰ μέσα φούγοσι τῶν πόλεων, hoc secutus sum, quanquam πολιτικῶν scriptus noster haberet. Notus est uersiculus & arrogantiam & ignauiam, ac tam summa cum odio, quàm infima cum abiectione coniuncta uituperans. πάντα μίσοισιν ἄρισται, μίσος δ' ἐν πόλει ἄναν.

190. Quòd si quis.) Αἴ κ' ἄνδρις lego, ex sententia.

191. 1. Propones.) ἐκτάξοντα legi, ac ita est in scriptò nostro, perspicuè uerum. nam ἐκτάξον τὰς uitiosum est, ipsiúsq; Erasmo imposuerat. Quod postea de Megabyzo refert, ut & in libello de Animi tranquillitate, Plinius 35. 10. ad ipsum Alexandrum Magnum refert.

194. 17. Atrociaq; supplicia exercentem.) τυμπανίζοντος καὶ τιλοιῶντος. De priore annotauimus ad Dionem Plutarchi aliquid. Posterius mihi suspectum est mendi. in scripto est τιλοῶντος. Erasmus uertit, Vectigalibus oneranti populum.

196. 27. Ne Biantis quidem.) Alijs alijs, noster sub initium conuiuij septem sapientum Thaleti tribuit.

197. 29. Tamen in minoribus.) Habent nostri λοιπὰ λαβὼ Scriptus μικρὰ, quod magis placuit.

199. 33. Non probos.) τῇ σῇ πονηρὸς. Sic legitur etiam apud Stobæum λόγῳ ιδ'. adducentem hæc ex Erechtheo Euripidea. pro τῇ σῇ legi σιγῇ, est in margine libri manuscripti annotatum, quod nescire harum rerum diligentes nolui. nam quod ibidem pro ἀφροσιοῦται monemur alibi legi ἐξηλαιώσει, non mouet me, & probabile est esse γλώσσημα.

201. 1. Publici contra ius non scriptum delicti.) ἀπαγγελίας. sic & scriptus cum apostropho ad præpositionem. Vox mihi est ignota, & pro simplici ἀπαγγελίᾳ accipio. de qua uide Harpocrationem, Suidam ac Pollucem cap 1. lib. 8.

202. 7. Aut si non persuadeat.) αὖ δὲ μὴ πάθῃ, lego. πάθῃ scribitur: sed mendosè. Erasmus uertit: Si non patietur ille.

Verùm Græci sic non loquu. ur. Sed meam correctionem à iudicio perfectam, scriptus liber inspectus certâ reddidit Idem (ut obiter studiosos iuuem.) senarium peruertit, cuius sententia est. Verum amicum socium se ſanis amici consilijs atq; institutis præbere, non uitiosis item.

13. Vt enim aliquando conſcij.) In Græco impressum est, ὅτε γὰρ τῷ συνειδέναι. Scriptus habet, ὅτε γὰρ τὸ. Ego sensum sectatus sum, & legi, ὅτε γὰρ πρὸς τῷ συν.

203. Excitante.) * κινοῦσι δὲ λόγοι. Locus mihi uidetur esse mutilatus.

205. 31. Parum ingenuum est.) ὥσπερ ἀπελεύθερον. hanc lectionem secutus Erasmus, nescio quem libertinum comicum excogitauit. in scripto est ὑπειλεύθερον, & supernè notatum ἀνειλεύθερον, quod in uertendo secutus sum. Notum est quomodo uetus comœdia libertatem dignos publicè notandi in licentiam maledicentiæ detorserit. de qua re hîc commentari non uacat. Vide Horatium in epistola ad Augustum, & de arte Poëtica ad Pisones, atq; alibi ne alios huc citem. Quid Erasmus secutus sit quod κῆρας incrustationem tectoriam uertit, aut quid legerit, non sum solicitus. Græca enim plana sunt.

208. 21. Malè etiam Antiphon.) Oratorem intellige Athenienſem, cuius uitam Plutarchus scribens, hanc historiam recitat.

209. 16. Funem molestarum soluit curarum.) λύσαντι τὸ τῶν δυσφόρων σχοινίων ἡδὺ μεριμνῶν. Dubium non erat mihi, quin legendum esset σχοινίων μεριμνῶν, & sic postea in scripto reperi. Est aũt unũ amara curarum eluere efficax, Flacco 4. Od. 12 Sed utrum Lydius Deus λύδιος, an potiùs λύσιος scribendum sit, ut est apud alios, & infrà in septem sapientum conuiuio, nescio certè etymo uerba uidentur quadrare, & codex adstipulatur. Pausanias in Bœoticis aliam adfert causam, cur Bacchus Lydius dicatur, quã omitto. Scriptus codex meæ lectioni cũ subscriberet, eã tenui, uitiosa omissa. Idẽ hîc quidẽ λυδίῳ habet.

211. 34.

211. 34. Platonis ad Dionem.) Exstat hoc in quarta Platonis epistola.

215. 9. Corrigere Speusippum.) τῷ βίῳ τὸν Σπεύσιππον. Sic emendandum erat è scripto. In Homerico ἀδ' ἑνὸς reposui ex ipso autore, multo quàm ἀλγὸς sit ἐμφατικώτερον. Ilia. θ'. 234. Scriptus quoq; rectè habet. Erasmus locũ peruertit. De Phœnicis consilio, uide quæ annotaui ad lib. de Audiendis poëtis.

216. 34. Vlysses in Scyriis.) Καὶ ὁ ἐν τοῖς Σκυρίοις Ὀδυσσεύς. Erasmus uix scio quid secutus, uertit. In tragœdia, cui titulus Domini. legit nimirum κυρίοις, littera Σ neglecta. Cæterùm ita notum est delituisse Scyri inter regias puellas Achillem detrectatione belli Iliaci, ut mirer id Erasmo in mentem uenire uel primo intuitu huius loci non potuisse, si quidem ipsius codex habuit κυρίοις, præsertim cum in libello de Audiendis poëtis etiam hi ipsi uersus ponantur, in Scyro desidentis Achillis nominatim facta mentione. Vbi tamen pro καταισχύνων legitur ἀποσβεννύς: Vt ex tempore citandis dictis fiducia memoriæ aliquando docti in syllabis errant. ἀποσβεννὺς quidem est ἐμφατικώτερον, & (ut puto) genuinum eius loci. Qui autem hîc Scyrij citantur à Plutarcho, tragœdia Euripidis, memini eam alicubi apud Stobæum citari Σκυρεύς. Idem Erasmus suprà Charijs nomen proprium fecerat, cùm sit χαρίεις uox adiectiua notissima. Sed & μνημονικὸν ἀμάρτημα hîc nota. Non enim Agamemno, sed Minerua Diomedi Tydeum patrem exprobrat uersu qui hîc citatur. Ex Ilia. ε. 800. Sed Agamemno in eandem eum sententiã increpat in ἐπιπωλήσει, Ilia. α. 372. 399. mox in sententia Thucydidis pro ὧδε μείζους legi ἐπὶ μείζοσι, ratione perspicua. Adstipulatur Scriptus.

219. 32. In puniendis autem delictis.) ἐν δὲ τοῖς κολάσεσι. Hoc uocabulum Græcum non est. κολάσεσι tamen legere malui, quàm κωλύσεσι, quod uidetur incidisse Erasmo, qui cohibendis peccatis uertit. certè prior pars, in qua τὸ διαλλάττεσθαι

est, κώλυσιν habet. hîc reprehensio requiritur, non tamen dissimulabo, κωλύσασαι me postmodò in scripto reperisse, sicut & id, quod coniectura ductus posueram sub libri finem κατηύνησαν ab uerbo αἰνῶ. nam κατωνύνησαν nihil credo significat, in hac quidem lingua

IN LIBELLVM, QVOMODO quis se ad virtutem proficere sentiat.

PRincipium uidebatur non integrum, & Luscinius pro ἐὰ μαθημάτων legisse ἢ μαθημάτων, alio etiam priore ἢ posito. Certè nominatiuus nullus, neq; nomen aderat, qui cum σώσει cohæreret: & interrogatiuè prima periodus legenda uidebatur, Quid itaq; quia nebulas nobis offuderat corrector, à particula οἷς libriũ auspicatus, cum & in Aldino, & in scripto (utrunq; autem eodem accepi tempore.) τίς rectè legatur. Obiter monendum duxi, προκοπὴν, de qua hæc agitur, à Tullio progressionem ad uirtutem appellari. Sic enim ad Varronem in Academicis scribit: In qua quod inchoatum est, neq; perfectum, progressio quædam ad uirtutem appellatur. Medio ergo loco inter bonitatem naturæ est & uirtutem, ut apud nostrum rectè dicitur 2. Sympos. 3. Ipsum uerbum προκόπτειν uerbo procedere exprimere uoluisse idem Cicero uidetur lib. 3. de Finibus: Qui processit aliquantulum ad uirtutis aditum, nihilominùs in miseria est, quàm ille qui nihil processit. è Stoicorum sententia.

221. 20. Non enim aliquis sapiens.) Menda huius loci sententiam obscurauerant. Legendum est, ὁ γὰρ ἐν ἀναρῇ, &c. μεταβάλοι αὖ. Quæ lectio scripti codicis præsidio munitur, & quam res ipsa confirmat. Nam disputatio est contra Stoicos, medium inter perfectam stulticiam & absolutam sapientiam nullum relinquentes, sic satis confusa.

222. 11. Applicandus.) πρὸς τάδμην Octonarius Trochaicus, nisi si πρὸς τάδμην senarij iàbici finis est, reliqua integer Senarius, quod non puto. Prouerbium est scitissimæ sententiæ.

222. 37.

222. 37. Qui è profundo attolluntur.) ὥσπερ ἐκ βυθοῦ. Lusc. Haud aliter atq; si liquoris aliquid decedat è dolio. Videtur legisse πίθου. nescio quos secutus codices, aut quas rationes (tametsi quàm miserè is hunc librum uerterit, non est cuiquam uolenti iudicare obscurum) certè nostrum malo, habetq; ita etiam scriptus. Qui subitò ex profundo attolluntur, ut fit in fluctib. maritimis, ij moram motus supputare non possunt, & quod ἀναφερομένοις pro ἀναφερομένων leginus, idem approbat. Idem ἐπισπωμένοις, nos optatiuum accepimus. & paulo antè ad ἐγγινόμενον annotat legi προσγινόμενον. Locus est ualdè concisus. In Oraculo Cirræorum πολεμεῖν pro πολεμῆς ex scripto. & in comparatione calami ἐκτάνυται ex eodem recepi quod deerat. & γίνεται pro γίνετο idem. Videtur autem alludere ad poëticum aliquod dictum.

228. 5. Sophocles aiebat.) Hunc locum facilè nunc emendo, cùm quidem uellem etiam in pluribus idem à me fieri uel per occupationes, uel tam iustis de causis posse. Sic ergo legi uolo: Sophocles aiebat, se primùm animi ludiq; gratia grandiloquentiam Aeschyli imitatum: deinde eius in apparatu condensationem atq; artificij industriam: tertio demum nunc loco ad id dictionis genus se transtulisse, quod ad formandos mores aptissimum, eaq; de causa esset optimum. pro πικρὸν autem legi πυκνὸν iampridem, itaq; etiam habet scriptus.

229. 6. Tacet ictus.) ὁ πεπληγὼς. suprà de aud. poët. ὁ πληγὰς, ictus. alibi aũt docui in Plutarchomericis esse media quæ passiuè, & contrà passiua quæ actiuè significent, διδομένως, σύστασις cum πεπληγὼς conueniunt, itaq; nihil muto, cum hic ipse locus eum canonem confirmet. & idem docent cũ alij Græci Grammatici, tum Eustathius, Iliad. χ. 497.

232. 12. Lingua iam torpet.) Sapphicum uersum emendaui ex Oda ipsa, ut extat apud Dionysium περὶ ὕψους.

235. 28. Aquarum prouentum.) Scripsi haud dubiè ἀπυάρων, ἐφυῶν. Sed fortasse librarius quid rei apua esse igno-

rans, q pro p mihi excidisse putauit. Hoc annoto, ut æquanimitatis & aduersum me, & erga librarios adhibendæ lectorem diligentem commonefaciam. in fine libelli Periodus erat manca, & legendum διόμεθα putabam, quod inde in scripti margine inuentum, secutus teneo. Polycleti dictum hoc etiam lib. 2. cap. 3. Symposiacon refertur.

IN LIB. DE CAPIENDA EX inimicis vtilitate.

INitio libri ἀτόφ mihi ualde suspectū est. Nam & uox est poëtica. Et si administranda rep. abstinuit Pulcer, cur dicit cum publicè prodesse in isto uitæ statu, cur uersanti in rep. aut de inimicis commentandum? Itaq; in uersione illud ἀτόφ secutus non: sum. πῆλαξ. Græco more scriptus habet.

243. 2. Vtilitatis.) σὺχρησίας. sic omnino scriptus. nam σὺχαειρία hoc quidem loco est canis in balneo.

245. 12. Proprium ei.) ἴδιον αὐτῷ cur non legas, id quod sententia loci dictat, potiùs quàm ἑαυτῷ? non enim profectò matricidium Adrasto, sed Alcmæoni imputatur Eriphyles cedes matris. res notissima legentibus poëtas & eorum interpretes, idemq; est in libro de Audiendis poëtis. πρόσσον porrò scribi debere pro Crasso, notissimum. utrobiq; adstipulatur scriptus liber: in quo etiam est ὃν ἐλάμυσας. cùm ὃν deesset, isq; defectus totum locum uitiaret nisi fortassis marito in uxoris funere flere uitio dari potuit. Tum προφέρων ibidem est, προσφέρων sermo Græcus respuit hoc loco. προφέρων contrà aptissimum est. utuntur & alij, & ipse Homerus Iliad. β. 251. νάι σφιν ὀνόσιμά τε προφέροις.

26. Sed non minus vtilitatis.) ὃν ἐλάττω δὲ ἐτέρου. legit ὃν ἐλαττον δ' ἐτέρου Erasmus, ut mihi quoq; non primo sic legendum uideatur, & sic est in scripto rubrica superne annotatum: ubi & πανῶν πάσχειν similiter super πανῶν ἀνόσιον allitum. Paulo post quod Antistheni dictum adscribitur. ad finem libelli de adulatore. & in libello περὶ πρόνοιας adscribitur Diogeni, Cynico & ipsi.

246. 4

246. 4. Iasonem Thessalum.) θεσσαλὸν. Προμηθέα Prometheum hunc à Plutarcho dici uix credo. cum & alij, & Cicero 3. de Natura deorum Iasonem uocent Pheræum.

247. 11. Erudiere.) lege, Ademtis erudiuerunt.

248. 27. Quam in amicicijs.) Μᾶλλον ἢ ἐν τοῖς. ἢ de meo inserui. Quis enim non uidet defuisse ? certè maioris est animi inimico, quàm amico benefacere.

IN LIB. DE MVLTITVDINE amicorum.

PRincipium libelli sumtum est è Platonis dialogo, qui nomẽ habet à Menone illo ipso. Quod de amici umbra sub initium è Menandro dicitur, plenius in libello de fratrum amore citatur. Empedoclea & quæ è poëta citantur de Ophelta, nõ eram nescius, metrica esse. Sed hæc prosa oratione malui uti.

253. 33. Pythiam.) φυτίας. Pythias hic uocatur à Cicerone (summo codicum consensu.) lib. de Officijs tertio, quo loco istorum amiciciæ usus exponitur. tamen in impressis, & in scripto etiam φυτίας est, quod nolui dissimulare. Cæterum Luscinius superiùs ὑψιπύλης πρόφιμον uerterat puellam, perinceptè ut plurima alia cum ex poëta aliquo hæc Plutarchus citet de Ophelta. cuius rei etiam infrà παραμυθητ. mentio fit. & capite primo quarti Symposiacôn, ijdem uersiculi citantur, etsi mutilati. quanquam ἄχρηστον ibi non est, sed ἄπλητον, quod (nisi fallor) melius multo quadrat. Fabula nota est ex Statij Thebaide, & Nemeorum Pindari argumentis, alijsq; scriptoribus. Iam ἀφ' ἑστίας ἀρχιδαι, non est à Vesta Deorum matre, ut reddidit Luscinius, incipere: sed rem iam inde à principio & initio repetere. Et Plutarchus passim sic utitur prouerbio, ut in libro de communibus noticijs aduersus Stoicos. οἱ δὲ ὥσπερ ἀφ' ἑστίας ἀρξάμενοι τὰ καθιστῶτα κινεῖν, &c. Et de malignitate Herodoti. ὥσπερ ἀφ' ἑστίας ἀρξάμενος ἵππος ἱππάχῃ θυγατρὸς. Sed hæc persequi non est huius operæ.

255. 3. Tuum nec.) Commodiùs sic uertissem:

Partem in tui ueniat'q; haud inuitus mali.

Prorsus enim mihi uidetur duo esse senarij ibici. αὐτόν τε si legas, prior etiam constabit. certè prosa oratio non sic patitur collocari uerba. Omnino autem quæ præcedunt, de prauata sunt, & pro hoc initio ποῖα δὲ πρῶτον ἐ λ. ι, ι, β. χ ρ. λ. annotata est alia apud manuscriptum codicem lectio omnibus modis concinnior, Σκιπίων δὲ πρῶτον ἀ, &c. Δουμάσαι ἐρίτας, &c. Sed pro ἐσάγων ἀπάσῃ τύχῃ (quod nullum efficit sensum.) ego cõiecturam secutus ἐς ἀγῶν ἀπάσης τύχης legi: idq; probatum iri doctis confido. ἐσάγων etiam in scripto reperi postea tẽporis. sed supra datiuos istos, genitiui erant annotati, ut lectio diuersa, eaq; haud obscurè planior. αὐτεξετάστως est in scripto, & mallem παρφορυντων. ἰρίνη quid sit nescio. fortè ἐρέικη, aut etiam ἀπαρίνη (klebkraut) ita enim nos eam herbam dicimus, quod adhærescere uestibus prætereuntium soleat: notam omnibus uulgo. Sed nihil possum pronunciare, libris destitutus. ex scripto etiam est πολιῶ & παραλαβόντας, deest autem λᾶ uel χρὺ. Hæc annotaui, ut eò expeditior esset nostra cum Græcis componendi ratio.

257. 26. Mortalium mediocres.) Versus sunt apud Euripidem in Hippolyto. quos alio genere carminis uerti, permissa omnibus interpretibus usus licentia.

258. 23. Plauti Nero.) Τοὺς Πλαύτου Νέρων. Occisum à Nerone Plutum quendam in Nerone Xiphilinus è Dione commemorat: ut fortassis etiam in eius necessarios sæuierit. sed arbitror uitiosè Plutum pro Plauto legi. de Plauti interitu per Neronis tyrannidem uide Tacitũ libro XIV ferè extremo. Hanc coniecturam scriptus liber corroborat: habet enim Πλαύτο perspicuè. quod duabus de causis ingenuè significo. cùm quod non piget me fateri unde adiutus sum, tum quod Xiphilino simul & Plutarcho, nobilíq; historiæ subuenitur. Vbi et in hoc libello & in alijs, & quo pacto descíuerim à recepta lectione? facilè eruditi, si Latina nostra cum Græcis conferre non grauabuntur, & agnoscent & iudicabunt.

IN

IN LIB. DE FORTVNA.

INitiò. Non sapientia.) Ε᾽υβουλία. Impressum erat σὺδαλία, mendo euidenti, quod uel paulo post σὺβουλία nominata arguat. Eoq; scriptus caret. Senarius est, ob cuius approbationem & usurpationem malè audiuit Theophrastus. Apud Ciceronem legitur Latino uersu redditus, quem nos posuimus.

260. 32. Iusticia præsentem.) Lego. Locus distinctione prauabat in Græco obscuratus, neq; uerear contendere sic legendum, ἀλλ᾽ αὐτὴ παρούσης. μᾶλλον δ᾽ ἢ τὸν σὺβουλίαν, &c. quam quam scriptus idem habet quod impressi.

262. 5. Munera rependens.) ἀντίδωρα. in comparatione animalium legitur ἀντίδολα, quod non itidem probo.

10. Dorsum horret.) ὀξυβελὴς. Versus uitiatus. In scripti margine alia lectio erat adscripta. Sed dum codex glutinaretur, præcisa fuit, ut legi tota non possit uerbum quidem ἀκανθῶν ante ἐπιτριφρίπασι exstat. fortè igitur legendum,

ὀξυβελὴς, νώτοισι δ᾽ ἀκανθῶ ἐπιτριφρίπασι.

Vt ὀξυβελὴς ad echinum referatur. aut ὀξυβελεῖς, ut ad ἀκανθῶν.

17. Vires exiguæ.) Vsus sum mea libertate. uitiosè ijdem uersus citantur in libro de terrestrium animalium cum aquatilibus comparatione, & uno loco ad alterum collato, uidentur quædam posse corrigi.

IN LIBELLVM DE VIRTVTE & vitio.

265. 25. Non foris est.) Ε᾽ξωθεν ἔνεστι. Lego ἐξωθεν ὄζειν. παλλιγραφίᾳ mendum adscribendum. Scriptus ὄζειν habet perspicuè. Aldinus notam, quæ idem significat. Idem de Anchisa supra ῥάπος annotatum, rubrica habet σῶμα, quod magis sanè quadrat. Reliqui senarij exstant integri περὶ σὺβουλίας, & uersus de igne, Homeri est apud Herodotum in eius uita.

266. 12. Absq; face exurit.) Ε᾽νει ἄτερ δαλοῦ. Hexameter est Hesiodeus. Lusciniusoccultis uiribus, ut uideatur δαλοῦ legisse. Aldus & noster habent δᾳλῦ. Sed in medio est Hesio-

deum poëma. ἔργων. 703. In libello περὶ φιλοπλουτίας legitur, καὶ ἐν ὠμῷ γήρᾳ δῆμος.

IN CONSOLATIONEM ad Apollonium.

268. 28. Oratio saucij.) Ψυχῆς νοσούσης apud Aeschylum legitur (sunt enim è Prometheo uincto qui exstat.) ἐργῆς. sed solent scriptores citare aliquando dicta aliorum leuiter ad propositum inflexa. In conuertendo meos posui, non Tullij uersus, qui reperiuntur in tertia Tusculana, unde nullo, si libet, negocio petes.

271. 2. Et improbè egisset.) ἄτοπόν τι πεποιήκῃ. lego uersus gratia πεποίκη. Sed & postremi duo non sunt prorsus integri, cùm quidem senarios esse liqueat. Lego autem priorem Ἀγαθὰ τὰ νῦν δὶ μέτρ' ὄβρι σοι λαικά. Posterior sic uidetur posse emendari:

ὡς ἀνὰ μέσον που, καὶ τὸ λοιπὸν δὴ φέρει.

Vt particula ἀνὰ significet subaudito uerbo substantiuo: Iam es in medio utriusq; fortunæ adhuc, neq; nimis secundis, neq; nimis aduersis uteris rebus. Sed si cui secus uidetur, non impedio quin sequatur quod uolet, aut quod meliores libri suppeditabunt. mox ἄφθονον pro ἀνάφλονον etiam scriptus habet. quorum hoc sententiæ aduersatur, illud rectè legitur.

272. 5. Vel minima nos.) Hic uersus facilè castigabitur ex Stobæo, apud quem exstat orationis CIII initio. qui mox sequuntur, ibidem adducuntur integri ex Oeneo Euripidis.

273. 35. Quod quadrigæ.) Τετράππων νενίκηκεν. Insolens, si non uitiosa, locutio, lego τεθρίππῳ νενίκηκεν, cuius lectionis testimonia sunt permultæ Pindari Odarum inscriptiones, & litterarum inculcatio inepta usitatior fuit, quàm expediat, librarijs. Fuerat etiam in scripto idem factum, quod litura testatur.

275 34. Qui censuit si in unum.) πλὴν διομόλω δεῖν, συμφοιτᾶν μὲν. Senarios de lacrymis paulò suprà Comici ita legi, ut ratio ipsa legendos facilè quemuis eruditum erat monitura.

ra. Hæc uerò si quis putat me delectari mutationibus receptæ lectionis, in q; ea re gloriolam aucupari, mihi ostendat uelim, quo modo hæc sententia cohæreat. Ausim affirmare Plutarchum (siquidem non prorsus ab hac qualicunque scriptura uelimus recedere: quod ego sanè faciendum minimè puto.) cum ergo ausim contendere hæc sic scripsisse, uti subijciam. πλὴν διομένλω, ἐὰ συμφοινίγκαμλν ἐὰς, &c. Hæc mihi emendatio uidetur se omnibus eruditis & probis (quid enim est, cur alios curem?) probatura: tamẽ etiã in scripto idẽ quod in impressis reperi, ubi pro ὅσσα περὶ μέσῳ δυσλυχούσλων, legitur ἴσα περὶ μέσῳ χρυσσάντων. et in margine est λυσλυχούντων. Porrò sentẽtia hæc Socratis multorum scriptis est nobilitata, et est ita scitè apud Herodotum in Polymnia expressa, ut non possim me cõtinere, quin ipsa etiam uerba huc ponam, cum nostri uerbis optimè conuenientia. Εἰ παύτις ἀὔθρωποι τὰ δικήια πανὰ ἐὰς μίσον συνξυέπαιξν, ἀλλάξαθαι βλόμλνοι τοῖσι πλησίοισιν· ἰσπύψαντις ἀὖ ἐς τὰ τῶν πίλας πανὰ, ἀσωσαίως ἕκασοι αὐτίων ἀωοφιρσίαντο ὀπίσω τὰ ἰσξυέπαντο. Versiculum aũt τίς δ' ἐσὶ λοῦλος τὸ θανεῖν ἀφροντὶς ὤν, qui ita nullo sensu legebatur, restituo post λοῦλος adiecta interrogatiõis nota, id quod ratio postulabat. Est enim subiectio seu διαλογισμὸς. atq; ita alibi me legere puto recordari.

277. 26. Versus Simonidis distinxi.) Non quòd ita scribendos omnino contenderem, sed ne ignoraretur esse uersus. idq; alibi etiam sæpe feci. Pindari locum ex ipso autore emendare licet. exstat enim Oda tertia Pythiorum Locus Euripidis est in Alcestide. νὺν ὄξιν αὐτῶν, hodie legimus νὺν ὄξι θνητῶν. & pro ὕσοι βήσιται, ἴσι προβήσιται. Apud Stobæum oratione CXVII legitur, ἐὰ βιώσιται.

278. 37. Nam parua mortis.) Τὸν ὕπνον. Memini me alicubi legere hoc dictum Menandro tribui, & senarium Iambicum integrum referri. ὑπνὸς τὰ μικρὰ, &c. Quod autem mox sequitur πρόμνησις, doctorum iudicium facio, an non certissima coniectura ductus, legerim προμήνοις. id enim uocabuli facilimè

in πρόμνοιν *ob literarum* υ *&* ν *similitudinem potuit deprauari à librario non satis attento. Nimirum autem id uoluit* Menander Plutarcho interprete, *quotidiano somno nos quasi initiari lethο, & ad eius uim cognoscendam imbui. hoc potest certè* προμύησις: προμύησις *uox est à sensu huius loci alieniſsima. Sed hæc uerba* τὸ γὰρ ἀιδοῖον ὦδαι, *&c. statim subiecta, mẽdosa haud dubiè sunt, cum repugnent loci huius sententiæ. nisi interrogatiuè legatur* πῶς οὐδαμοῦ, *&c. In scripto nihil auxilij. Et qui sæpe eum codicem correxit, ibi de suo (ut solent) senarium margini illeuit, quo testaretur locum esse mutilum.* τίς αὖ τὸ λέπτον οὐ καταφρύσει μοι. Platonis locus extat in Phædone, unde hæc est repetita tota disputatio. Pòst ἄλλο περιέχῃ τὸ σῶμα legebatur, pro quo legi ἄλλο παρίχῃ, ὃ τὸ σῶμα, sententia hanc exigente mutationem, quæ cum scripta lectione prorsus conuenit. Platonis ex apologia locũ ex autore emenda. In fabula Cleobis pro ὑμιόνων est ὀρίων, uox idem significans pœtis. Vide & Stobæum oratione CXIX. de his exemplis.

281. 16. Elysio patri.) Τοῦ τερινάου. τοῦ pro ηοῦ repone, secutus consuetudinem loquendi. patria enim Elysius iste fuit Terinæus, & ἠλύσιον constanter habet scriptus, per υ. Cic. 1. Tuscul. prope finem conuertit hos uersus, ostenditq; esse apud Crantorem, à quo Plutarchum in hoc libro mutuatum multa satis apparet. Erat autem uitiosum hoc loco, τὸν οὖν ἠλύσιον: legendumq; τῷ οὖν ἠλυσίῳ siquidem (de quo non dubito) genuinum est τὸ ἐσιλθεῖν, cuius constructio dandi casum postulat, uel his ipsis, quæ sequuntur uerbis testibus, scriptus supra ῑ annotatum habet εἰς. Τοῦτον γὰρ εἶναι, non τοῦτο. Scriptus rectè. πρὸς αὐτὸν περὶ τῆς ψύχης, omnino Plutarchus scripsit περὶ τῆς τύχης, de casu filij: non ψυχῆς. Scriptus etiam ψύχης habet. & φέρει pro φέρω, quod præfero, etsi ω supernè corrector adnotauit. Iam oraculi uersus primus ut restitui suæ possit integritati, non satis uideo: præsertim cùm Cicero in uertendis carminibus eam sibi libertatem indulserit, ut non trepidè à uerbis recederet, sensum utcunq; expressisse

fisse contentus. pro ἤρου sanè lege ἤρου. ab ἐρομαι idq; probat scriptus, sed uox quædam excidit. Cogitabam cum Tullij uersione comparans, scriptum fuisse:

ἢ πᾶσιν νήπιοι ἠλύσιοι φρένες κὰθῆρῶν.

Sed quid affirmem. tertio αὐτῷ adjicio Tullium secutus, qui uertit:

Sic fuit utilius finiri ipsiq; tibiq.

283. 14. His neq; defungi.) οἱ δ' ἔθανον. Iidem uersus exstant initio Pelopidæ. Legendum uidetur ὅτι θανεῖν, ἀ τὸ βιῶ, & in Comici uersibus de immatura morte pro ὅτι ὅτῳ scribo, & ad ὠὐγησεν adieci αὖ uersus causa.

286. 19. Philosophorum priscorum.) In consolatione ad uxorem tribuit hanc sententiam Æsopo, à quo autore profectam usurpare philosophus iste, ut alij multa, potuit.

287. 21. Nã qui hæc.) Hi quoq; uersus mĕdo nõ prorsus carent. Primus ταῦτα inserto inter δὲ & παρὰ, recte uidetur posse perfici. cùm Tullius habeat hæc. Secundũ, sententia, maximè Ciceroniana, docere legendum uidetur. ἀς φροντίδας τὰς συμφορὰς. aut certè τὰς φροντίδας ἀς συμφορὰς. νιαρὸν mediam habet breuem. ideò ultimum lego μὴ μοί τι νιαρὸν προσωτσὸν. nisi mauis μὴ μοί γε. Achæi poëtæ mentio est etiam apud Athenæum: & Cycnum eius citat Hephæstio.

288. 23. Nutrix ego uestra.) In Ionis uersibus, ἡμῶν κὴ τὰ ὑμῶν, est haud dubiè uitiosum. In scripto reperi ἐξῆλθεν ὑμωνῦ ται καὶ τὸς ὑμῶν τροφὸς, nostramq; in margine lectionem. Vnde uidetur fortasse legendum ἐξῆλθον, ὑμῶν δὲ τ' ὑμῶν τροφὸς: ut sint uerba uetulæ nutricis, quæ & matrem & eius prolem educârit. Posteriorem esse senarium iambicum liquet.

289. 21. Fortunas laudaremus.) Impressus habet ineptè, & nullo sensu ἐκμακαρίσομεν: cùm & alij adsint hic paratatici potentiales, ui particulæ αὖ ita significantes. Scriptus rectè.

293. 25. Res procuramus.) ἔτερ δὲ χρήζω ad metr

respiciens facilè uidebis uersus huius emendationem. Sed tamen cogitabam fortasse αὖ ταφαιρουῦται legendum. alioquin erit ἀὖ ἀφαιρουῦται.

297. 35. Dilatorem.) procrastinatorem, qui rei gerendæ diem subinde producit. Est autem prouerbium ex Hesiodeo uersu sumtũ. Operũ. 411. Αὐτὰρ ὁ μελλοδίκης αὖτε ἔτησι παλάσσει.

298. 19. Animi tranquillitate.) οὐδίης γὰρ ἐχάτο. ἕξης, &c. Lego. οὐδίης γὰρ ἔχ' ἕξης ὅς.

300. 26. Hæc uita.) ὁ βιὸς γὰρ. Euripidis uersus lacer. credo autem scribendum ὕνομ' ἔχει, πόνος πρὸ ὤν, aut aliquid tale. Videtur enim constare, id dici, uitam nomine quidem suaui affectam, sed re ipsa miseriam esse. Sed & φησὶν paulo antè alienum est, & superius ἐπιτεθυμμένος in margine, in textu ἐπιτεθαμμένος scriptus habet.

301. 14. Qui hic referuntur Pindari uersus, & confusi sunt & mendosi.) Distinxi pro libito. Leguntur & in fine libelli περὶ τοῦ κάλῶς βιῶσαι. pro σκιερὰν lego σκιρὸν. pro ἐν ποσὶν ἵπποις ἐν ἵπποις aut ἐν ἵπποις. pro τέρψονται, præsens τέρπονται. pro ἐρατῶν, ἐρατὸν. In posteriore lego, ὀλβία δ' ἀπαύστοισ' αἶσα, λυσίπονος τελουτὰ. Id est, felici fato omnibus obtingit uitæ finis laboribus soluens. Item βᾶν δὲ λέπεται αἰῶνος ἐδώλιον. τοῦ 70 (uel τὸ ut legitur apud nostrum in comparatione Thesei cum Romulo) γὰρ μένον. Ita mens uocabitur imago siue simulacrum æternitatis, immortalis quippe, & diuinitus accepta. lego etiam χαλιπῶντι. per insomnium homines monentur de iudicio, quod fiet de utriusq; generis rebus & actionibus.

302. 14. Socratis ad Calliclem.) Λειχθέντα, τὸν Ἀθηναῖον. legendum sic est, λειχθέντα πρὸς καλλικλέα τὸν Ἀβδηρίτην. Locus exstat in Platonis Gorgia extremo. inde facile quæ hæc aliter legantur, apparebit, utq; uitiosis sit medendum.

IN PRAECEPTA DE TVENDA ualetudine.

305. 27. Publicitus pecuniæ aliquid.) δημοσίᾳ τι γίνεται

ὑμῖται τοῖς σωφισταῖς. Sic est legendum. Cæterùm quid sint theorica, liquet ex Demosthene, & eius interprete alijsq; scriptoribus. Scriptus liber habet σωιτῶσιν. Mox pro αὐτιλόντες restitue αὐτιλόυσας. Sic enim usitatum est Græcos loqui. Sic Demosthenes: ὃ μὲν οἶμαι γε δεῖν τὴν ἰδιάν ἀσφάλειαν σποπουῦθ' ὑποτέλασθαι. Pindarus: χρὴ πάνθ' ἑρμοντ' ἀμιχεῦσαι τὸν ἐχθρόν. Tullius: Viuere sciẽtiam adhibẽtem earum rerum. &c. Et: Decet augentem linguam Latinam nominare (ſ. τὴν περὶ ἕξιν φιλοσοφίαν.) moralem. Sed satis exemplorum in re illustri. neq; uerò multis pòst uersibus ita ipse loquitur Plutarchus ἔξω δὲ γρίφοντα: & persæpe aliàs etiam in hoc ipso libello identidem. & infrà eadem est correctione utendum, ubi λέγοντος in λέγοντα mutari debet.

306. 30. Nullum culinæ nidorem.) Magni facio, ut debeo, aut potiùs plurimi, maximum illum Erasmum. ttaq; ueni in suspicionem, ne is aliud fortè è bono codice legisset, quàm: hìc extat ἄψοφον περὶ ἄκνισσον. Nam profectò ἄψοφον non est elixum, sed cui obsonium nullum addatur cibus. quales fuêre mensæ Diogenis, & aliorum, maximè Laconum. ἄκνισσον est insipidum, sed quod nidorem culinæ non refert: qualia sunt etiam pleraq; medicamenta. Certè cur nostram lectionem improbem, quæ sensum etiam Erasmiana uersione subtiliorem perhibet, causam nõ habeo, addoq; nunc, eam ad apices usq; in manuscripto esse.

307. 29. Mediocritatem.) αὐτὸν ὅτι τ μετρίων lego. αὐτῶν erat scriptum. emendatio liquidior, quàm quæ annotationem iudicari debeat meruisse, ut & illud παρασκευαστέον αὐτοὺς ὧδε. Vbi ὅτι uicino mendo ueritati erat scriptum. Scriptus hoc prorsus non habet, pro αὐτῶν αὐτὸν.

308. 17. Præstat inimicum.) πρὸς σ' ἀνεχθ scribendum. animaduerti potest Erasmum quoq; secutum idem quod nos, tametsi sensum posterioris senarij non satis quibusdam possit uideri expressisse Habentur reliqui scripti in libello περὶ ἀυσωτίας. Sunt autem ex Euripidis Medea.

310. 33. Cæterùm tantum abest.) Adde, post ὁ μόνον

particulam δὲ, qua omissa & disiunctione non obseruata, duæ in unam confundebantur periodi, & ex duabus fiebat uitiosè unica ratiocinatio, quatuor terminis constans. Cratetis dictum non est integrum Similis sententiæ uersus eius leguntur apud Laërtium, ne ij quidem non uitiati, hîc quidem uidentur esse, partes uersuum, μὴ πρὸ φαυῆς λοπάδ' αὐξων, Αἰεὶ ἐς γάσιν ἄμμι βάλης. fuit enim παιφαλίων studiosus, ut alibi notatur: & in libello de audiendis poëtis exempla adducuntur.

312. 21. Α' Prodico.) Dictum hoc Eueno tribuitur in libello de adulatoris & amici discrimine ὠφελίμως autẽ Homero lucri epithetõ est Odys. θ. 164. Sed hic respicitur ad Odys ξ'. 110. Quod autem est ἀποδημίας paulò post, ἐπιδημίας scripsisse puto Plutarchum. Notum est etiam in morbos grassantes uulgo incidere multos ob intẽperantiã, quos alij euitãt sobrietate.

313. 28. Cùm Adæ cocos.) Scribendum τῆς Ἄδας. Legebatur ἰθάδας, nimirum quia indoctus librarius ignorabat Adæ Cariæ reginæ historiam: quam uel ex apophthegmatis Plutarchi, & libro quòd suauiter uiui secundum Epicuri decreta non possit, notam esse oportebat. Sed & Erasmum hæc lectio decepit in scripto postmodò genuinam reperi lectionem: quo etiam refragante tamen tenuissem quod pridem obseruãram.

315. 14. Turpiter inopiam.) Α' ισχυόμενος. Senariũ suspicatus sum esse. itaq; ἴλιὼ explerem. Qui pauper sit, neq; fateri suam miseriam sustinet, eò pauperior est. paulo pòst lego ὀδὺ δὲ πίφυκεν. est ὄδυ, sed mendo aperto, quod Erasmus quoq; sensit. Paulo pòst τοῖς μὲν καθεστῶσι legendum omnino sic, non μὲν. Si sensum uelis eliccre.

317. 30. Magnopere.) Χρήσιμον δὲ παύν multo legetur melius, quàm πάλιν. & παύν est in scripto. Sed pro λέωσιν omnino mallem μέωσιν.

324. 20. De cornuta, quam.) τῆ κυρίτ]ονίτ]ος. legebatur & hîc, & in Sympositiacis 1 1. & contra Stoicos de communibus sententijs κυριεύονίτ]ος. Indus & cornutus sunt sophismatum nomina,

nomina, de quibus alibi. Cæterùm pro Phœnicis, scribe Palmæ-nam huius fructus partem etiam Plinius cerebrum uocat, ἐγκέφα-λον præter alios Strabo lib. XV.

325. 7. Confestim crudo.) μὴ σύβδυς ὠμῆ. μὴ hoc po-sterius abundat, & πρὶ ante πορφυράτοις, quorum hoc eti-am à scripto abest, & paucis interiectis uersibus μήτι σοφι-στικοῖς, ἀγῶσι legebatur σοφιστικὸν. Potius σοφιστικοῖς, ut po-stea in scripto reperi. & τῶν δὲ ἱστορικῶν. lego τὰς δὲ ἐν τῶν ἱστορ. Post pro ἀμφοτέρως ἀμφοτέρων, repono ἀμφοτέ-ρων, una littera antè deprauationem passa, & Homericum μι-νυνθὰς est Iliad. ι. 227. & alibi diuersitas lectionis erat in scri-pto annotata.

328. 7. Quæ duo maxima.) μέγιστα pro μάλιστα se-cutus sum, inuentum in scripti margine, γνώμῃ perperam fuit in-culcatum. & κακῶς in margine erat in textu γνώμῃ. μεμιλε-κότας scribo ex sensu, loco genitiui. Mox φωνίωνος.) Scriptus habet ἐν φωνίωνος. deest uerbum.

330. 12. Adipisci.) Legi ἅπαξ λαχεῖν. Scriptum fuerat λα-βεῖν. sed sententia mendum detexit. profectò post sic legerem, πρὸς τῷ χαίρειν, πρὸς σωτηρίαν τῆς ἄλλης τῆς ψυχῆς ἐξαμαρτοῦσιν ἐπιδυμίας.

INNVPTIALIA PRAECEPTA.

333. 16. Demulcens.) καταθέσα. Sic scriptus in margine quasi incitatione quadà demulcès. in textu καταλέσα, deuinciès.

335. 32. Et cum quæ ad amorem.) Lego πρὸς τὰς μὴν. πρὸς deest, & scriptus pro eo habet, δὲ, planè contrario sensu & falso. Non enim uult Plutarchus à marito uxorem de-bere palàm & coram testibus argui atque castigari: sed per-sistit in comparatione. Si amatoria debent esse occulta, certè quæ amorem lædunt, non debent in conspectu aliorum fieri. Ita-que interrogationis puncto id fuit post ἀναπεπταμένῃ indi-candum.

339. 16. Qui Iunoni.) Scriptum erat ὥρα & σχολὴν

Iniuria operarum typographicarum, pro Ἥρᾳ & χολῶ. quas hîc libuit sui officij admonere. nam tametsi non deessent mihi & coniectura & argumenta, quibus ueram lectionem explicarem: quia tamen Aldinum & scriptum codicem nondum inspexeram, trepidaui emendare. eorum uterq; ueram lectionem perspicuè habet. & liquet, leui momento admodum magnas sententiæ illustri offusas tenebras. Paulo pòst θρασεῖα ἡδὲ ἀπόλαστος: in scripto super ultimo uerbo annotatum est. legi etiam ὄντελμος, quod multo malim.

340. 13. Aequo animo id ferre.) Legi συγνωμονεῖν δεῖ erat ἀγνωμονεῖν. Imò autem decet nihil minus: sed æquo animo ferre, & ignoscere uitio naturæ. Itaq; aut ἂν ἀγνωμονεῖν scribendum, aut συγνωμονεῖν. hoc est in scripto.

346. 25. Theagenis.) Τῆς Θεαγένους, non Θεογένους. Infrà de mulierum uirtutibus. Sed & scriptus rectè. Porrò Sapphica corrige. Ex Sympos. 3. 1. quæ integra, sed non digesta in uersus inuenies apud Stobæum λόγῳ δ'. Mihi placuit, quia uerba erant Sapphus, eo interpretari carminis genere, quod ab ea nomen habet.

IN CONVIVIVM SEPTEM sapientum.

ἀλλ' ἀλλὰ φύγῃ.) Hæc uerba mutila sunt. legerim, ἀλλὰ ἡδὲ ὅτι ἀλλὰ φεύγει τὸ φίλος εἶναι βασιλεῖ παθάπερ ὑμᾶς. Sensus quidem liquet. de pyramidis ex umbra dimensione rem ad quartam propositionem sexti Euclidis illustrem reddidimus.

349. 8. Pro miraculo sim.) θαυμάσαιμ' ἂν, ἔφη. Ἔφη legendum est, non ἔφλω. sunt enim Thaletis hæc adhuc, non Nicoclis uerba. dictũ de tyranno & adulatore Bianti tribuitur, & reprehenditur quodammodo in lib. de Discrimine amici & adulatoris.

350. 3. Quia difficilius est.) παρασοφώτερον, ὃ καλεπώτ. ὃ illud nihil huc facit. quod si ᾧ aut ὅτι, aut ὅσῳ legas, cohærebit optimè. Cæterùm ἀπλοπραγία uerbum Græcum non est, itaq; repone

repone ἰωλοπρασίαν, quæ uox & à Suida explicatur, & ab Eustathio in Odyss. β. ad uersum 397. itaq; usurpatur etiam à Luciano λαπίθαις. καὶ ὅλως ὁ Δείνιππος ὀρθῶς ἐπέθηκε αὐτὰ ἐξαγορεύσας, καὶ πολλὴν τὴν ἰωλοπρασίαν καταπεδήσας ἀνδρῶν φιλοσόφων. Vide præterea quæ Varinus habet in suo Lexico. est & ἴωλος τρίφυος apud nostrum in Pyrrho, in Metonis chria. Hic liber in scripto nostro codice desiderabatur: quo factum est ut quædam etiam non tangeremus, quæ uitio carere non possumus tamen credere: & de quibus nostram sententiam uersio nostra prodit.

351. 12. Cleobulinam.) Lego Κλεοβουλίνην, non κλεοβολίνην. Sic & suprà legitur rectè in fine γαμικῶν: & apud Diogenem Laërtium in Cleobulo, & apud Suidam. & Εὐρυϊάνη dicitur apud Homerum Marpissa Eueni filia eadem patronymica forma ut & Ἀδρηστίνη Adrasti filia Aegialea. Ilia. ε. 412 & alia. Vide Eustath. Iliad. ι. 553. Sanè apud Plutarchum in Theseo diminutiuum ab Hecale ponitur ἑκαλίνη. Sed haud scio an η ibi pro ἰῶτα sit positum. non enim in diminuendo proprio nomine patronymica forma uidetur incommoda, & talis diminutionis, quæ in ιων fiat, exemplum aliud ego quidem nullum obseruaui. Mox ὥσπερ ἀστραγάλοις. scriptum fuerat perridiculè ἀστρολόγοις. & tamen multis mendarum millibus expurgasse se libros iactant, qui mendum tantum atq; tale prætercunt.

Mox uersu 20. Vt pater ciuib. humaniùs.) Scriptum erat παρέχῃ, καὶ δημοτικώτερον ἔχειν. distinctionem cur mutârim, satis liquet. sed ἔχειν cùm hoc loco stare non posit, cogitaui ἄειν fuisse à Plutarcho scriptum, in cuius locum, ἔχειν homo aliquis imperitus, & qui de astragalis astrologos haud trepidè formaret, supposuisset. Quod miror Turnebum non sensisse. sensit quidē Naogeorgus Hi enim duo, quod sciam, ante nos uerterunt hunc iucundissimæ & utilissimæ lectionis librum.

352. Contumeliam.) καὶ καταβαλὼν: omnino nihil uidebatur significare καὶ ἀναβαλὼν, quod huc quadraret. itaq; legi pro

ἐο καταβαλεῖν.

355. 2. Ne vites quidem.) Vide Aristotelem libro priore posteriorum analyticorum, cap. XIIX.

357. 1. Vniuersi viritim.) Σωσιοσγενῆν ἅπαντας αὐλοράνας. legebatur αὐλομὰς, quia puto Homeri locum, ad quē alluditur, librarius nunquā cognouerat. Est aūt Odyss v. initio: Ἀλλ' ἄγε οἱ δῶμεν τρίποδα μέγαν ἠδὲ λέβητα Ἀνδρακάς. Id est: Pro se quisq; uirūm tripode hunc donetq; lebete. Suprà in epistola Amasidis legi ἀπόπεμπε pro ἀποπέμπει, quod & Turnebus fecit. Septimo post uersu, ubi πλάττοντες scribendum censui, legebatur perspicuo mendo πλάττον τοῖς. cùm, si quis notas supra & cōtra quarū hæc es, illa οις designat, cognitas habeat, constet in Aldino libro mendum nullū esse.

358. 10. Felix vrbs.) ἀκόνειν dictum est constructionis causa, aliàs ἀκοῦον legitur. post ὅτι ὅμοιον ἀκίτας.) Illud ὅτι ὅμοιον est uitiosum: fortè νόμον scriptum fuit. Totus locus est obscurus. Quid enim est ἀχυμένη σκυτάλη; nihil enim puto ad Laconicam. fortè ἀγνυμένη, fracta.

360. 20. Cleodemus.) Suprà 358. 23. etiam hoc nomen posui, cùm esset in Græco Κλεόδωρος. itaq; ibi disertè quidam medicus nominatur, quem hic Cleodemum legi putat interpres: cui suffragor. certè proxima pagina apparet, Cleodemum fuisse medicum. neq; ulla præterea ullius Cleodori mentio. huius etiam infrà repetitur. 368. 28.

361. 4. Lesches.) Λέσχης Poëtæ hoc nomen est, qui parvam Iliadem scripsit cuius aliquot uersus citantur à Zeza in Lycophronem 161. itaq; miror quo pacto Misenius nescio quis in Turnebiana uersione locum eius occupârit. non puto autem cum fuisse æqualem Hesiodi & Homeri. itáq; pro πρεβάλομεν legi πρόβαλον. Et pro ἐταῖρε, ἑτέρα. Ad hunc locum porrò uide caput secundum quinti συμποσιακῶν. Iam Ἄνδρ' ἐδίδου πυρί χαλκὸν legendum est pro αὔδρα & πυρίχαλκον. Vidi, inquit, uirū, qui igni æs uiro agglutinaret, nimirum cucurbitulam medicam, qua san-

sanguis incisa tenuiter cute elicitur. Sic citat etiam Aristoteles 3. lib. Rhetoricorum, cap. 2. uersu proximo. aut ἔφησε est legendum ὑφ' ἓν aut ἔφη σοῦ. quod malim.

363. 21. Fouea formicaria.) ὅες ἡ ἓν μυρμ. hiulcus locus. Si πᾶν pro ἡ legatur, constabit. ἄμεινον αὐλῷ λοιπὸν lego pro λοιπᾶ, & malè interpunctũ locũ facilè uersio nostra corriget.

364. 23. Quis alius sit bib.) Legi, ὃ τὸ μεθυσθῶσι. scriptum erat τοῦ perperam, & superiore uersu προκειμένου, ac paulo pòst ὑπῆδη, pro προκειμένων & ἠπύθη.

365. 30. Eo excitant.) ἐγείρουσι τούτῳ. nimirum πρατῆρι. scriptum erat τοῦτο, quod quò referas, aut quo cum construas, nihil exstat. Hesiodi locus est in fine ἔργων. & uersus Homerici, Agamemnonis ad Idonieneum Iliad. Α. 261. Sed profectò quod sequitur περὶ τοῦ ἐνδεινὸν πίνειν, ego non assequor ubi extet apud Homerũ. Nã quod ad προπόσεις attinet, res est nota, neq; inter hoĕs tantũ Vlysses (ut unico utar exẽplo Ili. ι. 224.

Πλησάμενος εἶνοιο λίπας ἀλάδικτ' Ἀχιλῆα.)

Sed & inter Diuos Iuno. Iliad. ο. 88. Θέμιστι καλλιπαρήῳ Δίκετο λίπας. & Simonides etiam norat, quid esset

Ψυχρὰν βασάσειν αὐδρὶ φίλῳ πρόποσιν.

Vt est apud Athenæum libro tertio ἀμανοσοφιστῶν uidere. Qui de hoc more multa habet libro primo. Iam illud ὥσπερ ὁ Αἴας μερίδας μεταδιδύντας αὐτῷ non intelligo, & totus locus non cohæret. Vbi Aiax portiones dididerit nescio, nisi fortè oblati sibi tergi ἀλωπεκοῦς. Ilia. κ. 322 pro τὰς τε προπόσεις, fortè τὰς γε legendũ. & μεταδιδύντος αὖ τῷ Non multo pòst pro πλαγίας, repone πλαγκτὰς. alluditur ad Homeri uersus Odys. μ. 61. Notum est aũt uel ex hoc ipso loco, ambrosiã cibũ, nectar potũ esse Deorũ.

367. 13. Alimum Græci vocãt.) Lego ἀιλοῦς. τῶν δὲ ἀλίμου. scriptum exstat κιλοῦς. de alimo est etiam in libro de oraculis cessantibus, & apud Platonem γ. πολιτῶν. sed in Hesiodi Opera leges quæ annotauit Proclus ad uersum de asphodelo. Vbi eiusdem cum hoc libro argumenti scriptum

Hermippi citatur. & uersus Ζεχὰ de alimo ponuntur non indigni lectu: ex quibus in eam incidi suspicionem, Turcas aliquid tale hodieq; usurpare. Mox Ἀ"ρδαλον ἀ. scriptum fuit ὑ ἀ. nullo sensu. & ἰκᾶνες lego, pro ἰκᾶ. ante ἀπορίσω deesse ἀπ puto. ἀνακ᾽ ἐν τῷ ὑσ) malim ὁ σιὼ τῷ. & pro μιτάλλων lego μετ᾽ ἄλλων, ηχὶ omisso.

368. 26. Siquidem rectè creditum est.) Legi ἐὰ τὸ μίγιστον οὖ δοκᾶ. perturbata enim erat scriptura, ἤ ἐὰ τὸ μίγιστον σὐδοκᾶ. Sed illud ἀναιροῦσι ἀφομένυς integrum non est, quòd enim refert ὅσαν. ἔικου διάλυσις δ᾽ἐ. nimirum τροφῆς ἀεὶ ἄφεσις. ἔᾶτε διαγωγὴ) lego, ἔᾶγε. Τὸ γεωργίας αυτὴ.) Videtur deesse ad minimum ἔπεται, aut quippiam tale: & διαλυομένυς γὰρ αὐτῆς scriptum fuisse puto φιλάλμιον autem esse Neptunum, non φιλάλμιον, uel ex Suida liquet. Sed Pausanias κοεινθιακοῖς rem satis explicat.

368. 28. Rei uenereæ.) ἀφροδισίων ἀκτὰ. ἀκτὰ hoc est mendosum. Sensus erat, rem secus habere de re uenerea: eam enim non palàm usurpari, ut cibos, sed occultè, & noctu. ut fortasse legendum sit ἀὶ νύκτα. mox pro πρισβύτφον, legi πρισβύτατον. de re ipsa philosophari non est tempestiuum.

170. 11. Deinde intestini.) ἐπ᾽ αὐτὰ. nimirum τὰ σκολάγχνα. quæ uox excidit, aut alia non multum dissimilis sensus.

ibid. 30. Sensum appetitumue.) αἴδησιν ἀὶ ὄρεξιν. animaduertit uterq; interpres sensum non constare, si legatur, ut nos reperimus, ἃ καλοῦ μὲν ἀλγυὸς, αἴδησιν ἀὶ ὄρεξιν. Ego ἀὶ in ἀὶ mutato, locum integro. Hoc quoq; uitiosum, quod uersu tertio subsequitur, ἀᾶ περὶ τὶω τῆς ψυχᾶς, & non tamen perinde facile correctu pro ἀᾶ legerem ηχὶ, & adijcerem ἑαυτὶω, si de meo deberem expsarcire locum. ἀνεθεωρῆμεν cur legerim, satis liquet. De Hecatomphorijs præter Pausaniam unde Fulgentium de prisco sermone in uoce Nefrendes, & quæ Iunius ibi doctissimè annotauit, sed & alia sunt ἀυσίατα, quantumuis sensu non prorsus

sus subterfugiente, ut ἵνα μηδὲ ἀπολύτως. quid refertur ad ἵνα? nimirum excidit subiunctiuum uerbum.

375. 36. * Hæc enim oratio.) ἧττον δὲ τῷ λόγῳ. Cui nã? locus perspicuè mutilus. nã? quod ἐφὼ pro ἐφη recte? legerim, responsio satis docet. paulo infrà, ὅτι μουσικῆ.) abundat ὅτι, & cõturbat sententiam. & post μέμνηται lego μέμνηται. constructio ea est, quæ uidetur præferre aliquid deprauati. Certè Pittaci apparet esse narrationem, confirmantis quod Solon proposuerat. Quomodo autem mater Sminthei uirgo fuerit, alij expediant: aut quomodo σμινθεὺς femininum sit. ego pro matre sororem posui.

378. 1. Cùm enim fluctus ingẽs.) κύματος καὶ ἀλιβάτου καὶ uidetur abundare omnino, aut pro γὰρ esse obtrusum. Sed alioqui locus mutilus esse, & obscurum uideri potest qua de insula dicat: nisi quòd Enalumentio, ut apparet, Lesbum innui ostendit. quod autem legitur, καὶ τοῦτον ἐ καλοῦμεν, ego quidem non assequor. Naogeorgus putat ἐ nomen impositum saxo fuisse: annotauitq; librum de ἐ apud Delphos esse à Plutarcho scriptum. quod huc quomodo quadret, non uideo. Sed & mutila est proxima periodus quæ sequitur. Paulo post legi, ψυχῆς γὰρ ὄργανον. pro γὰρ est, ut solent notæ, quas abbreuiaturas uocant, subinde incurijs librarijs imponere.

379. 13. A' fide interponenda.) πολλοὺς δὲ πιστοὺς. omnino sensus requirit ἀπίστους, non πιστοὺς. nam qui abstinent sponsionib. & uadimonijs, increduli sunt, & diffidentes omnib.

IN LIBELLVM DE SVperstitione.

380. 16. Cùm verò animi perturbatio.) τῇ δὲ καὶ πάθος προσῇ, μοχθηρότερον. nimirũ hæc est sentẽtia. Falsum, de dijs præsertim, iudiciũ rẽ esse perniciosam: sin animi praua accedat affectio, etiam maiorem in modũ augeri malum Scio Ionesq; Poëtas præpositiuo articulo uti pro relatiuo: sed quia hoc genus dicendi autor secutus non est, lego ᾗ δὲ καὶ πάθος προσῇ, μοχθη-

φότατον. Hæc ego cum annotassem, librum scriptum non uideram. Is ἢ perspicuè habet (supernè τῇ annotato.) & μοχθηρόταθον. ἐδώλωταράτησσαν.) fortè σωαράτησσαν. ἔναι σῶμα.) credo περὶ excidisse. Supra ἀγνόημα annotatū ē in scripto ἐννόημα.

380. 33. O miserā virtus.) Senarij Herculis à Bruto moriente usurpati. Dio libro 47. Sic autem legendi sunt integrè: Ὦ τλῆμον ἀρετή. Λόγος ἆρ' ἦσθ', ἐγὼ δ' σὲ ἔργον ἤσκουν· σὺ δ' ἄρ' ἐδούλευες τύχῃ ὑποκείψεις pro ὑπολύψεις est euidens mendum. ἐιόμεθον μὲν.) Sic ratio & scriptus perspicuè.

382. 14. Visa monstrosa.) τεράστια φαρμακῶν quid sit? itaque legi iam olim φάσματα, quod postmodo etiam reperi in scripto. Paulo pòst ὑποξιξαωατῶσιν.) Hæc lectio in scripti margine est: & sanè tolerari utcunq; potest. Sed in contextu haud dubiè uera est ὕωαρ ἐξαωατῶσιν. nam ὕωαρ & ὄναρ, cui σκιὰ respondet, inter se opponuntur ὁμηρικῶς, non sine elegãtia, ut alibi monuimus. Odyss. τ. 546. Οὔτε γὰρ ὄναρ, ἀλλ' ὕπαρ ἐφάνθη.

384. 24. Id ipsum quod non patiendo.) ηκὲ βιῶ τὸ μὴ παθεῖν. Hæc uerba nullam (puto) gignunt sententiam. Suspicari possum, corrigere non possum. ac ne audeo quidem. quid tamen suspicer, exponam uel eò, ut acutorum iudicia excitem. ὑῦτως ἡ λακοδάμων ἀφοσιλαμενία ηκὲ ὁ τῷ μὴ παθεῖν ἐκπέφυγε, ἀφύλακτον τῷ προσλοκᾶν αὐτὴ πεποίηκε. In scripto autem longè diuersa est lectio, ὄυτως ἡ (o malè habet) λακοδάμων ἀφοσιλαμενία τῇ πρὸτῆ πρὸς ἅπαν τὸ δεινὸν δοκοῦν σύλαβέα λαμβάνει ἑαυτὴν ὑποβάλλουσα παντοίοις δεινοῖς. Annotata etiam in margine est nostra, & ad scriptum, τότων ἀδὲν, nihil horum. Ego arbitror non ineruditum aliquem, quod nostram corruptam sententiam uideret, loci sententiam ibi uoluisse suis uerbis exprimere. probè tamen monuisse, neque nostram integram esse lectionem, neq; sua uerba pro Plutarchianis se uenditare. Nostra correctio certè à mendosis uestigijs proximè abest. Et paulo pòst, ἀλλὰ τὸν ψυχῶς.) sic in margine scripti. Sed uerior est lectio in textura: ἀλλ' ὥστ' τὸν, &c.

384. 34.

384. 34. Vt rursus in ordinem.) περιάγσαν παρῆναι. pro παρῆναι in textu scripti est καθιστᾶν: illud in margine. Post μὴ τὸ ἀμίμητον.) Sic in ora scripti: in textu ἄμιλτον. Ex eodem μὴ συμμένας reponendum pro μετὰ βίας. Sunt & aliae in margine alieubi, sed palàm ineptae lectiones, quas omitto. Eas ferè annoto, quas interpretans secutus sum. infrà λαλιᾶνοι γὰρ ἄνδρες.) malim λᾶνοι, quod in scripto superpositum est. & περισιγόντας propter uocem θεὸς, quae in scripto omissa, & à correctore suprà notata est. Mox ἀληθῶς φέρεται καὶ παράγεται scriptus in margine σπαλᾶται significantius. Statim, ἀλλ' ἀεὶ μικρ. Ex scripto legi. Mox τὸν νοῦν à scripti textu abest. pro uaria lectione notatum in margine.

384. 37. Pindarus.) Ode prima Pythiorum.

386. 25. Insolitas.) καὶ ἀτόπους malo καὶ τόπων, quod est in scripti textu, hoc in margine ut in uersione ostendi. & πεπεραμένα, in textu πεπρωμένα, paulo pòst.

387. 32. Vlulassent, & circa.) ὠρυσαμένων & ἀγρώστεως legendũ pro ὠρυσομένων & ἀγρώστεως, quae sunt uitiosa. scriptus habet ὠρυομένων, ἀγρώστεως. est aũt Agrostis herbae species, quã plerique gramẽ, graß, accipiunt. pro Μεσσηνίοις repone Καλλιαμονίοις ex historia, quae à Pausania in Messeniacis copiosè describitur. Pòst lineis paucis ἐν λαμπρῷ ποδῶν. ego quid sibi uelit τὸ ποδῶν non intelligere me fateor. interpres, In belli opportunitate: nescio quid secutus. quid si pro ποδῶν, legas πόρπεδων. ego quidem non dubitaui hanc coniecturam in uertendo sequi. Qui sequuntur uersus, incertũ cuius sint, & quõ distinguẽdi pro γυρσῶν scriptus γύρων, & in margine πετρῶν et sanè Gyras petras Aiacis Oilei exitio nobilitatas nouimus uel ex Homero, Odyss. δ. 500. Sed haec disputare de ijs nihil attinet. In uertẽdo usus sum ea libertate, quà in simili re cõcedendà omnib. arbitror. Paulo infrà μνήσεις legi, cũ esset μνήσεις, aliena uox. Sed scriptus euidẽter nobis fauet, et suprà quodam loco πρόμνησιν uitiosè obrepsisse pro προμήνησιν monui.

390. 6. De Diana sentiunt.) ἆι τι λάμπ' ὑπ' ἀρχόνας.

Versus sunt de Diana, ex aliquo, ut uidetur (non enim succurrit memoria) tragœdiæ choro. Sed ita mutilati, ut nisi reperiantur alibi, emendari ullis possè coniecturis uix uideantur. itaq; omnino omittere malui. Scriptus ἄλλοτι μὲν ἀμαιχόνας, & πυρφαμένους. Paulo infra κάρτα βούονται uitiosum est. ἀποβαναῖν γὰρ.) Scriptus, quod malo, ἀπιέναι. ἐὰ δὲ ὥσπερ.) Scriptus, καὶ τοίνυν ὥσπερ ὅτ. ὑπ. Τ λιθ. ὑπαιρ. οὕτως καὶ ὄντος τοῦ φόβου ὡς ἐχθροῦ ὑπ' αὐτῶ πιεζόμενος ἀγαπήσειν ἂν καὶ ἀγαπήσει. pro quo impressus rectius μακαρίσει: in fine ex scripto pro περιφέροντες repono ἀποδιοικίσεως. Quomodo Carthaginenses Saturno infantibus litarint, meminerunt & alij, & Diodorus lib. XX. Bibliothecæ. Gelo uictis ijs pacem aliter dare noluit, nisi ritum istum abrogarent. noster in apophth. & sera numinis uindicta.

IN APOPHTHEGMATIS.

IN præfatione. Sanè aliud à nobis.) κάτοι καὶ βίος. hæc uerba sunt mutila. nã ut nihil de re ipsa dicam (cuius enim tãdem hoc libro uita describitur?) mox ἐκεῖ ponitur. ut intelligas autorem ad uitas seu παράλληλα sua respicere. fortassè legendum, κάτοι καὶ βίος ἔχει τι ἡμίτομον σύνταγμα, &c. Ego neq; præfationem hanc, neq; opus ipsum magni esse Plutarchi credere possum. ut tamen omnia quàm planissimè intelligerentur, ad id me in uertendo accommodaui.

395. 19. Tunicas gestare sinuosas.) κολπωτούς. nimirum quales ob laxitatem mollibus conueniunt. legebatur κόλπῳ τὸς ineptè, cùm quidem etiam Aldus rectè excuderit.

396. 23. Paryssatis.) Παρύσατις. Hoc nomen fuisse ei mulieri, de qua hîc uerba fiunt, notissimum est ex omnibus historicis. Itaq; illud παροῦσα τις expunge. hîc quoq; Aldinus rectè. τὸν βασιλεῖ autem omnino legendum est, non βασιλία. Regius qui hunc librum conuertit in sermonẽ Latinum, habet: qui regem allocuturus esset. atq; id omnino uoluit Plutarchus dicere. alioqui nullum sensum, nullum acumen habet, si præcepit regi liberè locuturo, ut mollibus uteretur uerbis. Sed nimirum cum rege locuturus

rus ista opus habet cautione. addidi ergo olim πρὸς ante βασιλέα, quod excidisse apparebat. Sed cùm manuscriptum codicem inspexissem, βασιλᾶ reperi, quod haud dubiè genuinum est. Paulo antè ἀποφηνάσθαι legi, cùm legeretur aoristo primo ineptè. Paulo pòst ὑπεινῦσι) non κρίνωσιν. ratio, quam scriptus confirmat. nisi κρίνωσιν malus.

296. 26. Gener.) γαμβρὸς. uox ambigua, ut alibi ostendimus. Historiam inuenies apud Diodorum Siculum, libro XV. fol. Græco 464.

397. 31. Maiore cum voluptate.) ἥδιον pro ἰδίου sensus requirebat, estq; in scripto. Cæterùm interpres non Ἀντίαν hunc Scytham, sed Ἀντέαν Anteam legit. & apud Suidam sanè est Ἀντίας ὄνομα ἰνύριον. Verba autem hæc eius. Illis uerò respondentibus minimè: Et quo, inquit, modo contra me bellum mouere potestis? in Græcis nostris quod ijs respondeat habent nihil. Enimuerò apud Plutarchum in libro, quo ostendit secundum Epicuri doctrinam ne suauiter quidem uiui posse, Scytha hic disertè Ἀντίας, ut & hoc loco dicitur: tibicen uerò non Ismenias, sed Amenias fol. 314. atq; hoc uidetur esse rectius. tamen Ismenias rursum legitur in oratione de Alexandri fortuna posteriore. Idathyrsus apud Strabonem initio XV Idanthyrsus scribitur. apud nostrum in repugnantijs Stoicis ἰδανθύρσου. neq; mirum si barbara uocabula hanc uarietati sunt obnoxia, cum in Ebraicis exprimendis tantam uideamus scriptorum & idiomatum ac librorum diuersitatem.

399. 30. Astum.) πλὼ μίθοδον. quid enim sit μίθος, quod inueneram scriptũ? μίθοδον pro calliditate usurpauit. quo modo μεθοδείαν diaboli in epistola Pauli ad Ephes. 4. & 6. tametsi in partem deteriorem. Scriptus quoq; μίθοδον habet.

401. 36. Athenienſium laudabat fortunas.) Μακαρίζων ἔλεγεν lege, non μακαρίζω: quod, tametsi est etiam in scripto, constare non potest. sed & μικρὸν τί μοι κακὸν legendum. Sed quid fuerit pro quo μεταξὺ irrepsit, non est in promtu.

μεταξὺ non quadrat. μεγαλειότητι, δόξῃ, δυνάμει, aut aliquid tale fuisse sententia ostendit. Paulo pòst alter duorum fratrum ἀμφοτέρους dicatur in scripto constanter. Ego longe præfero ἑκάτερον: & iocus aliàs fuerit ualdè insulsus. Ipse autem nomina Latina feci, ut ab omnibus argutia posset intelligi.

405. 4. Quod nunc dormit.) ἅπαξ ἐκαθεύδα. à fuerat omissum, quod in scripto reperi, cum antè ex coniecturâ suppleuissem. 408. 4. In Alexandri dictis ubi de Antigene & Telesippa, πρός τινα δεῖ scribendum, non δή. scriptus rectè. In Antigoni est πρὶν ἅψασθαι, in scripto malè πρὶ ἅψασθαι. 410. 28. Regius ius uertit quod non probo. Intelligo cinclum culinarium, eins kochs schurtztuoch Paulò post τὰ διλτοισιν.) 410. 37. Scriptus τὰν διλτοισι ut omnino senarius uideatur, quem & expressi. sic autem est legendus:

Inscripta sunt hæc codicillis, quos tenes?

411. 10. Antagoræ.) Ἀταγόρα. Sic scriptus, mox q; id uocabuli alio casu positum Aldus Ἀντιγόρα, noster Ἀντιγόρᾳ. ne quis hæsitet, scripto fidat. & est alibi etiam huius Antagoræ mentio: & planè hoc ipsum sic reponitur libro IV. capite IV. Symposiacorum.

412. 23. A' Dromicheta.) Δρομιχάτου. erat Δρομαχέτης, sicq; habet scriptus: quanquam diuersè barbara uocabula scribi paulo antè monui. Idem tamen autor, homo grauis, ne in his quidem à seipso discrepare solet. Δρομιχάτης autem bis est in Demetrio. Septem lineis interiectis inuenies Ἀντίοχος ὁ τρίτος, quod etiam scriptus habet, cum tamen persuasum habeam esse ineptum: neque (puto) ulla in historia Antiochi tertij mentio. & cogitabam pro τρίτος reponendum τρυτὸς. fortassis tamen ad Antiochorum successionem refertur, aut potiùs Antigonus pro Antiochus scribendum, facta paulo antè secundi mentione. id quod secutus sum in uertendo. 412. 37. 413. 32. Polysperchon.) Πολυπέρχης. lego Πολυπέρχων, ut alibi ostendi. Scriptus habet καφίστος. Paulo pòst πλέονα εἶναι

non

non οἷον. notus est iocus, & rectè habet scriptus.

417. 6. Sulcum profundum.) βαθεῖαν ἄλενα, non ἄλωνα. Sic & apud Aeschylum legitur ἐνῶλε καὶ βαθεῖς, & eius interpretem, & in Aristida nostri, & apud Platonem quodam de Rep. libro, & Eustath. in Iliad. v. ad uersum 707. uocē exponit, ab eâ; uocabulū ὤλανα deducit. Itaq; nō probo αὔλακα, quod alijs uidebatur reponēdū. 437. 36. In Alcibiadis deinde dictis ubi ἔ ἀποφυγὼν sensus cōcinnitatē secutus, legi ἀποφυτεῦν. scriptus pro nobis facit. 438. 14. Idē in Iphicrate θρωματίας habet pro τρωματίαν. & ipse notas harum syllabarum permutatas puto.

420. 12. Planè, inquit.) πρὸ ἔπος. pro νὴ inuenerām πρὸ, quod unius litterulæ corruptela locum turpārat. Scriptus & Aldus νὴ habent. Pòst de Leosthene 421. 1. ἀς τὸν πόλεμον. fortè scripserat ἀς τὸν Λαμιακὸν πόλεμον. Ex historia.

423. 19. Teleclus.) Τήλεκλος infrà apothh. Laconicis legitur Τήλεπος. Apud Pausaniam in Laconicis rex Agidarum familiæ τηλέκλους legitur, sicq; hîc est in scripto. Mox in dicto Theopompi legebatur etiam in Aldino, ὃ δὲ γυναικῶν. Si rectè legitur, Theopompus contemnebat eum, qui in muro præsidium & fiduciam locaret, & mulieres uocabat tales uiros. notum adeò est tur Sparta muris caruerit. Interpres itidem, ut nos, ὃ δ' ἐ γυναικῶν legisse uidetur: uertitq; minimè, si mulierum est. obscuro sensu. Si ita legas (et scriptus ita habet.) hoc uoluit Theopōpus, ne mulieres quidem certas de sua salute esse, muris tantùm, non armis, & fortitudine uirorum fretas. contrà uiris fortibus nihil opus esse muris. Infrà in Laconicis Agesilai simile dictum refertur. Quod autem in Brasidæ dicto legi προδούσης, id & sententia poposcit, & sic infrà in Laconicis habetur, atq; adeò Aldus etiam hîc rectè.

426. 8. Ne vllum sibi fictile.) πλαστὸν. erat πλάβον, quod nihil hîc quidem puto significare. Nostra uox est & in Laconicis, & alibi. Porrò paulo antè ἰδρείως legendum pro ἰλαρείως, ex Laconicis liquet, & uita Agesilai. quanquam

Ἀριώς ibi legitur. Cæterùm nisi legas, ὃδ' ὁι πάντες αὐδείαν-τες. ſ. ἀπὸ κοινοῦ ut repetatur, μνημεῖον ἔσονται, aliquid neceſſe eſt excidiſſe, quod ego non puto. at ſi, quomodo dixi, legas, Laconica erit & arguta breuitas: ſicq; eſt in Laconicis.

427. 3. Eudamidas.) Εὐδαμίδας. Neſcio quis παυδάμων huc εὐδαιμονίδαν poſuerat, qui tamen in ſcripto quoq; legitur. uel ex Laconicis apophthegmatis conſtare poteſt, quid ſit uerum. Antiochi autem nomen in Lacone mihi ſuſpectum eſt.

431. 30. Læuino.) Λαβίνῳ. Hîc Labienus aliquis fuerat ſuppoſitus, λαβιήνῳ ſcriptum, quo modo ne Labienus quidem niſi peruersè ſcribitur. quod miror non dediſſe anſam cogitandi de emendatione interpreti. In uita Pyrrhi, Ἀλβίνος perinde falsò, quanquam aliquoties legitur. nam de Valerio Læuino eſſe ſermonem, ex hiſtoria abundè conſtat. Cæterum infrà etiam in fine Catonis maioris dictorum λαβιήνῳ legitur uitiosè pro Ἀλβίνῳ. Albinus & Albus Poſtumiorum inueniuntur cognomina: & inuitis locus rectè habet, hîc etiam in ſcripto falſus. Suprà in ultimo dicto Epaminondæ ἰολλίδαν ſcriptus ὑολλίδαν: & in Curij primo, πόλιν ubi eſt, πολλὼ, quod magis quadrat omnino.

434. 1. Vrbem Batheian.) πόλιν Βαθέαν. munitam foſsis profundis urbem. interpres. perridiculè. Apud Valerium lib. 3. Cap. de fiducia ſui legitur oppidum Badiam Hiſpaniæ. Cæterùm monere lubet quæ Scipioni tribuuntur, promiſcuè de utroq; dicta eſſe hîc confuſa: quod non eſt magni Plutarchi. & tamẽ ſic rẽ habere ex hiſtorijs liquet. 435. 4. Ià quid eſt illud paulo poſt παιτιλίῳ περὶ Κόιντου? Duos fuiſſe Petillios liquet cùm ex alijs, tum abundiſsimè ex duodequadrageſimo Liuij libro. Quinti prænomen hîc exſtat, alterius nondum inueni, ſiue Ἀ ſiue M. ſiue quiduis fuerit ipſum nomen Petillij poteſt horrorem incutere bene de rep. merentibus, ubi malis hominibus, & factionibus uident tantum licere. mox pro Quintio eſt Κόιντος condonanda Græcis incuria, in tanta Latinorum librariorum ſocordia. In eodem ἴσῳ ἕκαστον ὁι ἄλλωες, hiſtoria habet Achæos. Cæterùm

quod

quod de C. Domitio ponitur, constat ex Appiani Syriaco, Γναίος esse legendum, & περὶ ante τῶν ὑγιεινικῶν deest, nisi fortè mendosus est locus.

437. 10. Eiusdem d.e. peritiæ.) ἐλλιπὲς τῆς αὐτοῦς ἐμπειρίας. deerat αὐτῆς, quod ex sensu & uita Aemilij restitui. mallemq; φοβερώτατον.

438. 6. Flagitijs adsentiri.) καταλεύειν. interpres uertit lapidibus esse obruendos. Sed mihi iampridem est hoc uocabuli suspectum, tametsi in scripto quoq; exstet, & nescio an καταναύειν potiùs sit legendum: ut intelligantur tacito consensu flagitia probare, & facinorosis quasi nutu subscribere, qui quæ possunt flagitia non coërcent. Sanè Romanum non fuit lapidibus obruere, multo minus Catonianum. Iam ubi est καταλαμβάνειν λόγῳ καλὸς, quanquam id sententiam uidetur hanc præbere, oratione & scriptis præstari ne pulcrorum facinorum excidat fama & memoria. in scripto tamen est pro λογ. καλ. scriptum πράξει καλαῖς, quod in uertendo sum secutus.

440. 20. Mare inter castra ipsius & arcem.) Μὴ οὐ τὸν διὰ μέσου. locus mutilus. refertur hoc apud Valerium loco iam citato, paulo quidem aliter In scripto libro μὴ οὐ inducta uisuntur. Mox de C. Lælio, πέμπτον: legendum πομπήϊον, & intelligendum de Q. Pompeio Nepote, qui consul fuit anno V. C. 613. cum Cn. Seruilio Cœpione, anno ante Lælij consulatum. Vide fastos Sigonij. reliqua emendabis facilè, si Grammatica calles.

441. 26. Vt multorum hominum.) ἀνθρώπων πόλεωνίτε. non caret menda hîc locus. allusum autem est haud dubiè ad Homericum uersum Vlyss. ρ. 488. Ἀνθρώπων ὕβριν τε καὶ εὐνομίαν ἐφορῶντες. Cæterùm τρίτον illud ambiguum est. Si tertium intelligas, sensus est, post duos triumphos & consulatus: & sic est apud Valerium. Si τρίτον intelligas cum duobus. (Sic enim loqui solent Græci) intellige Metellum & Mummium, quos ei adfuisse in obeunda ista legatione, historia loquitur.

444. 29. Popedio Siloni.) lege Ποπιδίῳ Σίλωνος. Ineptissimè erat scriptũ Πομπίῳ. res nota Eiusmodi erãt λαταύος et νιβειῶ, p Lutatius & Cimbrico, & Α'τίγωνα pro Α'τίσωνα: pòst in Lucullo reposui Καιωίωνος, pro Σλιπίωνος, notissima historia fretus. Et in Põpeio Γίλλιον pro Στίλλιον reddidi, ex alijs historicis & Plutarcho. Scriptus habet τίλλιον Sthenis aũt hęc Sthennius, Stheno in ciuilib. præceptis dicitur. Ego uitã secutus sum. Dictum, quo respondit Catoni, etiam in scripto erat mutilum.

449. 8. Audito vatinium.) ἀάριον δὲ. legendum ἀατίνιον δὲ. ex uita Ciceronis ab autore nostro scripta, unde & ἀπόλοιπο inseri, & alia plerag; corrigi à diligente lectore possunt.

449. Popillium Cottam.) Κάτον Ποπίλλιον. in Cicerone est Πόπλιον Κόντταν. interpres habet Cottã. De Voconij filiab dubiũ nõ est quin ἀμορφοτάτων sit legendũ. Pòst pro δυσνοεῖν uide ne sit legẽdũ σύνοιν: ut pro bencuolẽtia in cũ soliciti ac cogitabũdi fuisse intelligantur. nam Δυσνοεῖν nescio an sit argutũ sensum daturũ. Sed tamen cogitaui, Δυσνοεῖν fortasse hęc esse dissentire. ut sensus sit, Cæsare læto & hilari ob successus & spem, diuersum sensisse eius amicos, qui tristiores essent.

453. 25. De Euryclis.) Legi τῶν δὲ Εὐρυκλίδου. ita interpres legit Euryclis. Sicq; habet scriptus, non σὺν κλίνης.

IN LACONICIS.

455. 20. Oraculum Dodonæum.) Κατὰ Δωδώνην. Suprà in apophthegmatis principum est ἐν Ὀλυμπίᾳ. Sed sanè ἅπαξ ὄφιν nescio quid sibi uelit. Paulo post ὥρμησε μὲν ὡς. pro καὶ legi ὡς. notæ compendiorum affines ſ & S mendo ansam præbuerunt. Porrò autem, pro ἀποστασάμενον, ἀποστάσασθαι, aut potius παρασταίσασθαι. & pro ἀπολυόμενον (nisi καὶ omitti malis) ἀπολύεσθαι legendum iudico. In scripto hîc nihil præsidij.

457. 14. Vteretur.) Asteriſco annatato significaui locum esse mutilum. Interpres. ut solus eadem ueste quatuor anni temporibus semper uteretur. quid legerit nescio. in scripto est μόνος,

non

non μόνοις. Sed & illud ἅπαξ λέγω est περισσὸν, non Plutarchi opinor, sed librarij culpa.

459. 16. Totenim.) Ἰσοστῶν γὰρ ἐς. Ita omnino legendum esse ratio dictat, & sic habet scriptus, non Ἰσοστόν. pro τραπεζίτας omnino legendum duco Στρατιώτας. Populi) δῆμοι. si quis de populo Atheniense simpliciter accipiat, cuius partes erant δῆμοι, non improbauero. Ego ad superiora respexi, ἀλλώνων & ἀλλωνικῶν. In tropæo de Pharsalijs τότῳ μόνον scriptus rectius τούτῳ μόνῳ & τῷ Ναρθακίῳ. Sed & infrà ubi de Epistola regis pace facta ad Agesilaum mentio, τολὺς pro ἐπιστολῆς initio, postea ut impressus habet. Ego nihil muto.

464. 5. Molestum esse socijs.) δυσχεραίνειν. redundat. uel τι est legendum & legendum πολλὲς ἀκολεθοῦντας. In facto post pugnam Leuctricam pro αἰτίας lego ἀτιμίας, pro Νικλαβίς lego ex historia Νικλαναβίς.

467. 4. Abderitarum.) Ἐκ τῶν Ἀβδήρων. legebatur αὐλήρων. ut contrà alibi λαλαβρίαν, pro Calauria est reperire, ac similia. Mox idem Perinthijs tribuitur. Hunc autem ego librum magni illius Plutarchi non puto esse, ac fortassis ne minoris quidem est, sed ab aliquo erudito litterarum ordine collectus ex Plutarchi & aliorum scriptis. Vide exempli gratia Scipiones & Archidamos. Alibi docui τὰ Ἄβδηρα Græcè dici. Latinè Abderam Paulo post συχιρῷ mutandum est in δυσχιρῷ, quod non sententia modò monstrat, sed et Scriptus perspicuè habet. 468. 26. In Alcamene πηλίκλς lego, ex Pausania. In Alexandrida δεῦτα μὴ lego μὲν ex scripto, & particula δὲ opposita. Mox pro Ἀλεξανδρίδας legendum est Ἀναξανδρίδας. liquet ex Laconicis Pausaniæ. In Archidamo δὲγε ἀγαθὸς: Scriptus ὄυτος ante ἀγαθὸς habet, quod probo, ut coqui sit cum musico comparatio. & mox post ἄνευρ ὑδῶ, adde ex scripto ποιήσω. 472. 8. An hostē prælio.) συμαχόμενοι nihil ualet. ἐμαχόμενοι lego. ἰτάq; etiam habet scriptus. In Astycratida Antipatro nihil est loci, sed Antigono.

473. 5. Omnia pro virib. rectè.) ἅσσα δηλῶμαι. Quæ

cunq; belli nocumenta aut repellam aut moriar. sic interpres. nescio quid secutus. ego quid sit ἀπλῶμαι, ignoro. fortaßis ἀιώσομαι legendum, ut sit sententia: Pro uiribus omnia quæ ad bellum gerendum pertinent, faciam. pro ἀρχιπατόνιδι, repone nomen matris Braſidæ Ἀργιλωνίδι. quod & infrà extat & alibi.

474. 22. Ecprepes.) Ἐκπωριτὼς. legebatur Ἐμπιριτὼς etiam in scripto. Sed ego locum ex Agide Plutarchi correxi.

481. 6. Labotas.) Λάβωτος. lego λαβώτας, ut est apud Pausaniam. μιλεῶν restitue pro μιλεσῶν. sic & scriptus. antè in Cleomene priore pro πρὸς πόλιν ἀναβὰς, lege διὰ πόρ ἰναναβὰς. scriptus, ratio. Mox cùm propioris portæ.) Quid sit ὁ ἐγγυτέρω πύλη, non facilè dixerim. Simile est apud Tullium de Diuinat.

482. 17. Iam enim aut moriendum.) ἤδη γὰρ ἤλαμες. locus mutilus. Sententia uidetur: Nunc ita prope ad barbaros acceßimus, ut eo simus loco, quo moriendum est. fortè ἤλομες ὡς τὸς, &c. In scripto postmodò ἤλαμες reperi: & cogitaui probabile esse, ita fuisse scriptum. ἤδη γὰρ ἢ λιλαυνέμεν (aut λιλαύσεν interficere) τὸς βαρβάρος. Sed pleraque in hoc libro satis sunt prauа.

483. 25. Gulæ iritamentis.) ἀλαύδας πρὸς λιχνείας τινὰς. Spinas etiam interpres habet, & scriptus itidem ἀλαύβας. Verùm ego nondum didici, quibus carduis libenter ueſcerentur, quibus 'ue spinis canes. χρέα etiam ex libello de liberorum educatione est nota. Infrà de Alcandro Lycurgum feriente pro ἐπίδειξον lego ἀπόδειξον. Scriptus, ratio. Post de Leotychida ἐρώτησι. Constructio requirit ἐρωτῆσαι. Sed permulta sunt talia, quæ consulto omisi. hoc ipsum supra quoque relatum est dictum, utcunque aliter ob appendicem. Sicut & alia identidem inculcantur, ut Antalcidæ de Agesilao & statuto Lycurgi. id docti facere non solent.

486. 32. Cœlibes honore.) ἐφίησι. deest τὸς ἀγάμες, aut aliquid tale. Sententia est nota. & extat Lycurgi uita.

Similis

Similis defectus est post paucis lineis. πρὸς τὸν ἡτοιῶτα. ſ. πλὴν αἰτίαν. hæc indicasse de plurimis pauca satis est. Geradatæ de adulteris. dictum hîc est mutilatum: integrum refert ipse in Lycurgo Plutarchus. & credibile est pro ταυτὸν hîc legendum esse, ταὔρου ἴφι, &c. sicut ibi.

488. 18. Altero amplius quærat.) ἄτορος δατέρα ἐρεάνα. legitur in uita Lycurgi ἐρατήμων. Interpres hoc, quem tractamus in libro, uertit quærat: ingeniosè. nã & ἐρεάναν interrogare siue quærere significat: & si ἐρατῶμεν legas ex coniectura, quod posſidere significat: certè quærere ad posſidendum est uia.

488. 29. Vtilis hæc ratio.) ἀλλὰ καὶ χρήσιμον. scilicet τὸ φείδεσθαι. & ἡγήσεσθαι repono pro aoristo ἡγήσασθαι. etiam contra scripti lectionem.

489. 22. Cùm defeciſſent Corinthij.) ἀφεστώτων. legebatur ἑστώτων, perineptè. res ex alijs etiam locis nota est, neque fefellit interpretem, si tamen ita uitioſo usum libro credendum est. à scripto abest tota hæc periodus.

490. 8. Euritionidarum & Agidarum.) restitui uera pro falsis uocabula, ex ipso Plutarcho & alijs. Vt & in Lacratida feci.

492. 25. Quia, inquit, illis.) ἄγαν ἤ βασιλεύειν. Interpres: Quia illi magis duces esse, quàm regnare volebant. Vt aut aliud legisse eum, aut unà mecum hunc locum suspectum habuisse uideatur. Hoc credo eum uoluisse dicere, primos reges coactos necessitate regnum tenuisse, se & reliquos ob uirtutem ei præesse. ἀδελφοῖς in scripto deest. malè, ut arbitror. Cur autem Messenij Spartanorum habeãtur fratres, ex historicis & Pausania cognosci potest ut cur pro ἀδελφοῖς Delphos retulerit interpres in Polydori dictis, non uideam. Scriptus quoq; ἀδελφοῖς habet.

493. 26. Sous fertur.) δᾶξαι. Σῶον λέγεται. De hoc loco annotaui quondam ad Lycurgum Plutarchi, quæ cum sint uitiata

nonnihil, hîc emendata referam. Σεβιδίδας sustuli, & Φοιβίδας restitui. neq; me fallebat, ordinem litterarum fuisse ab huius libri scriptore obseruatum: sed fieri potuit ut homo (sicut non me temerè iudicare arbitror) non accuratissimus, litteram φ litteræ συστοίχῳ (τῷ τ. nimirum) subiungeret. alioquin historiam illorum locorũ et temporũ qui apud Plutarchũ, Xenophontẽ alios ue legit, Sœbidã nullũ, Phœbidam etiã nobilẽ agnoscet. Porrò Σῶον Regius nõ (ut ibi scriptum est) omisit, sed ad Λάξαι adiun it, sumptum pro appellatiuo uertitq;: qui virum fortem saluum monstrare possit. cùm post λάξαι incipere noua debeat periodus, & Σῶον ex loco isto Plutarchi, ne longiùs abeam, sit proprium uiri nomen. Vitia hæc omnia scripto cum impressis sunt communia.

497. 3. Pacis componendæ gratia.) διαλύεσθαι ἐμιλλεν. quod si legeres, διαλύεσθαι mori significaret: alieno, ni fallor, usu. scriptus rectius habet ἐμιλλον: qui pacificare uolebant.

498. 6. Pro eo atq; descenderis.) ἀντὶ τοῦ καθίσεις. legendum καθάσεις descendes. quod futurum in communi lingua negant tamen usurpari Grammatici. lego autem non ἀντικαθίεντι, sed ἀντικαθίεντι. & est sententia (κατάγε πλὴν ἐμοῦ) hæc: Leones eunt uenatum contra leones, adeò sunt magnanimi: leporcs si Spartam ueniant, capiũtur. in scripto est λέγοντες, nõ λέοντες. Pòst de mordente quod dicitur, ipsum quoq; satis perplexum alibi Alcibiadi adscribitur. τυρὸν ἥκει καὶ ἔλαιον) interpres addidit, & acetum, καὶ ἔξον. & Λάμπλω per n legit.

500. 19. Blandè mulcendos.) λακανᾶν. Id uocabuli quid sit, nescio. Regius uertit excitare. alius: Contumelia imbuere & stulticia. quid secuti, ipsi uiderint. Certè posterior & in Tyrtæum & in Spartanos, adeoq; Pausaniam Cleombroti F. cuius iudicium hoc ipso libro expressum debuit recordari, sua fuit contumeliosus uersione. In Cleomene Plutarchi legitur κἀκκάλλειν. ibi quæ annotaui pridem, legere potes, sed hoc addo nunc

nunc, Plutarchum initio libelli πότερα ζῴων φρονιμώτερα, uerbo διαλλάττειν usum fuisse, quod est ornare, elegantes reddere, & à διακαίειν propius quidem abest. uide ibi.

502. 10. Fertur Dionysius.) τοῖς νεανίσκοις. ex Lycurgo Plutarchi & sententia reposui pro τὸν νεανίσκον. Quod de iure atro & Dionysio hic traditur, aliter narrat Tullius quinta Tusculana.

503. 28. Temperantiores.) καὶ ἐγκρατεστέρους. legebatur ἀκρατεστέρους, contrarium huius loci sententiæ. scriptus rectè. Sed & sequentia uidentur distorta, pro ᾧ βρῶμα, reponerem τῷ βρῶμα. Sed deinceps non sunt integra. Certè pro πολυτρόπως legendum est πολυτρόφως. & paulo post pro γεννικῶς lego γενναίως. scriptus malè γεννικῶς. pro ἐμβατήριοι lego ἐμβατήριοι ex Lycurgo nostri.

505. 24. Votis hoc annectebat.) ταῖς εὐχαῖς. legebatur ἀχαῖς, quod uocis significat nihil. interpres legit ut ego. Sicq; & Scriptus habet. uotum est nequaquam superuacaneum. & sustuli, ὲι ante παροιμιαζ quod sensum uitiabat. Sententia est eadem in Persis Aeschyli:

Ἀλλ' ὅταν σωσύδην τις αὐτὸς, χὠ θεὸς ξυνάπτεται,
Ἀσπίδι μὲν σάϊον.) Sic citat etiam Strabo libro X. Saij Thraces fuerunt. quod inter uertendum non uenerat mihi in mentem. Itaque primum uersum sic lege, ut in Strabone uerti:

Nunc aliquis Saiûm nostra sese aspide iactat.

Sed posterioris hexametri 4. pedes exciderunt. Post Ἀναμένει γὰρ Θίον. antè Θίον. insere καὶ quod habet Scriptus. In Gorgone μαλακῶς σχολῇ, lego καὶ σχολῇ. καὶ etiam à scripto abest. σχολῶ legit interpres, quod non ualdè probo.

509. 7. Eurotas ceruis.) ὁ διὰ μέσου. Scriptus δ. quod alijs dijudicandum relinquo. διατὰ μέσης conieci legendum, reperto διὰ ταμέσης. & scriptus coniecturâ meâ euidēter probat. & infrà legebatur διανίχυται, quod id ipsum mox rectius erat excusum. νυῶ ut in εὐῶ mutarē: abest omnino à scripto. deinde pro διαλάγγιον

malim λαλάγγιλον cum scripto. & φάνης sensu postulante paulo post pro φάνη scribendum Mox ἐπὶ τοῖς ξένοις, lege cum scripto ἐπὶ τῆς ξένης. prope finē λάτριτε αὐτὸν.) Scriptus λατρίβητε, & supernè λαβαίσιτε.

IN LIBELLVM DE MVLIEum virtutibus.

512. 6. Initio statim ὦ λαία. ad hanc extat Plutarchi liber de Isíde & Osíride, quem Plutarcho nostro Eusebius in præparatione Euangelica nominatim arrogat. In scripto apparet fuisse λαία, sed ab emendatore factum λαίαρχε, quod minimè probo Nà feminæ inscriptum librum cùm alia ostendunt, tum in ipsa præfatione σὲ βιβλίοις ἐντυχόσαν, &c. Euripidis locus est in choro Herculis furentis. 512. 37. Mox ἀλλὰ τῶν ὧδε τῶν, τὰ Σαπφ. pro, ὧδε τῶν lege αὐτῶν. ratio, scriptus.

513. 13. Si ad vim istarũ) Legitur λυσιωτάτων καινότητα ἢ λύσιν. Latinus interpres hãc omisit particulã. atq; adeò credo id eum fecisse, quòd ipse quoq; ut credam esse genuinam, abs me nõdum possim impetrare. Sed & βίβλια βίβλια uix concoquo, ac ne uix quidem: In Troadibus.

514. 5. Qualemcunque sedem.) Vulgo habetur, ἐν ᾗ πάσῃ. lego γῇ pro τῇ, id in scripto suprà notatum reperi, lege etiam ex eodem ναλκύης καὶ ναυτιλίας. Ita enim sententia est plana, quam habet nostra uersio. Mox patriamq; esse faciendam.) est hæc πατρίδα λέ, scribe δᾶ. In Chijs initio lege ἐπῴκισαν. notum.

519. 16. Nouam condiderunt.) ᾤκισαν legi. scriptum erat ὤλισαν. Sed & pluralis numerus requiritur, & non de habitando, sed cõdendo urbem loquitur, quod est ἀνίσεαν, non οἰκῆσαι. Scriptus habet ὤλισαν, & λεύασαν. alioqui Cryassa neutro genere dixi ut pleraq; alia Cariæ et Lyciæ loca notum est. In Tyrrhenis initio Βραυρωνόθεν restitui, ac deinde Βραύρωνος. cùm ρ. excidisset. nam Βραύρων celebris est apud scriptores pagus, seu δῆμος Atticæ. Sic & scriptus.

520. 14.

520. 14. Et fratre eius.) καὶ ἀδελφὸν. nihil ausus sum mutare. Interpres καὶ omisit post ἀδελφὸν, hocq; intellexit appellatiuè sanè infrà quæst. Græc. XXI. πόλιν τὸν ἀδελφὸν legitur. & mentio sit fratris, cum quo sortitionem Polis inierit malim λφατάϊδαν quam λφαταΐδαν, quod scriptus suggerit. Si καὶ antè λφατάϊδαν omittas, planus uidebitur locus.

521. 33. Quasi igneum.) καὶ πυρώδεος. Aldus & nos παρώδεος hoc uocabuli quid sit, non habeo dicere. Interpres habet horrendos sonitus atq; incendia. nescio quid secutus, nisi quod αὐάπλασιν, quæ est radiorum solis reflexio, non satis aptè reddidit. αὔθηλιος autem per θ non τ scribitur, cum rectè scribitur, quam ille uocem omisit. Cæterùm inspectio scripti libri me dubitatione soluit: is enim πυρώδεος expreßè habet. Suprà autem qui χίμαιρὰ & legitur, χίμαρον legendum contenderim, ut ad Chimæ rà (cuius fabula hæc exponitur.) accõmodari poßit. nõ ignotũ est, quid χίμαρος & χιμάιρα significẽt. ΣΑΛΜΑΤΙΔΕΣ, Saguntinæ sunt interpreti, & Σαλματικὴ Saguntum fortè quia urbem Hispaniæ hoc nomine non agnouit. Ego nihil uolui mutare, nisi quod N litteram inserui. Nam Saguntum aliter appellant Græci historici. Ibidem est Βαύνους, & in scripto Βαύννους. Hanonem interpres habet, uocem Punicam. ἑμιλωὺς pro appellatiuo accipio. Sed res non est magni momenti. In Cianis.

523. 37. Domos adibant.) Βαδίßσαν, in scripto βαδίßουσι, etsi est alterũ suprà notatũ: & profectò βαδίßοντες malim, idq; exigit (puto) sentẽtia inuicẽq; malim illorũq;, pro ἀλλήλων scilicet αὐτῶν. id quoq; sensu distante, ut & ἐνὶ pro ἑνὶ, & pro ἀξίας legendum οὔξιας, liquebat etiam sine scripto. In Phocidib. fine, αὐτοῖς ἄχει. αὐτᾶις ratio & scriptus.

532. 23. Impetrauit salutẽ.) legi ἐξητήσατο. scribebatur ἐξητύσατο perperam, quo mendo tamen deceptus interpres sententiam peruertit. Scriptus & Aldinus ueram lectionem habent. Historia exstat etiam in eroticis Parthenij. Porrò ante in Pieria in Nelei nomine ν pro ει repono, ex historijs & scripto, qui etiam

in fine habent οὕτως ὁρᾷν τὰς αὐλὰς αὐτῶν, rectè. Cæterùm in μολιβδὸς & hîc & alibi reliqui, ι, cum aliâs scribatur per υ. Cau sam uidebis apud Eustath. in Iliad. λ. 237. & alibi. Pòst ante ἀπο λαῦσαι excidisse μὴ uel ἐν nõ est obscurũ. In fine Aretaphilæ pro παραβαλλ. est in scripto πορίβαλλ. 540. 10. In Chiomara ante hæc uerba ἐπεὶ δὲ μιθριδάτης, omissa est inscriptio historiæ hæc: γύναιον πόργαμωὸν: quæ in scripto demum est ante uerba, γύ ναιον δὲ. In Timoclea. 541. 34. Adhibitis partim mi nis.) ὡς ἀπολῶν legendum ὡς ἀπολῶν. Sic & interpres legit, et in scripto est. legẽdum quoq; ἐφιστώσης, non ὑφιστ. In Eryxone pro δαίμονος uide ut legas οὐδαίμονος. Sic enim sub finẽ rectè. dein de πρὸ τῶ Μακεδόνος. lege παρὰ, ut & scriptus habet. Locus est ambiguus.

545. 33. Vt vidit accedentem.) ὡς εἶδεν ἐπιόντα. erat ἀπιόντα, sed & in scripto ἐπιόντα est à correctore factũ. Sed de est hic nomen & mentio eius Cumanæ mulieris, quæ Aristode mum solum Cumanorum uirum dixit, cuiusq; mentio etiã et in con clusione historiæ fit. Pòst pro ἐπὶ τὸν Ἀ ειτόδ. legi pro καὶ. quan quam scriptum deinde receptam lectionem habere sensi.

546. 24. Pythis vxor.) Πύθεω γυνὴ. Inscriptionem hanc optimo iure adieci, ut reliquarũ similis esset. Scriptus pro titulo ha bet Πυθόπολις, pro παρεῖναι τῆς στρατιᾶς legebatur malè τῇ στρα τιᾷ. non poterat enim senem curare absens in militia patrem fili us. Scriptus παρῆναι τῆς στρατιᾶς. rectè.

IN COMPARATIONE AQVAE & ignis.

548. 36. Absq; igni multa fuerunt.) ὕλατος δὲ ἐδέ ποτε etiam si αὖσαι ἀπὸ λειτοῦ repetas: tamen non satis hæc cohæ rent. Fortasse hoc uult dicere, fuisse aliquãdo hominem absq; igni, absq; aqua nunquam. Id si ponamus, πολλὰ in ποτὲ mutandum esset. Videtur προγύμνασμα alicuius potiùs esse eruditi hominis, quã scriptũ Plutarchi illius magni. infrà μετρεότητι τῇ αὐτῆ φύσις. ante τῇ requiro ἡ. Scriptus post μιθρίδατι habet insertum λέγεται.

551. 32.

551. 32. Quæ maximè feruntur.) περὶ τὰ μάλιστα. περὶ loco πρὸ reposui. errorẽ notarum affinitas peperit. πρὸ etiã scriptus habet. Suprà ubi est οἶνον, περὶ ναρκῶν scriptus (quod magis probo) ἢ ἄναρκον habet. et pro πνεῦμα ϛῆ, πνεῦμα ὀλ. Sunt et alia, sed leuicula, neq; uolui μόγον ϛῆ φανῆ, ϕ αἰῶτ, adhibere. id nota tu dignũ est, 552. 8. ἀλμὰς εἶλε ὑπερχεόϊη τ ξυρῶν legẽdũ, nõ ξυρῶν ϕmendũ in scripto etiã est. Id illud ἀπ' ἄλλης ἀρχῆς, distinguendũ erat à præcedentib nouã n proponere intẽdit argumẽta.

553. 24. Tenebris obtinentibus.) ὅτι σκότος. Suspectum erroris. Conijcio fortè legendum, ὅτι περὶ ἔτης. Ita quidem liquida esset sententia. alioqui quid est tenebras uigilare? Loquitur de industria humana, ad quam uigilia etiam facit, nocti partẽ sui, ut Aristo dicebat, uectigalis suffuràs, quod sine ignis beneficio fieri nõ posset, tenebris industriã uigiliæ impediẽtib. Profectò uita uigilia est, inquit Plinius. In scripto annotatũ uidi, pro ἐγρήϊορεν legi ἐγρηγορέναι. In fine pro ἐξαμμα est ἐξαλμα in scripto, quod docti me non fruſtra annotare facilè intelligunt.

IN QVAESTIONES SEV CAPITULORUM descriptionem.

HVnc librum Plutarchus in Camillo & Romulo citat sub nomine αἰτίων & αἰτίων Ῥωμαϊκῶν. Vulgò problematum titulo citatur. Adieci margini numeros, qui faciliora inuentu & notatu singula facerent.

554. 33. Pluribus ædiles.) Σὺν τοῖς ἀγορανόμοις πλέοσι. Hic locus est corruptus, credo hanc esse sententiam: Prætores tribus usos facibus, pluribus ædiles. Χρωμένων legendum, non χρώμενον, liquet. Et μερισομένοις pro μεριζομένοις.

556. 4. Sed conscenso tecto in domum demittunt.) τῷ πυρὶ προσβαίνοντες εἰσω καθιᾶσιν αὐτὸς. Quid si legas, sed ij conscenso tecto sese inde in domũ demittunt? Hæc quidem lectio cum Varroniana fabula melius cohærebit, & unica læuis in asperum spiritu mutatione conficietur, ut αὑτὸς legas pro αὐτὸς. 34. Hysteropotui) ὑστεροπόμοις. interpres ὑστεροπόμοις

legit, itaq; legendum credo, ignarus liber ne ei, an uerò iudicium hanc lectionem suggesserit. uox enim ea significat eos, qui crediti iam fato suo defuncti, denuò ei seruire opus habent. in proxima quæstione. 557. 15. Multisq; locis adscribitur.) πολλᾶ γινέσθαι non probo. forte πολλαχῆ. res est nota.

558. 12. Futilissimum putarent.) Lego φαυλότατον ἡγήμενοι. legebatur ἡγήμενον, sed malè. Verba antecedentia satis obscura sunt. neque piget interim sententiam de ijs meam aperire. ὑπῳήθησαν inquit. Suspectæ uitij & illiberalitatis erant Romanis donationes coniugum, nimirum quòd non ab animo liberali profectæ, sed adulatione coniugis extortæ essent: quomodo etiam donationes mortis causa factas, ad uxoris petitionem, irritas esse uoluit Solon, non minùs quàm ui extortas. quia nimirum non minus prauè fit, quod illecebris uoluptatis obtinetur, quàm quod ui. Correctior benè reddita à Lucensi, inscitè notauit.

558. 31. Confidentis viri.) πιστεύοντος ἐστί. ἐστὶ legebatur notis ob similitudinem confusis. Sed linea sequente ἠδὲ παραπρήσει σωσύδιον malè cohærent. lego γνώμη ἠδὲ παρατήρησις: σωσύδιον, &c. Non me fugit, doctissimos homines è Tibulli 1.3. huc respicientes, dissentire. Versus sunt:

Tunc ueniam subitò, nec quisquam nunciet antè:
Sed uidear cœlo missus adesse tibi.

Ego quod sentio, planè dico. Deliam non fuisse uxorem Tibulli constat. itaq; nihil ad rem hæc consuetudo. Alibi plura.

560. 36. Sp. Carbilium.) siue malis Caruilium. Καρβίλιος, non καρβήλιος. Sic Latini & ipse Plutarchus in extremo Romuli ac Numæ. proxima quæstione. 561. 5. Nullos posuit.) ὅρους ἀνέθηκε. δὲ codex noster non habebat, neq; interpres neque Aldinus liber. nam in scripto nostro hic liber desideratur. sed & sententia id flagitat, & confirmat historia. In problemate XVI ἄβατόν ὄζει scribo. in duodeuigesimo ἀφθόνως & αὐτάρκως pro ἀφθόνων & αὐτάρκων repono: & in decimonono, pro λατικὴν ἔθεσαν, λατιγάλησαν. in promtu causa est.

563. 2.

563. 2. Tunc enim in ipsa quoq; natura.) Sententiam puto me ueram extudisse. nam in Græco hæc uerba γίνεται γὰρ αὐτοῖς, &c. manca sunt.

563. 19. Murtia Venus.) Μυρτίαν Ἀφροδίτην. Plinius libro 15. cap. 29. Quin & ara uetus fuit Veneri Myrteæ, quam nunc Murtiam uocant. ita legitur in Frobeniana optima editione. Is locus facit, ut μυρτίαν potiùs legendum suspicer. nam illud ὡς ἔοικεν Plutarchi hoc loco uidetur referendum ad mutationem υ Græcæ litteræ, in Latinam u, quæ in Sulla, murratum, & alijs nota est. & Plinius ita innuere uidetur à myrto eam Venerem dici. Sed apud D. Augustinum profertur Dea Murcia sic dicta, quòd præter modum non moueret, ac faceret hominem, ut ait Pomponius, murcidum, id est nimis desidiosum & inactuosum lib. 4. de Ciuit. Dei, cap. 16. Apud Festum ubi uox Murcidus exponitur, mox Murcia Dea subijcitur. quanquam in litteris erratum ibi esse posit: aliteráq; in Antonij Augustini nobilissima editione legatur. Apud Varronem libro IV. de lingua Latina hæc sunt, quæ scripturam rursum faciunt ambiguam. Intimus Circus ad Murcium uocatus, ut Procilius aiebat, ab urceis, quòd is locus esset inter figulos. Alij esse dicunt à murteto declinatum, quod id ibi fuerit. cuius uestigium manet, quod ibi sacellum etiam nunc Veneris Murciæ. Addam hoc loco quod uidetur non tam soluere dubitationem quàm tollere. Apparet, inquam, ueteres C & T litteras confudisse, quod nobis in pronunciando hodie est usitatum. Nam hoc nisi concedatur, quid faciemus Valerio Probo, qui Marcum (neq; unquam inuentus est, ac ne iri quidem inuentum quenquam puto, qui non pro C uel K scribat) à Martio mense (cuius scripturæ litteram C uel K non potest admittere) dictum ait. Id genus permulta sunt in controuersijs orthographicis atq; etymologicis. Sed in præsentia satis. Problemate sequenti Νηφάλιος restitui, qui à Plutarcho etiam alibi citatur: ne Latinos & Græcos alios testes appellem.

564. 9. De Numæ regis.) τῶν νομᾶ. legebatur perri-

diculè τοὔνομα. quod etiam interpres sensit, & miror ab iis non animaduersum, qui tot millia mendorum (ut ipsi aiunt) eiecerunt, item pro ἴνισιν, legi ἴνισιν: & ubi legi ductus ipsa sensus perspicuitate, ἀγαλμάτιόν ὅτι, legebatur ἀγαλμάτιόντι. cùm in Aldino (si librarius notam infrà agnouisset) rectè esse postmodo deprehenderim. Idem error est suprà prob. 18. In sequente quæstione legebatur, ὁι ταυτὸ διάγραμμα, quod etiam interpretem fefellit, cùm sit perspicuè falsum. Quis enim nescit à Kalendis ad Nonas, ab his ad Idus, inde ad finem mensis inæqualia esse spacia? taq; non dubito ὁι in ὰ mutare.

564. 30. Lunæ conspectum.) τὴν δὲ πρώτην φασὶ. Post πρώτην, deesse ἐπιφανείαν, aut aliquid tale opinatus sum pridem. Sed omnino nunc φασὶ in φάσιν muto, uocem in hac re mathematicis non ignotam. αἱ δευτέραι γὰρ φρονιδίδες σοφώτεραι. Quod de Kalendarum nomine affertur etymon, frigidius est quàm quod refutatione indigeat. quæ est enim tandem inter Calendas (sic scribo, ne uim uidear intentare) clam. & celare analogia? Marcellus ex Varrone: Calendis calabantur, id est, uocabantur, & ab eo Calendæ appellatæ, quod est tractū à Græcis, qui καλεῖν uocare dixerunt. Quid ergo causæ est, cur in Græca uoce utentes littera Græca, originem testante (quod musteis in suo γ ut citra inuidiā licuit) ad Kalendas Græcas relegemur cum tota antiquitate? quæ littera K etiam ibi usa est, ubi etymologia Græca nulla uideatur esse, ut in K. pro Kæsone seu Cæsone Fabiorum prænomine. Hoc addo, Iubæ sententiam hîc non extare citatam, sicut fuisse puto, ab autore integram. Quæ Macrobius habet Saturn. l. 15. digna sunt cognitu. digniora, quæ Varrò lib. quinto ut alios taceam. Hæc animi causa scripsi, cùm mihi ista recognoscenti ueniret in mentem, amicum quendam meum aliquando, nescio sanè ubi istas eodctum argutias, mihi hunc nodum soluendum proposuisse: Græci non utuntur Kalendis: ergo non debent scribi Græca littera Kalendæ. quasi uerò κ qua in Romanis Kalendis exprimendis utuntur, non sit Græca ipsis asserto-

sertoribus litteras aut K perinde atq; Y non liceat retinere originis testandæ gratia ne adijciam, Eiduum quoq; uocem à Græco repeti sermone.

565. 12. Morem hunc amplificauit.) προσλαγὼν ὥσπερ φιλᾶ. mendum esse nemo non animaduertat, sensu interim euidente. fortasßis προσῆγεν.

566. 2. Sicut contrà.) ἀνέφιστον, ὥσπερ κἀντὸ. lego κοὐ τὸ. Mox ἢ ηκὲ τὸ τῶ θ ψιμ.) Lego θ. quartam enim opinionem exponit, nisi fallor.

566. 36. Lucido & illustri.) τῷ λὶ φωτεινῷ. ego λὶ iure me omisisse puto, non habens cur suspicer aliquid detritũ ante hæc uerba esse. Post βαφῇ ηκὲ, lego ηκὲ βαφῇ. potest enim inquinari albedo. Sed tinctura lanam albam non facit: nisi eam intelligas, qua rudia lintea identidem madefacta, solis ui aquam, una q; sordes exhalante, albedinem consequuntur.

568. 35. Vsi sunt peculiariter.) ἄλλως κέχρηται. impropriè, usurpatiuè. ἀν ἰδίως. Caius non omnium uirorum prænomen est, neque Caia mulierum, neque Titius ciuium, neque Stichus seruorum. quod autem cuiuis adhibentur, fit usurpatione quadam, sicut Dialectici & Mathematici suos terminos uocant α. β. γ. &c. Hoc ergo est ἄλλος χρῆσθαι. ἄλλοις legebatur, quod loci uim obscurabat mendum.

569. 3. Cui Caiæ in sancti templo.) Ἐν τῷ τοῦ Σάγκτου ἱερῷ. Interpres: In Sanctæ templo. & citatur in margine nescio cuius opera, Plinius. 8. 48. Vbi legatur M. Anci. Quod ego quidem si reperissem apud Plinium, non ueritus fuissem mendi arguere, cum neq; M. Ancus ullus sit nobilitatus, neq; nomen Ancus, sed prænomen uideatur: & Anco Marcio Romanorum regi diuinos habitos honores nemo facilè animum induxerit ut credat. Verba Plinij libet adscribere, tum aliorum. Lanam (inquit Plinius) cũ colo & fuso Tanaquilis, quæ eadem C. Cæcilia uocata est, in templo Sangi durasse prodente se, autor est M. Varro, &c. Augustin. lib. de Ciuit. Dei, 18. ca. 19. Sabini, ait, regẽ

ſuum primum Sangum, ſiue (ut aliqui appellant.) Sanctum, retulerunt in Deos. Hic locus uidetur cum Plutarchiano iunctus, multò rum bonorum ſcriptorum locis explicandis inſeruire. Eſt apud Sex. Pompeium. Propter uiam fit ſacrificium quod eſt proficiſcendi gratia, Herculi, aut Sanco qui idem eſt Deus. Et annotauit quidam in margine, Ianum quoſdam pro Sanco legere. ineptè hoc quidem. Cultum fuiſſe Sabinis ſiue Sancum, ſiue Sanctum, etiam Lactantius 1. 15. docuit: & eadem eſſe uocabula admodum eſt probabile, ut & hoc, ritum Sabinum, à Sabinis, præſertim Numa, fuiſſe ad Romanos propagatum. Iam Sanctum & Fidium idem omnino ualere, & eſſe eiuſdem Dei attributa, dubitari non arbitror. Qui Dionyſium Halicarnaſſeum citant, Sabinũ gentis Sabinæ auctorem ab eo ex Porcio Catone aiunt perhiberi filium Sanci uel Sangi (c & g litteras eiuſdem prolationis permutari nouum non eſt) dæmonis illorum locorum. In Græco malè legi puto Σάμυ pro Σάγγα niſi fortè Σάβις eſt legendum. Nam Sabum Sabinis gentilem eius fuiſſe, qui Sanctus Latinis fuit, colligi è M. Catonis Originibus poteſt. Silius Italicus libro octauo rem uidetur explicare.

Ibant, & læti pars Sanctum uoce canebant
Autorem gentis. pars laudes ore ferebant
Sabe tuas. qui de patrio cognomine primus
Dixiſti populos magna ditione Sabinos.

Sed additur eundẽ à nonnullis uocari Διὰ πίστιον. quod eſt Iouẽ Fidium. at is fuit Hercules, ut ex Ouidio liquet 6. Faſtorũ. Quærebam Nonas Sancto, &c. Varro lib. IV. Aelius Gallus dium Fidium dicebat Diouis F. Διόσκορον Caſtorem, & putabat hunc eſſe Sanctum ab Sabina lingua, & Herculem à Græca (Hinc adeò ſciri poteſt, quid ſit me Hercle, & iurare per Fidium.) Optimeq; id cum eò congruit, quòd Sabini ſunt habiti Lacedæmoniorum (hi autem toti erant. ut ſic dicam, Herculei) coloni. quod & apud Plutarchum in Romulo & Numa eſt, & apud Dionyſium Halicarnaſſeum eadem pagina, nimirum libro ſecundo

do. Cætera omitto, contentus me docuisse, Sanctum cùm hîc, tum alibi rectè legi. Addo tamen, Propertium hanc lectionem non modò confirmare, sed & rem explicare. Sic enim scribit lib. IV. in elegia de Caco:

Nunc, quoniam manib. purgatum sanxerat orbem,
Sic sanctum Tatiæ composuere Cures.

Sangum alij dicunt: & Sanqualis porta, proxima ædi Sangi, apud Paulum ex Festo legi debere puto. Sangus etiam apud Liuium legitur, cum Semonis cognomento, lib. IIX. unde apud Ouidium dicto loco legendum, An tibi Semo pater, non Semipater, do ctè obseruauit in Varronem Scaliger. In XXX. quæstione quod legitur τὸν τάλαρον τάλασον, &c. legebatur etiam in Aldino, τὸν τάλαρον τάλαντον ὀνομάζουσι, omnino perperàm. Quis uerò pro τάλαντον, cùm talathum significare uox ea debeat, non malit τάλασον legi, ut ad Talasij uocem sit aditus accommodatus? Litteram ρ aliquando in σ mutatam non nesciunt eruditi, cùm præsertim Papisij & Fusij iidem sint qui Papnij & Furij, & hos pro honore, odòs pro odore apud Plautum ponatur. & Lases pro Laribus dictum Varro lib. 5. notauerit: cuius generis etiam sunt loebesum pro liberum, quæsere pro quærere apud Festum.

570. 13. Obliuionem fluuium.) τῆς λήθης ποταμὸν. Interpres Lytham flumen, nescio quid secutus. Certè lectio nostra est genuina. Sic enim in Liuiana epitema LV. legitur. D. Iunius Lusitaniam urbium expugnationibus usq; ad Oceanum perdomuit: & cùm fluuium Obliuionem transire nollent raptum signifero signum ipse transtulit, & sic ut transgrederentur milites persuasit. Idem nomen est apud Florum lib. 2. cap. 17. & apud Liuium Obliuionis mentio 4. 22. Apud Stabonem libro tertio menda insedit. Meminit huius rei, & hanc opinionem D. Bruti refert Tullius lib. 2. de Legibus. In fine quæstionis huius τάφου pro τάφον manifestum est legi debere.

571. 35. Reparare aut instaurare.) καὶ μὴν προσκτᾶσθαι. Hoc uerbum quî huc pertineat, non assequor, neq; tale

quicquam habet interpres, qui resarcire uertit: an ex libro alio, & alia scriptura, an ex coniectura? Fortè προσναινῦν aut tale aliquid fuit. In quæstione quadragesima, 573. 16. Aut alia quidem.) τὸ θεῖον, ἢ τὰ μὲν μόνῳ τῷ ἱερεῖ legendum omnino est. nam tertiam causam afferri liquet. & ἢ particula omissa totum locum confundi necesse est.

575. 1. Hunc contrà ictus est.) λίχεις, id est, obliquè, πλαγίως Loqui uidetur de alicuius dei simulacro, cui Saturni imago opposita fuerit. λίχεις nihil significat, quod quidem recordari possim. & constructio non patitur hîc uerbum neq; enim cum κεῖσθαι cohæreret sub finẽ prioris quæstiõis Συίλλιοι, malim Συὶ λλιοι. Scribuntur enim Suilij. Mox pro Νουνδίνας restitue Νονδίνας. non enim hanc uocem ignorauit Plutarchus. In problemate 44 pro σύσεβες quàm sit legendum ἀσεβες, dubitari non debet. malè enim pietas cum periurio coniungitur.

576. 14. Hortæ templum.) ἕρτας aspiratè scribendum, cùm ab hortando dicatur. Sed Antistium Labeonem, nobilem rerum Romanarum scriptorem, in Antistichum Laconem librarius nimis rudis mutârat. uel ex Gellio potuit esse notus uocem πλειννύειν non noui, sed planè suspicor eam pro ἐλιννύειν obrepsisse. Quæ autem de Hora ab hortando dicta referuntur, Græcanica sunt, neq; linguæ Latinæ consentanea. quod bona cum uenia Plutarchi dictum uelim.

577. 24. Vt Ateius.) Legi enim ὡς Ἀτήϊος. Scribebatur τήϊος. ego Teium scriptorem nullum noui rerũ Romanarũ nã nomen est Teius, non gentile (scripsisset enim ὁ τήϊος) ut Anacreontis. Itaq; Ἀτήϊος reposui. nam Ateius Capito, ut rerum Romanarum scriptor, à Gellio (siue is Agellius est) citatur in non admodum absimili argumento. 1. 1. 1. qui hoc ipsum ex Fabio Pictore refert 10. 15. 577. 7. Quæstione duodequinquagesima Consalia scripsi, non ut apud Varronem lib. 5, & alios legitur Consualia: Græcum secutus & analogiam. Sponsalia enim dicũtur, Vinalia, Vulcanalia, nõ Sponsualia, Vinualia, Vulcanualia. id obiter mone-

re

re libuit. Quæst. prox. 578. 16. Ad puniendũ factos.) ὠνίμους δαίμονας lego non πόνιμους, quod nihil significat, aut certè si significet, ad rem nihil facit statim. Canum exuuijs.) ἀὸ κρὶ νεω. κρὶ νεῶ credo ex λεωῶν esse factum.

578. 31. An quia venustè boni.) ἢ διὰ τὸ χρηστοὺς κομψῶς. Hic locus totus est depravatus. adscribam quomodo emendem. ἢ διὰ τὸ χρηστὸς λεμψῶς λέγεσθαι τὸς τελευτῶντας, ἀντιτόμψους διὰ τῆς οὐχῆς ἀστοιῶσαι, &c. item γεγράφθαι φησὶ, μηδὲ νεκρὸν ποιεῖν, &c. Me autem rectè emendare, nihilq; temerè mutare, cùm ipsa loci sententia, tum quintum de rebus Græcis problema Plutarchi abundè demonstrant. λεμψῶς autem, id est uenustè ait lenia nomina rebus duris & abominandis imponi. quod genus ὑποφορισμοῦ etiam in Solone exposuit, & nos mortuos, miserosue aut leprosos simili figura appellamus quott. Itemq; apoplexiam. Hæc si considerasset interpres, rectiùs expreßisset sententiam. Idem pro μανὴν legit ut apparet μόνιν, quod minimè probo. Videtur autem ea esse quæ apud Varronem lib. 8. & Macrobium 1. 7. Satur. Larum mater dicitur, & à manando disertè Plutarchus deducit. In sequenti problemate. 579. 2. Ludis Capitolinis.) Τοῖς Καπιτωλίοις, lectio est incongrua. Legendum Τοῖς Καπιτολίνοις, aut sacra intelligas triumphalia, quib. põpa in Capitoliũ ducitur. Vide Plutar Romulo, & Festum, aliosq;. 19. Sp. Carbilio.) Grammatico. infra quæstione LIX. Quod aũt problemate LV. traditur, aliquanto aliter est apud Liuium lib. IX. In 57. quæstione post ῥομανάλιν deest συκῶν aut aliquid tale. historia est nota. In 62. φητιαλίων scriptum puto ut & alibi. In sexagesimatertia 582. 31. Nisi in sacris seruire.) βασιλεύεσθαι λεκῶσι: omino legendum est λακωνίζεσθαι. Et in 65. 583. 20. Vbi etiam legitimis.) Legendum pro νόμοις haud dubiè νομίμοις. In 67. pro λῆρον credo ferri bendũ λῆδον, quod publicũ, uulgare, ideoq; etiam μεταλήψεται tenue, exile, non magni precij significet. Alioqui λῆρος scribi notũ est, & de uoce λιτὸς seu λειτὸς (leuth) Plutarchus alibi abundat aũt hîc alterum ἐν πολλοῖς.

854. 37. Furcam.) τύρευμα. lege, non τύρευσα, quæ uox idem est quod βάκτρον. Ego meæ emendationis autorem habeo Iulium Pollucem, libro Onomastici decimo, cap. XXXIV. Cum quo faciunt, quæ in Coriolano noster hac ipsa de re habet.

586. 1. Cùm neq; victimam.) ἀμήτε ἱερεῖον. omnino scribi uult constructio, non μήτις: & pro πώρωσις, lego πήρωσις. Quæstione proxima, ἀπόστροφάς καὶ μειλίας, lego μειλιχίας, quod est blandæ. Sic & interpres. Sed quod σύνηθες bis legitur, mendo non uacat. Quæst. LXXV, pro ἐπορίσμων usum linguæ & regulas secutus scribo τοῦ πορισμῶν, & genitiuum ῥοῦς in datiuum ῥοῦ muto. In quæstione 78. pro ἀφεῖναι malim ἐφεῖναι.

589. 2. Locum adsignari.) καὶ στάσιν. ne suspicari quidem possum in cuius uocis locum hoc monstrum surrepserit interpres omisit. Meminit moris huius Valerius Maximus lib. 2. cap. 3, inuitari priùs, & post ne uenirent orari consules scribens. Cæterùm quæstio 81. sub finem planè mutila est. Quæst. 83. δόξην αὐχμᾶσθαι. Forte αὐδᾶσθαι. Res à Liuio post Cannensem cladem exponitur Lib. XXII, sed aliquanto aliter. Interpres pro Butetio Vetusium dedit, nescio quid secutus.

591. 29. Definiri non possunt.) ἀδιώατον ὄντων. lego. Causa, inquit, cur à media nocte diem inchoënt Romani hæc est, quod ab ortu & occasu solis commodè id nequit fieri: quod quale sit, deinde explicat. ἀδιώατον ergò rectè legitur pro δυατὸν, quod interpres retinens, sententiam Plutarchi uitiauit.

592. 25. Flaminicam.) uide A. Gellium lib. 10. cap. 15.

593. 16. Spectaculis.) θέας. Spectacula, ut & interpres habet, & rationi est consentaneum, non θεὰς. Cæterùm sponsione certare ausim legendum esse πολλά ὄντων ἄλλων pro qua uoce ἄλλα nullo sensu est submissa. Sex. Pompeius lib. X. Lucar, inquit, appellatur æs quod ex lucis captatur. Et ibidem de Lucaribus festis. In priore λύσειν puto legi pro λύκοις. nihil enim huc Cures, à quibus dictos Quirites aliqui putarunt. Quiritis Iuno apud Stephanum in λύκοις legitur λυκησία: malè ni fallor. In proximo proble-

problemate, φρατρίας scripsi pro φατρίας. & puto legendum φορνικαλίοις, ex Varronis lib. 5 Fortasse qui suam curiam ignoraret, saltem fornacem suam nosse putabatur, quæ laus in prudentem non cadit. Fornacalia Festus quoq; , aut ex eo Paulus habet. ut & stultorum ferias. Quæst. XC. μαύλιος repone. historia est notißima, & τυφανιδι, δι ὄν, erat δι' omissum à librario παρύχησιν non animaduertente. & δι' inter δι δυότες οἱ redde. Historia de filio Licymnij est apud Apollodorum libro bibliothecæ 2. et Pindarũ Olympijs Minuta alia prætereo, etc. Quæstione tamen 98. pro προσηκόντων mihi ex sensu loci persuasi legendum πρόσῳκον ὄν: quam formulam fortasse non intellexit librarius, ideoq; corrupit. Quæst 101. βάλος unico λ legẽdum. Sed quid Empedoclis citetur, non intelligo: nisi ὑποκάμινον materiam Lunæ significat.

599. 14. Vt Tiberium.) ὡς τὸν βίβριον. atqui nemo, puto, prænomen Verrij unquam legit: neq; si esset, duabus litteris scriberetur opinor. Interpres totum omsit. Ego pro βίβριον, reponerem ΤΙΒ. ριον. hoc enim prænomen ne cum Tito confunderetur, duabus litteris TI. scribi obseruatum est. Quæstione proxima, πρὸς Ἐλευθεράς τῆς Βοιωτίας. interpres monstrosè, quod pro Bœotiæ libertate pugnauit. Vide Strabonem lib. nono, ubi Platæas describit: & Stephanum περὶ πόλεων. Vide & infrà quæstione Græca 39. Quæstione CXI. 601. 30. Cùm in morbo est.) ἐχομένης legendum pro ἐχομένοις sententia docet. & 602. 14. De tecto.) ἀπὸ τῆς στέγης, non ὑπὸ. quod satis ex Pictoris apud Gellium uerbis constat. Vincula per impluuium in tegulas subduci, atq; inde foras in uiam demitti. Quæstione 112. αὐαδελφιδᾶς haud dubiè significat uitem maritatam uel arboribus, uel etiam tabulatis, quo modo etiam Græci nonnulli interpretantur Grammatici. In nostris Atticis error est loco iam antè citato. Propagines è vitibus altius subtentis nõ succidet, legendum è Plutarcho, succedet, neq; insolens, præsertim in Fabio tam uetere scriptore, debet uideri constructio uerbi

succedo cum accusatiuo: cùm eam Grammatici doceant à præpositione, quæ hîc est sub, proficisci. quemadmodum illam præterco, non illam eo dicimus: & tecta superuolitare, non uolitare. Sic Liuius de pugna ad Trebiam: Simul latebras eorum improuida præterlata est acies & Sallustius: Dextra Adherbalem adsedit, &c. Mox Σάφορ μὴ ὑποβαίνειν. quod ipsum ita planissimè legitur 8. 7. Symposiacorum in lib. de puerorum educatione est ζυγὸν. Sed apparet diuersa esse symbola. uox scopas λόφημα significare ferè Grammaticis dicitur de allegoria hîc non disputo. certè Diogenes non habet, & inter ea ipsa omisit, inter quæ Plutarchus loco Symp. citato memorat.

603. 14. Bacchanalib. alijsq;.) ἴοις δὲ τὴ νυκτελίοις Interpres, nocturnis sacris et Bacchanalib. fieri potest ut eadem usus lectione ita tamen ex coniectura uerterit. Νυκτέλιον esse Bacchum, ne longiùs deducam, uel è Virgiliano potest dici Culice:

Venit Nyctelium fugiens Cadmeis Agaue.

Et inter nomina Bacchi Νυκτήλιος est in libello de è Delphico. ἴοις cauda uidetur esse alicuius uocis. de qua coniecturam ferre possem, sed infirmam. Viderint alij, & quid sit illud πρὸς χάφορ? Hilares interpres. quid si legas ἄχαφον. Ebrijs, qui pleni sunt uino, facilius ignoscimus, quàm garrulitate aut furiosa obturbatione importunitatem temulentorum uincentibus. Vbi est ὁτὰς αὐθρωπίνοις, omnino ὃ est legendum. alia enim causa redditur, quod interpretem fefellit. Porrò νυκτήλια ἱερὰ infrà quæst. Græc. 37. memorantur.

IN QVAESTIONIBVS GRAECIS.

606. 11. Quippe à Deucalione.) lege ἅτι γεγονέναι. legebatur ἄ. ratio meæ emendationis plana. Superiore problemate deest lex quæ citatur. quod & apud Demosthenem & alios sæpe fit. Ibid. τὸ γὰρ ἐννοεῖν πρὸς πάσχειν suspectum.

608. 19. Deinde Cirram obt.) uitiosè hæc leguntur. ὧν ὅλον Κίρραν καταβλαύσαντες, Ὀἰνοκλον τὸν βασιλέα, τὸς &c. nec; satis cõstat: quid legerit aut secutus sit interpres. errauit quidẽ certè

certè. Lege meo periculo, Ἐμῷ δὲ τῇ Κίρρῃ λαζαλσύσαντες ὄινο-λιον, &c. Tu uide infrà quæstionem 26. & ibi reperies meæ castigationis fundamentũ quanquã ibi Onoclus legitur ϱ Ἀραόαν (quæ certè uox Græca non uidetur) uide ne sit legendũ Ἄδον & παραώαιοι pro παραόαι ex Stephano. Ego meas cõiecturas in uersione sum secutus, decq; his lectorẽ obiter monendũ tamen putaui. Sed & illud σὺξάμενος ἀαθ' ἑκατόμβης, cum uouisset sacrificium, insolens est eodem problemate. Expunge aũt κεὶ ante μεταφερόμενον: itaq; concinnior est structura, quàm si eo relicto legas μεταφερομένης. Porrò apud Hesychium per η scribitur φαγηλὸς, ὠμὸς. Hîc sequente quæstione, per ἰῶλα. Ibidem παρὰ σύμαιον) lege πρὸ, ex consuetudine Græca.

610. 2. A mari iectus.) ἐκβραδίντα. Sic lego singulari numero: nam quomodo mare Nessum iecerit eõ locorũ, aũt quî cadauer eius in mare peruenerit, uix uideo. & ὀρανυλὼ metri causa scribo in uersu Archytæ, qui est Heroicus. Vocem conciſam esse ex ὀρατανὸ, etiam Eustathius docuit. quid aũt sit μάκωαν, nescio sortasſis nomen est alicuius in Ozolis loci. Eustathius in Catalogum nauium annotauit Erannum olim urbem Phocidis, dictam deinde Cyparissum Fuerunt autem uicini Phocensium Locri. Sed hæc alibi pertractabuntur.

611. 27. Hyperæ fratrem.) ὑπῆρος ἀδελφὸν. nominatiuus masculinus Ὑπῆρος non fert hunc genitiuum. Ὑπῆρος legendũ aut Ὑπήρεω. nam uirum fuisse satis constat ex sequẽtibus, & Stephano, unde ὑπήρητος legendum apparet. Quæstione uigesima ἑβδόμῳ τι lege, non τὸ. Quæstione uigesima secunda. 612. 35. Cothus & Aeclus.) pro Arclo planè legendum est Aeclus. Id cùm aliunde, tum ex septimo & decimo Strabonis libro liquet, huius initio, illo fimente.

613. 13. Elasiæ.) Ἐλάσιοι. aut hîc ἐλάσιοι, aut deinde ἐλασίδες legendum apparet. μιξαρχαγέτας autem legõ, quasi semideũ diceres, gentilitatis Argiuæ autorem, non tamen cœlitem ἀρχαγέτης is est, hinc Apollo Archagetes apud Pausaniam in Atti-

cis. De aliterio, &c. in libro de oraculis desitis, pag 236, & in fine de curiositate uide. hic locus uidetur mancus, ταῦτα ad ἄλλης referri licet. Inde quæstione XXVI.

614. 6. Circa Aethiciã.) ἐς Αἰθικίαν legebatur Αἰθικίαν. at supra quæst. 13 eadem de re legitur ἐς Αἰθίοπας. Sed & Stephanus de Vrbibus Αἰθικία scribit: ne alios citem. Rex Aenianum suprà Oenoclus legitur, Οἰνοκλος. Fabula Tenæ satis est nota, etiam ex prouerbijs.

618. 22. Filium Hippasum traderet.) ἵππασον τὸν υἱὸν. Locus hic corruptus est, mea coniectura sic legeretur commodè, τὸν υἱὸν διαπαίσασθαι. καὶ θύσαι δὴ τοὺς μ. α. αὐτῶν δυσεμαλοῦσας ὑπὸ λ. ηχὲ πίνθους, ψολοεῖς. αὐτὰς δὲ αἰολείας ἴσον ὅλοας. ηχὲ, &c. Melius proferet, qui melius reperiet. interim integra omnia sunto. pro Ἀφοινόλω lego Ἀφοινολω, pro ἑλκυδίς, ἑλκιδίς. Agrionia esse Bacchi sacrificium apparet, qui Agrionius in uita Antonij dicitur Vide caput primum libri octaui sympo-siacorum. Quæstione 40. ἐτήρει: sensus uult ἐτηρεῖτο. Antè quæst. 39. κεκμηκότα περὶ τὰς ἑλουθέρας & λέγεσθαι μὴν. lego pro τῆς & λέγεται. ἰσχυρὸν pro ἰσχνὴν.

624. 25. Ab equis eas conscendi.) τὰς ἱππάδας ἵππους. ἱππάδας omisit interpres. & quid sit, sanè non cerno. 43 non est integrum. & quid est μισόπολις. In 45 pro μυλίων lege meo periculo μυλακίων. Sed profectò satis fœdata uidetur 49 quæstio. Ego Zapætum istum Bithynorum accipio regem, & Thraces puto Chalcedonijs auxilio fuisse. Res esto exposita omnium iudicio.

IN LIB. DE ORACVLORUM defectu.

628. 12. Apud Deum.) Ἐπὶ τοῦ θεοῦ. Aldus θυοῦ. quod nihil est. Hic liber in manuscripto non inerat eiusq; me quod facilè obseruabit lector, mirificè torsit qualis qualis inter conuertendum etiam emendatio. neq; dissimulo me Turnebiana lucubratione quà confirmatum quà instructum. Certè tamen non omnia ei debe-

ben-

bentur, quæ nos procudimus. quod eruditus lector facilè sentiet. Oraculi primus uersus stabit, si pro ἢν γῆς, legas: ἐς ἰν γῆς, aut ὧν γάνης.

629. 3. Quòd probabile sit.) ἕτερον τοῦ προαγ. Turnebus pro ἕτερον legendum putabat ὕστερον. & suprà quinq; uersibus, κρεὶ τῷ πλέονα, non τὸ ego nihil conuellere ausim. & τὸ uidetur melius, quàm alterum cohærere. Sed certè quod sequebatur γελοῖον ἀφύντος, ridiculo errori librarij debebatur. itaq; φαύντος aut φύσαντος repositu est opus.

629. 20. Sanè vos quoque.) Scribendum. Καί τοι κρεὶ ὑμῖν, legebatur ὑμῖν. Sed dubium non est, quin Grammaticos compellet Cleombrotus, quorum ars nulla erit. Si non ex minimis sæpe de maximis iudicium & coniectura fiant. Mox ὀφίλλεσθαι lege pro συμβάλλεσθαι. ac rursum pro ὠφιλλῆσθαι. & non τοῦτο, uerùm τὸ. Emendationis nostræ ratio (quod ante nos publicauit Turnebus) constat ex uerbis Homeri Odyss. γ. 367. quæ adscripsi, & ab Eustathio ita, ut hîc, exponuntur.

Εἶμ' ἔνθα χρεὼς μοι ὀφέλλεται, ὅττι νέον γε
Οὐδ' ὀλίγον. —

Mentio ξυρεῦ est Iliad. π. 173. Noctem βολὼ inuenies cùm alibi tum ibidem. 394. Sed & ἰαφύεσθαι scriptum est perperam pro ἰμφύεσθαι. quod & Turnebus monuit. Sequentia ita sunt distincta in Græco, ut non quiuis fuerit se extricaturus. facilè autem castigabuntur è uersionibus.

630. 3. Aliud ergo quærendum est.) ὥστε ἄλλο τι λεγόντων. non nescio hoc Atticè dici, pro λεγόντωσαν, ut μισούντων apud Platonem, νικώντων apud Poetam, & alia sexcenta. Sed non cohæret cum βουλόμεθα, & ab utroq; discrepat ποιῆσαι. fortasse legendum βούλουσαι & ποιεῖν. Sensus est hoc argumẽti è paruis indiciis non debere statui de rebus magnis, nihil ualere: aliis rationibus refellendos Ammonis sacerdotes, qui annos subinde decrescere dicant. Pòst πλὼ μόνην τοῦτον.) lege μόνον. quæritur enim iam cur omnibus sideribus suos motus seruantibus, solus sol

cursum non teneat : sed celeriùs iam quàm antè suum spacium conficiat. Mox μίτρῳ ἐλάᾳ τῷ scribendum, pro μίτρῳ ἐλάᾳ τῷ. audacter fortassis pronuncio quando ne Turnebus quidem uidetur à priore scriptura discessisse. Ego autem nullum sensum in ea uideo, & ἐλᾶσαι cum μίτρῳ construi non potest : sed cum ἐλεγχόντων congruit, quod uerbum porrò dativum instrumenti requirit. Hoc dicit: Non opus esse ut Ammonis sacerdotes olei sui mensura observent quæ fiant in cœlo : esse ea euidentiora multo, quàm ista ut observandi ratione indigeat. τὰ δ' ἄλλα. hæc uerba si non sint (esse autem contenderim) mutila, hoc uolunt, mutuò & uicissim Solem à Luna, Lunam à Sole obscurari, suntq; accipienda ut concisè & quasi κατ' ἀποσιώπησιν ob indignationem propter absurditatem opinionis prolata.

631. 21. * Oportebat Ammonis.) ἐδει τοῖς Ἀμμ. Hoc modo, inquit, Ammonij, non annorum fictitio decremento, de bucrant rationem reddere cur hodie minus olei conflagraret, atq; flamma absumpsit olim. Asteriscum curaui signandum, quia aliquot uerba excidisse apparet. aut fortassis tantùm οὕτως οὖν, ut πρὸ τοῦ ἐν ante λιβαδίᾳ.

632. 7. Vtrunq; tunc consuluit.) Ἀμφιάρεω, ἀπιστεῖσθαι.) Fœdum est hîc mendum, sensu, quod & Turnebo placuit, non ita obscuro. Nomen eius, qui consuluerit utrunq; oraculum, excidit. eum fuisse à Mardonio aut Xerxa aliquem missum, non uidetur esse in operto. ut fortassis sic sit legendum Ἀμφιάρεω. Ἀπιστεῖσθαι (forma passiua uerbum significare activè, usitatissimum esse politis scriptoribus eruditi norunt) μὲν ὡς ἕτοιμον ἀμφοτέρων ὁ Μαρδόνιος ὁ μὲν οὖν τὸ ἐν λιβαδίᾳ μαντεῖον πρ. φων. Ἀ. τοῦ χρ. τὸν πρὸς τὸς βαρβάρους χρησμὸν ἐξ ὧν μηδ. ξ. ὁσίων. (Sic enim pro ἀγίων doctè restituit ex fine libri & nona quæstione Græca autoris Turnebus. atque addere libuit eorundem ὁσίων ualdè esse euidentem mentionem in libro de Iside & Osiride pagina Basilienſi 340.) τῶν παρόντων ἑκάτερον. ὡς τὸ ἐνθ. λέγοντος (aut σημαίνοντος) ὅτι τοῖς βαρβάροις, &c. Ita utrunq;

utcunque cohærerent. Ego in medio relinquo. Nihil annotaui de ijs, quæ in sequentibus palàm falsa, & erant non pauca, emendatè scribi possunt, si quis nostram sequatur uersionem.

635. 32. Sola Megarens.) ὅσους ὑ μιγαρέων. Sic & Aldus impressérat ὅσον. Scã librarius colligraphiæ aut tachygraphiæ compendio non satis attendens ὅσῳ ex presserat, ὅσῳ. erat utrobiq; πλαταιέας, quod ferri utcunq; potest, scribendũ potiùs πλαταιεὰς. Mox ἀκριβῶς παράσχειμι τῆς σὺρισιλογίας.) suspecta mihi est uox παράσχειμι. equidem ei plus satis orationis suppeditare possim, Turnebus: nescio quid secutus. σὺρισιλογία quid sit, docui in Plutarchi de poëtis audiendis libellum quædam annotans. Mihi uidetur hoc dixisse Ammonius, hoc sibi commentum admodùm probari Sed & sequentia ἐντυχεῖν τε, menda non carent. Infrà ubi asteriscum alleui

637. 10. ante διαμιγνὺς decessisse unum atq; alterum uocabula, uel structuræ immutatio argumento est. Hoc quoq; annotandùm duxi, ubi legitur mox ὁ νεῶ ὕλλῳ τῇ φύσιν διαλῦσιν, apud Eusebium, qui hunc locum nominatim hoc ex libro adducit libro συναγ. προπαρασκ. ι. pa. 109. legi ὁ τῷ ὕλλῳ καλῦσιν. quod malo. ut & μάγων τῶν περὶ. Cætera lector diligens conferat, adhibitoq; iudicio, & nostræ uersionis filo hunc locum corrigat.

638. 1. Genios multos ac bonos.) δαίμονας πολλὺς διαγαθὺς. Ex Eusebio didici hîc lacunam esse, quæ complanari possit. Eius igitur appono lectionem, haud dubiè genuinam. ἔστα δαίμονας, ἔστα ἥρωας, τὸ δ' ἀδὶ πᾶσιν, αἰθρίαυς. ἐξ ὧν ἔοικε ποιεῖν τὴν μεταβολὴν, τὸ μὲν χρυσοῦν γένος εἰς δαίμονας πολλὺς διαγαθοὺς, τῶν δὲ ἡμιθέων εἰς ἥρωας ἀποκεκριμένων. quod aliquanto pòst legitur ἀναλυομένοις, non fero. malim ἀναδυομένοις, nihilo insolentiore structura.

638. 27. Lõgiùs ne Pindarus qdẽ.) πλέον δὲ ὁ δὲ. πίνδ. hæc inimpressis sũt, diuulsa uoce ὁ δὲ. πλέον δὲ ὁ, πίνδαρος δὲ. neq;

acquieui hîc uel coniecturæ illustri, uel Turnebi etiam, quanquam summæ apud me autoritatis uersioni: sed ijs etiam, quæ habet scholiastes in Apollonij Alexandrini ἀργοναυτικῶν β'. annot. 23. quæ huc pertinent. Cui loco asteriscum deinde appinxi, is corruptior est, quàm ex coniectura restitui ut posse uideatur. idem Turnebus homo multo quàm ego unquam sperē me fieri posse, doctior sensit. Cuius probo στοχασμὸν, ut pro ἐπὶ τὸς ὑπερ. legatur ἐπ' ἐνιαυτὸς ὑπερβάλλοντας. Ὁ δ' ἐνιαυτὸς, &c. nam περίεχων pro Aldino περιεχῶς iam tum noster codex habebat. Reliqua ex Eusebio rursum corrige.

639. 36. Quinquies trianguli in morem adsumtus.) ταῦτα δὲ πεντάκις τριγωνιζόντα. Hæc locus depravatus est. Nam τριγωνίζω quidem in hoc argumento est progressione (ut uocant) arithmetica instituta, cuius initium sit unitas, cæteri deinceps ea proximum quasq; excedentes, ultimus ille de quo agitur numerus (ut hæc 40.) omnium summam indagare. At summa huius trigoni est 820. cuius quincuplum 4100. non 9720. Iā neq; ꝓportione aliqua nobili adfines hi numeri sunt: neq; quinta pars è 9720, utpote 1944. uel trigonus est. uel quadratus etiam. sed sextans eius aut sesquiplum, quadrata sunt. Itaq; hæc ratio non constat: incuria haud dubiè librariorum. Ego hunc locum, & alia quædam etiam aliorum annotaui, per ocium & numeros è professo tractans accuratiùs consideraturus: neq; despero de restitutione. Interim amplius.

640. 29. Corpus mixtum.) μικρὸν δὲ σῶμα. Turnebus legit μικτὸν δὲ σῶμα, καὶ μίμημα δαιμόνων: siue μικρὸν legas, siue μικτὸν, mihi senarius iambicus uidetur adduci à Plutarcho. & δαιμόνων lego. locus est lacer.

641. 24. Vt enim inter homines.) ἐσὶ γὰρ ὡς ἐν ἀνθρώποις. Citantur hæc uerba ab Eusebio. Sed ante ea citatur alia periodus, quasi in ijs quæ inter hunc locum, & paginæ huius uersum quartum post σεβιῶδα comprehensa. quæ tamen altera demum pagina sequitur. Hoc obiter addo, ἀγυὸς ὕδωρ apud Hesiodum

dum à ὄργ', 15. hodie non legi, sed ἰσθλὸς. Mox ἐνδιατραφμένα.) hanc lectionem Eusebianæ διατραφμέναι præfero.

642. 1. Et conclamationes bellicæ.) μανιαστ' ἀλαλάστ' ὀρεν. legebatur ἄλλαι, & sic etiam apud Eusebium. Sed ante nos Turnebus ex 7. συμποσιακῶν autoris emendationem hanc attulit. Verba sunt Pindari. idq; liquet etiam ex Plutarcho 1. Sympos. 5. ubi idem error hæserat. ἀλαλὴ confusum significat clamorem, qualis in prælio. Eustathius uocem ἀλαλητὸς exponens, ad uersum 393. Iliad. ξ. ἀλαλὴ, inquit, παρακέλευσμα δοκεῖ, ὥσπερ ὄτι στρατιωτικῶς ἀλαλαγμὸς, ὃν ἀλαλαὴ λέγουσιν οἱ Δωριεῖς, βοὴν ὅσαν πρὸ μάχης. Χρῆσις δὲ αὐτῆς ἐν τῷ, μιᾷ θ' ἀλαλὰ πολέμοιο θυγατρὶ, ἐγχείων προοίμιον.

Post. τιλᾶν.) Eusebius τελᾶσθαι. Sed cætera nos meliùs. μάτλω pro μάχλω restituere, sensum secutus. probatum idem Turnebo pro ἀρχόμενοι & φυλάττοντες repone ex Eusebio ἀπαρχόμενοι & σφάττοντες. & pro ἀποσειόμενοι ex eodem ἀφοσιούμενοι, quæ uox est huius rei uernacula. Ἐνίων δὲ rectius est quàm Eusebij lectio ἐν τοῖς δὲ. Paulo post καὶ ὅτι Ἰσχύλος. legit Turnebus ὅτως. Ego καλῶς aut ὀρθῶς uel aliquid tale puto excidisse.

643. 15. Tum patrimus.) μὴ αἰδὼς δὲ. nescio quid hoc sit, si est integrum. nisi fortè significat, Nonne autem hoc uarium & mirum est. ut post θυρῶν τὸ ἰσχυὸν ponatur nota interrogationis. Huc pertinet septerij descriptio in Hellenicis, probl. XII. de alastore quæst. XXV. Paulo antè παρὼν ὁ συγγραφεὺς, per parenthesin lego, post παρὼν inserto γὰρ.

643. 29. Scelerum vltores.) ἐπιξίονται, non τες. quod sensus facilè docet, & hoc modo sæpissimè erratum est. Post. ἵνα μὴ τὸ ἐμπ. legebatur μοι perperam. uersus ita uidentur habuisse:

— κορυφὰς ἑτόρας ἑτόρασι προσάπτων.
(malim προσάπτ᾽ ἐν.)
Μύθων, μήτε λέγων ἀτραπὸν μίαν——

644. 20. Ex versibus Empedoclis.) ἐπῶν τῶν Ἐμπεδοκλ. Extant ij uersus in lib. Plutarchi de Iside & Osiride, Pag. 337.

644. 37. Secum commentaretur.) διανοούμενός τι πρὸς αὐτὸν Aldus legit αὐτόν. quam scripturam nondum inspecto codice ego tenueram. Sed Eusebius me sententiam mutare compulit, qui ita legit, διανοούμενος, πρὸς αὐτὸν ὁ φίλιππος, omisso τι. ex quo apparet narrationem de morte genij esse Philippi, quod & sub finem exprimitur. apud eundem malè legitur σὺλόγων pro σὺλόγχων. de qua uoce memini aliquid annotare in Paulum Plutarchi. ἢ δῆλος.) ἢ Eusebius non habet. Si retinemus, interrogatiua est oratio. sed μὴ mallem quàm ἢ legere. uariant & alia quædam. ego præter mendosa nihil muto.

646. 33. Neq; impedire.) μηδὲ λωλύειν. legitur unius litteræ mendo λώλυσιν. ante pro ἀναλήψεις ipsa oppositio uocum monet ἀναλάμψεις legendum.

647. 23. Nihil secum trahit.) ἀλλὰ συμφέλκεται lego, non πολλά. Sed ipse etiam Turnebus legit non πολλά, quod ipse ex inciso priori huc perperam insertum puto, sed ἀλλ', quod probo. insero etiam copulam inter duo uocabula, quæ non se habent ut adiectiuum ad substantiuum, sed diuersa sunt. non enim omne ἀδύνατον, statim est ἀδύνατον, & ex Philosophia notum est non idem esse falsum & impossibile. & alterum ἄνευ ut abundans expungo. Obscura sunt hæc, τὸ πορισμωτικὸν τοῖς ἀναιρετικοῖς, si tamen recta. puto autem locum esse mutilum. quid sint ἀναιρετικά, paucis pòst lineis licet planè intelligere. deinde 37. ἀδυνὶς λεγομὲν δ legimus pro ἀδυνοῦς λεγομένης. quod uitium ab oscitate ortũ librario sentẽtiã disputationis secutus sustulit Turnebus. Cui in eo quoq; subscribo, quod pro θέων reposuit ζώων.

648. 21. In æquiores auditores.) ἐν εὐμενεστέροις ἀκροατᾶν. fortè ἀκροατὰς. aut (absq; ἐν) εὐμενεστέρων ἀκροατᾶν. οὐχ ὁρῶ.) uidetur deesse aliquid. ut πῶς οὐ καλὸν ὑμῖν. quid si scriptum ὀνη ὀνᾶς μείναρα autem etymologia non fert, sed μείνυτρα.

πρα. infra ἥδιστον δὲ Δελφῶν.) Eusebius habet πλέστον. quod magis probo. Citans hæc libro προπαρασκευῆς quinto, fol. 112. πύθωνα.) rectius hoc, quàm πυθίας, quod est apud Eusebium. Ex quo & alia corrigere licet.

649. 27. Arsalo.) Ἄρσαλον. hos Eusebius legit Ἄρταλον, Ἄρυτον, & Τόσιβιν. Mox Ἄρσαλον.

649. 29. Scirorum deorum.) σκληρούς θεούς. Turnebus sæuos Deos reddidit, perhibuitq; in eorum nomen exsecrationes fuisse conceptas. Apud Eusebium non legitur σκληρούς, sed σκιρούς, quam lectionem non puto parui pendendam. Cur eos sæuos uocarent Lycij Deos, quos neglecto Saturno posthabitoq; colere cepissent? & quos ut suarum quibus alios agerent dirarum quasi exsecutores esse uellent? sic enim accipio κατάρᾳ ὧδε τῶν (τούτῳ legebatur. sed Eusebiana lectio melior est, cum de omnibus agatur τοῖς περὶ τὸν Ἄρσαλον) ποιεῖσθαι. Cur popularibus suis & ducib. ab alienigena interfectis hoc tituli ponerẽt? Et ἀπὸ τῶ σκιροῦ cum etiã inuenerit Mineruæ cognomẽtũ, mensisq; apud Atticos σκιροφορίων, non puto temerè hoc uocabuli hinc amouendum. Non fortasse de nihilo sit, putare eos fuisse gypseos positos, id est, ut rudius loquar, statuas eis uel imagines è sciro (siue gypsum est, siue marmor, nihil hîc ad rem) positas, & diuinos honores decretos. Sed hoc alibi, uti spero. Mox pro θεολογημένων legitur apud Eusebium μυθολογημένων quod probari potest nam agitur de dæmonibus, quorum res fabulosis uidebantur intextæ narrationibus. Ego tamen nostram lectionem melius ad ea quæ sequuntur, quadrare iudico. itaq; relinquo monuisse cõtentus. ἄλλος) ἄλλως Eusebius περὶ ἐρθῶς) hoc multo est, quã ὃν ἐρθῶς, concinnius.

650. 8. Ad Platonem pertinerent.) μὴ ταῦτα προσήκει. lege non προσήκειν. sed ex superioribus constat huius emendationis ratio proxima enim pagina dixerat Cleombrotus, περὶ Πλάτωνα παρίσχει σοι τῷ τὸ ἐνδόσιμον. Sed profectò legendum pro μὴ ταῦτα puto ᾗ ταῦτα. Et uereor, ne Cleõbroti oratio de nominib, deorum & geniorũ sit mutilata. Versu abhinc sexto locus est

mutilus, quem restitui sic posse existimo ἄφιξιν ἢ πλάτων ἢ ὁδὸν (pro ἐξ ἃ accipiendum, malim quidem ὅτι. σωτηνιν (σιω facilè in σὺ abijt.) &c. cur pro τοῦτ' ἐφιω πόρι τ. μ. &c. ἐφι legerim, quis non uideat? Quinto post uersu. 651. 18. Encontemplator.) ἔι τις θυητὸς ηχὲι ἐπικλ. lege etiam in Aldino est θυμηδὴς, adeoq; Turnebus uenatorem uerterat. Ego Homeri coditem nullum uidi, qui non haberet, quod reposui, θυητὸν, ne afferam rationem cur θυητὸς sit alienius. Eustathius ἕκαμαχιμόν τῶν ἐξω interpretatur. & uerbum θεῖαδαι alibi est apud Homer.

Τὸν δ' ἄρα πάντες λαοὶ ἐπήρχόμενον θειωντο.

Odyss. β. 13. atq; aliàs uersus de quo agimus est non procul à fine libri XXI eiusdem operis. Paulo post ἴππανος ὁ Ρεῖνος. Sic & Aldus, & Turnebus. nostri ἴππης, malè. sanè ita disertè per ypsilon à Suida scribitur, ut series litterarum η in scripturam nullo modo recipiat. & Hippys apud Plutarchum nostrum aliosq; frequenter nominatur. Inde ἕως καταλαβεῖ τὸν λογον. reponitor καταβαλεῖ. quod hîc quidem nihil puto posse. Verum sensum esse arbitror, Platonem nulla probabili confirmatione munitam suam sententiam proposuisse. idem legisse uidetur Turnebus, quanquam diuerso sensu, qui euertere usurpauit.

652. 17. Sibi inquit videri.) in Græco ἄυλη est uitiosum: legi αὐτῷ. quinto post uersu, sententiæ, ibidem ridiculum est διὰ αὐτὸς: quod non ita procul abest à scriptura διανοίας, quam credo esse posse ueram. certè sententiam uocabulum significare debet, quodcunq; tandem sit.

653. 1. Fieri enim sic quoq; potest.) ηχὲ γὰρ ὅσον ὄφιν. nullum hæc uerba sensum gignunt. legerem libenter ὅλον τ' ὄφιν. ita unica litterula subleuaret loci incommodum. Mox ἐπιτα τῷ θεῷ.) Aldus τὸ τῷ θεῷ habet. Turnebus omisit. Videtur mihi à multitudine Deorum ad affirmandam mundorũ multitudinẽ ratio duci. aliquot post uersibus, lego ὃ μὴ λοιπῶς πεῖον, ἰδίως ὄφιν. ὁ δὲ κόσμος ὁ λεγεῖαι κοινὸς ἕνεκα, πᾶσος δὲ. Ως τοίνυν, &c. & præcedente uersu pro ὁ δὲ μὴν λόγος, lego οὐ μὴ λόγος, &c. non satis

satis intelligo Turnebus quò respexerit. Meam sententiam exponam, qui melius aliquid habebit, proferat: cedam cum bona gratia. Omnia eiusdem speciei individua (ut logicè loquar) habent quippiam inter se ratione formæ commune, & tamen suas ποιότητας quasdam, sua accidentia, quæ simul omnia in alio non insint, atq; hac ratione ipsa inter se differunt: uerbi gratia, omnes homines habent communem naturam, neq; tamen ullus homo prorsus cum altero idem est: ut plurima communia habeat, habet tamen peculiare aliquid, quod eum ab alijs distinguat omnibus. Mundus ergo, cum ipse etiam sit qualis, etiam habere dicatur certa sua quædam accidentia, uidetur ijs distingui ab alijs mundis. Logicum est hoc argumentum: quàm firmum, non disputo. esse quidem hanc loci huius sententiam, emendationemq; ueram opinor. Paulo pòst pro ὑπολειπομένῳ restituo ὑπολεγόμενον. perspicuum. ἕκαστον λόγος) legebatur λόγον. Sed haud dubiè de forma materiam determinante loquitur. ἔνφορον autem Græca uox ut sit, non uideo. fortè παράφορον: aut, qua uoce infrà utitur, φορητὸν. pro ἐνφορᾷ potuit esse scriptum. φυσικῶς ἔχουσα) lege, non φυσικὰς. Χώρας ὑπάρχειν) uidetur addendum, τοῖ δ' ὄυχι, aut aliquid tale. nam & Turnebus suppleuit pro ἔφη tertio pòst uersu ἔφλω ipsa sententia reponere iubet.

655. 11. Atq; vt extorqueat.) Εἰ δὲ καὶ βιάσαιτο. Locus ualdè corruptus. βίᾳ κινούμενον, Aristotelem ui eò adactum ut fateatur inane esse. Sic interpretere oportet si, quod ui credo, rectè uerba habent. Sed pro ἄτοπον τολμῆσαι quod nihil est, suspicor scriptum ab autore, ἄπορον τὸ νοῆσαι: hæc uerba prope omninò absunt à recepta scriptura, & sensum hunc exhibent. Si etiam extorqueatur Aristoteli esse inane: tamen adhuc intelligi non poterit, quæ causa sit cur corpora naturalia suum quodq; locum petat. Iudicent docti, qualis hæc sit mea coniectura, aut potiùs rectius aliquid depromant.

656. 35. Loco cohibere.) καὶ τὸν τόνον. firmitatem Turnebus, ego quid hîc τόνος faciat, non assequor, & subtilius uideo

posse, quàm uerius defendi. τόπον si legas consentanea disputationi institutæ erit lectio. Paulo ante pro ὄνησιν uide an legas νόησιν, quod cur opinionem uertam, ipsa disputatio monere te potest.

658. 8. Quomodo simulacra.) ὥσπερ ἀγαλμάτων. fortè ὥσπερ τὰ ἀγάλματα τῶν ἑαυτῶν προς. infrà ἐκείνων ἑαυτῶν παρομένης, lego ἐκεῖνον.

661. 2. A' tenuissimo & simplicissimo.) τὸ ἁπλούστατον καὶ ἁπλούστατον. inepta me hercle lectio. fortè τὸ εὐπλούστατον, ut paulo antè.

662. 14. Signum est.) ἔστι σῶμα. malim σῶμα, sicut deinde uocem ἐκεῖνον usurpauit. Nam cubo ἢ σῶμα seu στερεὸν, per accidens, & non διαφέρει tribui istam comparationem stabilitatis, è doctrina Analytica est notum. Paulo pòst ὁμοειδέρον τῆς αὐτῆς. lege τῆς ταυτὸ, alioqui nullam elicies sententiam.

662. 34. Infinitas.) ἀπειρία λείπεται legebatur ἀπορίας. Notum est uel ex Pythagoricis systæchijs meam lectionem esse ueriorem. & pro στρὸν reponatur κυρὸν. nihil enim tam discrepans ab infinito uidetur esse atque est τὸ στρὸν. inane autem & infinitum cognata essent, si essent.

664. 26. Multæ autem quinque.) πέντε συχνὰ. deest aliquid. Cæterùm mulierem quinque fetus edere uno partu frequenter, est etiam in problematis Romanis capite secundo.

665. 26. Pleniùs similitudine.) ἐκείνῃ τὸ συμβαῖνον. Locum hunc miserè fœdatum Turnebus ex eo autore unde erat desumtus, affabrè restituit. sunt enim hæc è Timæo Platonis deprompta fol. Basil 486. πλοχανῶν autem, non ut habetur apud Platonem πλοκανῶν, Suidæ secutus lexicon, qui scripturam, serie litterarum comprobante, ait πλόχανον esse πλέγμα ᾧ ὁ σῖτος λαμβάνεται Pollux lib. 5. cap. 4. τὸ πλόκαμον cratem ad uenationem adhibitum uocat, si tamen rectè legitur. pro ἄλλας ἴσχειν πρὶν ὑπ', est uitiosè ἄλλαις δὲ πρὶν ἐπ'. Pro ὡς ἔχειν τὸ

πρῶ

πᾶν ἀνὸς, apud Platonem est ὥσπερ ἀνὸς ἴχειν ἅπαν, ὅταν ἀτῷ τινὸς θεὸς. In Aldino post ἀνὸς erat αὐθίως ἄπειρον, quod omisit nostra editio, cùm appareat scripsisse Plutarchum κοὐ θεὸς ἄπειρον περὶ φύσιν.) Calligraphia (puto) hoc πρὸς suggessit, lego κατὰ. Paulò infrà ἄλλων φύλλων.) hoc nihil est. fortè φυλῶν, ut legisse uidetur Turnebus. infrà ἀλογωτόρων legi. nam legebatur perineptè αὐολογωτόρων. fortè particula κοὐ etiam præmissa uerbo ἀλογωτόρων id mendum peperit.

666. 24. Hæc quoq; Academiæ.) λαὸν τῆς Ἀκαδημίας. Quid sim secutus, liquet. certè locus mutilatus restituetur suæ integritati, si legas κἀνῆλθε τῆς, &c. & hanc sententiam uersio Turnebi probat.

667. 10. Differre videtur animus.) λοιπᾶ ψυχὰν. locus mancus. fortè λοιπᾶ ψυχὴ πρὸς ψυχὴν. Sed uerba παρόντι βίῳ προσφέρειν aliquid desiderant. Versu autem altero ἐμποιεῖσθαι omnino legendum erit, non ἐκποιεῖσθαι.

668. 11. Sicut enim Sol.) λελιπσοντος. ὥσπερ. Quæ in medio interiecta sunt horum uerba, non sunt Plutarchi, sed lectoris: qui cùm sibi summam eorum, quæ hîc disputantur, annotasset, σημάνσεως illa librariorum incuria, quod non est infrequens, in textum irrepsit. itaq; ergo totum isthuc expungito.

668. 28. De Arna datum.) περὶ Ἄρνης. Sic legendum, non Ἄννης. Est autem Arna Thessaliæ urbs, colonia Bœotorum, de qua oraculum:

Ἄρνη χρησύσσα μίνυε Βοιώτιον ἄνδρα.

Eustathius in principiũ Bœotiæ Homeri, & Stephanus in Ἄρνη, ibiq; nos plura. fortè ex eo oraculo est, id quod hîc Plutarchus citat. Simile est in oraculo Delphico Lydis dato apud Herod. πλησίον γὰρ λωφοῦ ξυοίημι, γνοὺς δ' φωνεῦντος ἀκούω. Meminit B. Tertullianus de Oratione.

669. 7. Optimus is est.) Μάντις ἄριστος. Tullius aliter reddidit, si quis eum malit audire:

Bene qui coniecit, uatem hunc perhibebo optimum.

Noster cum sequentibus meliùs cohærere uidebatur.

670. 4. Hæc est enim illa Heracleti.) αὕτη γὰρ ξηρὰ ψυχὴ. Talis, inquit, est ea anima, quam siccam Heraclitus uocat, & præstantißimam dicit. Planè ita locutus est in Romulo, ἀποδίωσιν tractans. αὕτη ψυχὴ ξηρὰ ἀρίστη καθ' ἡράκλειτον. Heracliti nempe fuit sententia, animam siccam esse optimam. Itaque hîc quidem Turnebo minimè assentior, qui Galeni locum citans in quo deprauatè αὐγὴ pro αὕτη scriptum est, in dubium uocat nostram lectionem, & è Galeno putat castigandam idemq; etiam mendum insedit libri octaui de præpar. Euang. Eusebij fini. Cæterùm non multo antè uox ἀφαιρῶται est suspecta. Et mox τινὰς αὐσίγεα. Si legas αὐσίγειαν, & distinctionem quæ est ante ἀνὴρ ὅλην in coli notam mutatam his ipsis uerbis postponas, locum (puto) correxeris. Illa autem πρὸς μίχος πρὸς πόρος ἀέρας omnino sunt uitiosa, & quomodo Turnebus legerit, diuinare non ualeo. pro πολύπυρον quidem non dubito quin legendum sit πολύπορον. ἐσφυγξι autem pro ἐσφυσι quod propè abest, neq; huc quadrat, reponerem: & mox ἐπίχει, ubi legebatur sensus detrimento ἀπίχει. Quod ad uersum Empedoclis attinet, πρόνον uix puto genere feminino usurpari. Quid si sic?

Βύσσῳ ὑγλαύκοιο πρόνος καταμίσγεται αὔδος.

671. 18. Exhalent.) Sensu ducti ἐπιρρίπτας, & προσεπᾶσι legimus, pro ἐπίρρεται & προσεπᾶν. 671. 31. Aliquanto pòst tempore.) Διὰ χρόνου ἐπιφαινομένη, mendosè. Διὰ χρόνος legendum, quod Atticè significat, longo pòst temporis interuallo. & ἐπιφάνεται aut aliquid tale structura requirit in Aeschyli uersu ὠτόβυκτον lego. non enim α pro η hæc agnosco. ἐν Καρύστῳ πέρας, Venæ Turnebus nescio an rectè, & cur. Ipse lego πίτρας. Vide ad hunc locum historiam XXXVI mirabilium Apollonij nostri. πρὸ οἱ πάντων. οἱ abundat, aut ἦσι fuit.

672. 35. Pulcra, si diis placet.) πλὴν καλὼ δὴ πρὸ. Videtur legisse Turnebus, Διὰ πλὴν καλὼ, &c. & pro πρὸ φυσιο-

λόγον, φυσιολογίαν, nisi subaudias φιλοσοφίαν. nam, quod ex Lucretio, Ciceronе, Plutarcho, aliisq; notum est, Epicurei freti sua philosophia animos hominum religionis iugo liberabant. Locus est uitiosus. infrà τὶ μαθόντες. malim παθόντες.

674. 17. Siue trematvictima.) αὔτε ποιῆται τὸ ἱερεῖον. trematconcutiatur: mendum. fieri potest ut sit πτοιῆται. Paulo antè ὑπὸ τῶν καταστάσεις, constitutiones significat, id est, uacuitatem uarijs rum & turbulentarum affectionum, quas ei Enthusiasmus iniecit. uide infrà. ἐν τοσούτοις. ἐν deest. & pro ὑμῖν, restitue ὑμῖν. infrà. ὑποπρατηρίδιον, non ἐπιπρατηρίδιον: Turnebus ex notissimo Herodoti loco, qui est libro primo. Ex quo, & re ipsa apparet pro φύσις legendum βάσις.

676. 1. Sinopidi rubricæ.) Σινωπὶς. Rubrica sinopica, de qua Plinius & alij, non Σινώπις. Illud autem σιδήρῳ λέξαν, palàm est falsum, malimq; cum Turnebo τεχνίτης aut γραφέως. nam σιδήρου planè inculcatum est ab eo quod sequitur. Feci autem has orationes interrogatiuas sicut sunt. Homeri de stomosi locus est Odyss. 1. 393. Sunt sequenti pagina multa mendosa. Sed onerare coniecturis lectorem nolo. In mea uersione liquet, quid legendum suspicatus sim. Secutus est suos uel codices, uel sensus Turnebus. cui me non oppono, sed libertate mihi concessa utor. & iudicium eruditorum facio.

679. 7. Intempestiuus & turbulentus.) καὶ ἄκαιρον καὶ ταραχῶδες. Hæc substitue, ut affinissima mendosis, & à sententia alienissimis istis ἀκρόαμα καὶ πρακτικόν. atq; ita legisse Turnebum apparet. & pro ἔνλεον ὦν, quod nihil significat, ἐνλοιῶσα.

679. 24. Mente captam.) ἔμφρονα. Turnebus ἔκφρονα se in manuscripto libro ait legisse, quod est mente abalienatam. non iubeo quenquam nostram mutare lectionem, quam tantus uir retinendam iudicasset, sed tamen mihi ἔκφρονα huic narrationi uidetur magis congruere. sequatur quisq; quod uolet.

679. 36. Omnia debilitantur.) ὑφ' ἕ, legitur ὧν. Sed

haud dubiè rectum est, quod expressi.

IN LIBRVM DE EI APVD Delphos.

680. 23. Nolo tibi dare.) ὁ βούλομαι. non scribo cõmentarios. Sed quando hodie docti in eo sunt, ut quæ ex Græcis poëtis Latini transtulerunt, aut saltu similia eorum ipsi luserunt, exhibeant: horum uersiculorum paraphrasin de quinto epigrammatum Martialis libro quasi condiendarum annotationum causa, & fastidij superiore libro concepti amoliendi gratia, adscripsi.

Odi dolosas munerum, & malas artes.
Imitantur hamos dona: namq; quis nescit
Auidum uorata decipi sarum musca?
Quoties amico diuiti nihil donat,
O Quintiane, liberalis est pauper.

Illud hîc propter rudiores annotare libuit, literam ε à Græcis non modò ε ψιλὸν fuisse appellatam. sed etiam ει. quod non tantùm hoc in libro occurret: ut ε aliquoties dicatur littera. sed etiam apud Eustathium ad initium Iliad. ε. inuenies causam explicatam. quam Nigidio Gelliano possis opponere. 19. 14.

681. 23. Eorũ memoriã.) τῆ τῶν λόγων αὐτῶν. huic loco deest uerbũ ἀναμνησθεὶς aut aliud simile. infrà uersu sexto, τῶ φιλοσοφεῖν ἐφι. potest hæc lectio tolerari, sed mallem ἐφυ, si libro autore id possem. nã scriptus codex noster hoc quoq; libello caret.

682. 34. Quæ non dici abs re.) ἄπο σκοποῦ. hoc requirit Græcæ linguæ ratio, à Budæo & alijs copiosè exposita. nos habebamus ineptè ἀποσκοπεῖν. Sed & Aldus ueram lectionem expresserat.

683. 28. Si victoria sint potituri.) ἐὰ νικήσειν. Sic etiam Aldus. nos habebamus νικήσειν, malè traiectis litteris. Notum est, multis oracula data, quærentibus utrum Olympico aut alio certamine uictoriã essent adepturi. Naogeorgus legit, ἐὰ νικήσειν, an sint concepturæ. quæ lectio ut nihil habeat absurdi, ita unde sumta sit, nescio. certè cur prior ob cõiecturã loco moueretur, causa

causa fuit nulla. pluresq; adeò existimo uiros de uictoria, quàm de fetu concipiendo feminas consuluisse Idem ἐν πυλάαις paulò antè ineptè uertit, è confessu Amphictyonum. cùm fuerit uertendum, è triuio petitum. quomodo πυλαῖνα alibi etiã usurpat Plutarchus in Pyrrho. Et in libro de facie in globo Lunæ, θαυμαστοειδ τινος ἀπορροὴν περὶ πυλάων καταπετασάμενοι. 781.

684. 3. Si mihi manum.) Archilochi uersus accepi ut finem senarij & integrum. de quo non pugno. Eorum quæ sequuntur sententia est, in εἰδε particula optandi, δε non significationem mutare, sed ita appositum esse, quomodo ὅλῳ seorsim positum, implet locum potius, quàm significationi aliquid addit. Cuius exẽpla duo ponit ipse, σώφρονος ἅμα τ' εἶναι ὅλῳ δοκεῖν μ' α. Σώφρονος nomẽ est propriũ. poëtæ Sophronis: cuius extra Plutarchũ mẽtio apud Suidã, Zezas, Stobæũ & maximè apud Athenæum. Homerica sunt Menelai ad Euphorbum Iliad. ρ'. 29 à librario uitiata. Interpres cum se non expediret, usus est hoc cõpendio, ut præteriret re dissimulata. Quinq; pòst uersibus Ἀλλ' ὅτε μὲν, ἐφη. non ἐφλω. nam hæc Theonem loqui, non Plutarchum. constat ex sequentib. rursum post aliquot uersus μόνος ἐ'χων ἐ'ννοιαν, noster μόνον. Aldinus μονεν: sed μόνος requiritur.

685. Quæ præterierũt.) πρόσ' ἐόντα. non πρῶτ' sed πρότ. & quæ antè. Explicat Homeri de Calchante uersum, Ilia. α. 70.

Ὃς ἤδη τὰ τ' ἐόντα, τὰ τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα.

686. 7. Quippe qui statuamus. Ε'ι.) ἡγεμένος δε. Aldus ἡγεμένος ὡς δε. noster ἡγεμένως δε ὡς. Sed nostra lectio plana est, & unã emẽdauit ex Aldina litteram. Sed & in sequentibus ποιεῖ, ἀρχὴ, ποιοῦται lego, pro ποίειν, ἀρχῶ, ποιοῦτα. quæ mutatio est Grammatica. scribo & ἐπωνόμασται pro ἀπωνόμασται, uocabulo insolente. Talia sunt etiam ἔ'τι pro ὄφι, & ἄγονος pro ἀπόγονος restituenda. quæ quidem uox ipsi sensui repugnat. nam par ἄρτιος dicitur, quatenus cum pari compositus imparem procreare nequit. impariũ aũt duorũ ἀπόγονος esse par omnino solet: nascitur enim duobus compositis imparibus, in

quibus τὸ γόνιμον eo nomine ineſt.

689. 25. Ego præteriens.) παρελθὼν. Hoc requirit ſenſus, reſpuit προελθὼν. quod ſefellit interpretem. Cæterùm Platonis ſententia hîc mutilata repertur de quinq; mundis: de qua ſatis prolixè diſputatum eſt in libro de defectu oraculorum. inde repetet lector. Sed & ſuperiora de Baccho & Apolline uitiata ſunt. Mox κόσμον ηκει.) Scribendum κόσμων.

690. 34. Tactuiq; renitentem.) παρασχεῖν διτὸν ὄγκον ηκὶ αὐτίτυπον. neſcio quid ſibi uelit hîc διτὸς ὄγκος, ac ſuperiore uerſu ὅτι μὴ δύρο. illud μὴ ocioſum, aut uitioſum iudico. & mox pro ὃ ἄψυχον, credo ὃ ἔμψυχον ſcribendum: & paucis poſt uerſibus, ἐξικνούμενα Græcum non uidetur, fortè ἐξινυσμένα. nam ἔχοντος τὸ ἀριθμῶ pro ἔχοντες ſcribendum fuiſſe liquet.

692. 7. Cùm comperiſſet.) πυθομένους φησι. Locus hic mihi admodum eſt ſuſpectus. Sententia quidem hæc eſt, Platonem cùm in Sophiſta, tum in Philebo ita de quinq; rerum principijs diſputaſſe, ut à ſe eam rationem excogitatam uellet uideri. Idem autem ei quod Anaxagoræ euenisſe. Nam ut is deprehenſus eſt uetuſtam de Lunæ illuminatione rationem ſibi falſò arrogaſſe: ita multo ante Platonem tempore quendam perſpecta quinq; principiorum ratione, E apud Delphos conſecraſſe. Is hîc uocatur (ſi rectè tamen legitur, quod non credo.) πυθόμβνος proprio nomine. pro φησὶ, aut φασὶ, aut φημὶ apparet legendum. Sed λύο falſum eſt. & unicum fuit ligneum, de quo diſputatur, ut ex hoc ipſo libro patuit fortè ἀλλὰ τοῦτο τὸ. Et pro ἐπὶ τούτοις ἴφη, legendum ἐ φλω, uel ſequentia docebunt. quæ de ſortitione dicuntur, confuſa ſunt, utcunque ſenſu ſe prodente.

693. 21. Perpeſsionibus & mutationibus obnoxiæ.) παθητῶν ηκὶ μεταβλητῶν ſic omnino legendum eſt. Legebatur παθημάτων μεταβατῶν. perperam. Itaq; ex Euſebio corriges, atq; omiſſa repones. is enim lib. XI. προπαρ. totum hunc locum ex profeſſo ad uerbum refert. Paulo ſuprà ἥλιω τὸ εἶναι προσαγόρευσιν. Euſeb. τὸ ἅ. Μυλλεποτε λέγειν.) & in Aldino, & apud

apud Euseb. λόγων rectè est, non λίγων, quod librarius submittens, uitium loco obtulit. Talia multa inuenias in libris recentibus, deprauatis, & quasi deficiente industria degenerantib. à bonis exemplaribus ἴσασθαι quoq; repone pro ἱστάσθαι ex Eusebio. Sed & alia quædam inde transtulimus, mirificè deprauata, & in quibus olim emendandis quanquam coniecturis uerum pœnè eramus assecuti, tamen cõdici Eusebiano maluimus omnia accepta ferre. quippe hoc tutius.

694. 35. Priùs elangueſcentibus radijs.) Scribendum ὥσπερ αὐγὰς βλωμένους. legebatur ἀχμῆ quod in ἀχμὰς cuspidem mutârat Naogeorgus, & in securim Ferronus interpres, & ridiculam fecerant sententiam, atq; hunc miror Eusebij locum, quem citat, non contuliſſe cum codice Plutarchiano. Sensus uerus ita habet: Sicut (inquit) nimis remotam rem inſpicientibus neceſſe eſt prius uiſus radios euaneſcere quàm rem perfectè uideant: ita in ipſa temporis conſideratione eius noticia nos effugit. reliqua etiam monſtrosè erant corrupta.

695. 30. Extra templa degentes.) ἔξω διατρίβοντας. nimirum extra templa domi ſuæ priuatim degentes. legebatur in Aldino ἐξώδια τρίβοντας. itaq; ille multa mendorum millia ſuſtulit corrector, ut hoc præterierit. quod interpretes in iocularium ut inciderent errorem fecit. Vertit enim exodia terentes alter: alter, exitum ſibi procurantes uerè decepti à ſe aut librario fallacia compoſitionis ac diuiſionis. Tertia ſurſum linea ἰὸν ὦ ſcribendum pro ἰὸν ὦ, quod nihil eſt. Sagittarium, hoc eſt Apollinem, Ἰόβιον uocari, uel ex Suidæ collectaneis diſci potuit. uide Euſtathium in Iliad. ο. ad uerſum 365.

Ὣς ῥα σὺ νῦν φοῖβε πολιὴν πάματον περὶ ὄϊσιν.

Notum eſt ἰὸς, ἰὸν, &c. ſolum ſignificare: neq; noſtrum eſt id huc coactis exemplis docere. Locus Homeri eſt Iliad. ϑ. 141. de ſauciato in confuſione fœderis Menelao.

Ὣς δ' ὅτε τίς τ' ἐλέφαντα γυνὴ φοίνικι μιλτοῖ.

696. 16. Rurſumq; ſeipſum diſipet.) ἅμα σπᾶσιν.

uerba hæc non cohærent, neque mendo carent. Refutat autem ea, quæ suprà disputabantur de Apollinis in ignem, & alias res mutationib. fatalibus, ob quas etiam Dionysius diceretur. pro διατατέινοντας ἀσι πρὸ legerim libenter πρὸ διατατέινοντες ἀς. ταύτῃ πόρι τὰ ὅλα.) Sic legendum, non ταύτλω. Sed σωτιθεμένη & διαχεομένη non sunt recti, ucrum tertij casus. Sub finem φωνὼ ἐφινοβλίσιν.) confusa hæc sunt, & (ut puto) manca.

AB AVTORE ADIECTA.

Fol. 701. Versu 27. Versus non sunt integri. mox Apollini irasci.) lego ἐπιλύψεται δὲ τῷ Ἀπόλλωνι χαλεπὰ. Versus autem sunt Aeschyli, & extant in fine 2. πολιτειῶν Platonis. Quod autem dicitur de sacrificijs tibia carentibus, id autor noster Minoi acceptum fert in salutaribus præceptis.

34. 18. Aeris quandam purgationem.) ἄϊρος τινὰ πάθαρσιν, & τῷ πυρώδει, legendum duxi. & scriptum coniecturam meam comprobare deinde comperi.

35. 27. Non copia auri.) Videtur mihi dialogismus esse cuiusdam opulentum ob diuitias prædicantis beatum, & grauiter respondentis diuitis. Melius autem sic expressissem: Te copia auri gauderc, haud istos decet. Posteriores senarij sunt mutili.

Fol. 703. Vers. 16. Condimentum enim animi sunt salubria dicta atq; præcepta.

FINIS ANNOTATIONUM Tomi primi.

RERVM ET VERBORVM IN HAC PRIMA PARTE MORALIVM PLVTARCHI MEMORABILIVM, Index Alphabeticus.

A

Abrota 610.14
abstinentia sophistica 306.34
abstinentiæ gloria 310.27
absurdè dicta 35.37
Acanthus 615.20
accusationis et defensionis exempla 136.5
accusationis liberæ cautio. 216.32
Aceſtor Ephippi filius 617.33
Achæus 287.32
Acheron 277.5
Acherontis fretum 386.1
Achilles 28.30, 33.17, 47.9, 51.1, & 10, 53.20, 61.11, 112.10, 113.34, 124.5, 131.31, 135.16, 140.36, 143.7, & 34, 146.2, 152.30, 192.27, 206.24, 216.2, 219.17, 274.12, 289.33
Achilles rei medicæ peritus 46.21
Achillis epitheton 121.27
Achillis laus 119.11
Achillis votum 70.15
Achillæō Tanagræis quid 617, 30
Achrades 624.20
aciei instructio 143.17
Acmæon Leſcha 616.17
Acrotatus 468.15, 508.24
actiones humanæ elementis comparatæ 97.32
actionum absurdarum pictura 31.11
actionum examen 230.29
actionum fuga 328.21
actionum honestarum confirmatio 438.30
actionum inter se comparatio 97.25
Ada regina Cariæ 406.16
Adæmantus 415.5
adfectuum coercitio 156.20
adfectuum conſequens 155.8
adfectuum diſcrimina 118.13
adfectuum mediocritas 269.15
adfectuum moderatio 18.2
adminiſtratio Reipubl. 21.19
admiratio 46.8
admiratio dicentis temporalis 162.3
admirationis cautio 160.26
admirationis nimiæ origo 166.21
admonitiones coniugales quales eſſe debeant 335.25
admonitiones vt audiēdæ 170.7
admonitiones vtiles 216.4
adoleſcentis illiberalis ſignum 170.25

adolescentes vt regendi 20. 10
adolescentum differentia 231. 27
adolescentia lasciuiens quomodo dometur 23.15
adolescentiæ lasciuientis remedia 23.16
adolescentiæ vitia 20.18
adrastus 53.30, 63.10, 245.9
adsentatio superciliosa 192.37
adsentatorum oratio 22.5
adsuefactio ciborum 306.25
adsuefactionis vis 4.25
aduentus prænunciati causa 558.30
adulantiũ laudes exitiosæ 188. 28
adulatio 483.36
adulatio aperta & manifesta 177.20
adulatio assurgentium 191.24
adulatio auarorum 195. 12
adulatio crudelium principum 195.18
adulatio stupidorum 195.23
adulationis amoliendæ cautio 176.1
adulationis deprehendendæ difficultas 178.20
adulationis effectus 21.34, 175. 27
adulationis occasio 174.32
adulationis occultæ effectus 178.8
adulationis remedium 196.35
adulationis suspecti qui habendi 177.1
in Adulationibus vocabulorum abusus 187.36
adulator erga sapientiam sibi arrogantes 190.14
adulator inter mulierculas 190. 3
adulator quando maximè cauendus 188.35
adulator qui cauendus 177.34
adulator quomodo deprehensus reprehendendus 182.15
adulator tectus 177.34
adulator turpium imitator 183.3
adulator verus 177.16
adulator vt capiendus 197. 22
adulatoris ab amico voluptatis ad finẽ relatione discrimen 184.35
adulatoris cognoscendi impedimenta 198.9
adulatoris cognoscendi peritia 176.9
adulatoris comparatio 202.29
adulatoris consilia qualia 199. 17
adulatoris deprehendendi ratio 181.32
adulatoris erga agrestem mores 189.1
adulatoris erga elegantiores mores 189.5
adulatoris & amici discrimen 177.11, 186.16
adulatoris facies 176.36
adulatoris finis 185.18
adulatoris in congressu mores 198.27
adulatoris in bonis rebus mores 184.22
adulatoris in prauis rebus mores 184.15

adula-

adulatoris natura 197.5, 203. 17 (199.8
adulatoris promissio qualis
adulatoris qualis oratio 197.14
adulatoris signum 201.36
adulatorem excutiendi ratio 178.16
adulatores erga seipsos 190.5
adulatores quibus insidientur 175.20
adulatores quibus similes 194. 20
adulatorum artes 178.26
adulatorum bona imitantium artes 184.10
adulatorum consilia 197.30
adulatorum consuetudo 175.
adulatorum diuersitas 200.2
adulatorum fuga 21.30
adulatorũ genera 196.30 (211.15
adulatorum in aduersis mores
adulatorum insidiosè laudantium artes 189.10
adulatorum mores 22.8
adulatorũ mutabilitas 180.18
adulatorum obsequia qualia 198.22
adulatorum officia 202.24.
adulatorum vox 182.5
adulatoria libertas circa quæ versetur 193.32 (6
adulatoria libertas qualis 193.
adulatrices Cypriæ 177.29
adulteræ pœna 604.28
adulterij pœna 46.30
aduersitatũ inæqualitas 275.35
Aeæa insula 112.25
æacus 303.27
æclus 612.35
æginæ 67.9, 453.22
ægisthus 139.34, 151.7
æglator 534.18
ex Aegrotantibus quæ sumenda vtilitas 317.30
ægrotorum natura 267 17
ægyptiorum consuetudo 396.36
ægyptiorum in conuiuiis mos 350.25
ægyptiorum in mortuis corporibus consuetudo 370.11
ægyptiarum mulierum consuetudo 340.18
ægyptus 26.3, 188.18
Æenautæ Milesij qui 616.7
æmilia 591.5
æmilianus rhetor 645.8
æmilius Scaurus 578.4
æmilij Pauli dictum 337.35
æmulatio beneuolentiæ vnde petatur 341.31
æmulatio nõ necessaria 250.37
æmulationis beneuolentiæ remedium 341.34
æmulationis vis 414.34
æneas 559.10, 574.15
æneanes 614.6
ænigmata 682.4 (21.5
ænigmata Pythagoræ explicata
æoleæ 618.18
æqualitas 481.32, 484.10
æquanimitas aduersus inimicos 248.30
aër quid sit 101.1
aër vnde fiat 660.17
aëris boni vtilitas 148.19
aëris situs 99.24.
ærarij locus Romæ 574.
æs optimum 208.22
Aeschynes 19.26, 207.31
æschylus 52.35, 229.2

Aeschyli fastus 228.6
Aesculapij fanum 595.10
Aesopus 353.37
Aesopi fabula 25.1, 28.1, 364. 25, 366.28
ætas hominis 639.21
ætatis hominis spacia 289.16
ætatis seu æui significatio 638. 23
ætatum propria facta 145.10
æternitatis et vitæ temporis com paratio 285.15
Aetha 58.5
æther quid sit 100.5
aex 607.22
Affabilitas 16.25
affectio animi cuiusque 52.34
affectionũ animi indicia 340. 28
affectus boni 116.8
affectuum causæ et natura 115. 16
affectuũ corporis remedia 148. 33
affectuum examen 236.6
affectuum situs 115.
affectuum vacuitas 236.7
Agamedes 280.36
Agamemnon 28.30, 33.15, 47. 6, 51.1, 58.4, 69.29, 139. 35, 140.35, 143.35, 151.5, 206.15, 216.34, 388.25, 616. 4. 636.17
Aganice 346.2
Agasicles 454.6
Agathocles 400.32
Agathon 401.22
Agaue 385.11
Agenoris lucus 624.11
ager exiguus 431.23
Agesij 204.6
Agesilaus 55.18, 181.26, 186. 24, 227.3, 231.17, 238.24, 425.1, 490.4
Agesilaus magnus 454.14
Agesilai epistolium 456.37
Agesilai mors 465.35
Agesipolis Cleombroti F. 466.4
Agesipolis Pausaniæ F. 466.15
Agis 424.6, 472.25, 485.15, 487.9
Agis Archedami F. 466.19
Agis Argiuus 194.25
Agis iunior 426.16, 468.2
Agis vltimus 468.8
Aglaonica Agenoris filia 641. 10
Agnones 204.6
agricolarum ars 251.6
agriculturæ requisita 3.5
agriculturæ vsus 369.5
Aiax 53.13, 104.23, 135.13, 143.35, 366.2. 388.22
αἰδὼς vox quid significet 110. 37
αἰνὶν 40.12
Alalcomenæ cur dicta Ithaca 621.24
Alastor quid 613.29
Alastores 643.27
Alcamenes 468.26
Alcander 485.24
Alcathoa 618.19
Alcibiades 181.18, 230.17, 237.17, 417.20, 575.34
Alcmæon 63.10, 245.9
Alcyoneus 299.27
Alexander 18.25, 136.9, 140. 8, 192.12, 194.25, 203.35, 204.5, &c. 27, 214.19, 227. 4. 239.

4, 239.2, 258 20, 260.21. 405.20, 450.35, 541.24
Alexander Magnus 308.30, 313.28
Alexander Pheræus 177.23, 429.19, 431.7
Alexander Priami F. 69.22
Alexidas Amphiaraus 613.17
Alexidemus Milesius 352.30
Alia fluuius 565.9
Alimus 367.13
Aliptes ineptus 194.3
Aliterius quid 613.30
allegoria 91.18
allegoriæ 34.9
Allœosis 84.9
alui conturbationes noxiæ 326. 26
alui laxandæ remedia 327.13
Alyattes 360.24
ἀλύειν 39.36
Amantis adfectus 247.16
amantis natura 257.4
Amasis 156.8, 348.18, 544.26
amatores puerorum an ab iis arcendi 19.19
Amazones 625.21
ambitio 451.1
ambitionis fuga 309.23
ambulatio à cœna 325.34
Amestris 392.24
amicus in re gerẽda qualis 199. 16
amicus qualis esse debeat 176. 17
amicus quid sit 253.35
amicus verus 180.16, 185.23, 186.2
amici actiones 198.30
amici comparandi nomisma 254.2
amici delectus 254.15
amici mali reiectio 255.20
amici natura 197.3, 203.10
amici officium 200.19
amici probatio 176.7
amici promissio qualis 199.5
amici veri nota 182.23
amici vmbra 253.13
amici inimici quomodo reddantur 250.32
amici qui sint 373.3
amici quomodo parentur 490. 28
amici simulati 255.10
amici veri 184.18
amicorum consuetudo 256.2
amicorum delectationes 185.9
amicorum fastidium 253.23
amicorum multitudinis effectus 256.9.15
amicorum multitudini aduersantia 254.30
amicorum officia mutua qualia 202.10
amicorum paria 253.31
amicorum quorundam leuitas 254.23
ex Amicis damna 258.18
amicitia 440.6
amicitia meretricia 199.2
amicitia Reipubl. participum 141.4
amicitiæ proprium 259.24, 260.1
amicitiæ æstimatio praua 176. 13
amicitiæ consequens 178.30
amicitiæ contrarium 177.4
amicitiæ dissolutio 255.14

amicitiæ effectus 176.26
amicitiæ falsæ argumẽta 199.1
amicitiæ geminæ requisita 254.25
amicitiæ modus 417.17
amicitiæ onus 257.14
amicitiæ origo 259.3
amicitiæ principium ac stabilitas 178.34, 179.24
amicitiæ pulchritudo 176.19
amicitiæ simplicis vtilitas 256.10
amicitiæ veræ comparandæ difficultas 255.5
in Amicitiã temeritas 255.21
amicitiarum adiuncta 257.20
amisodarus 521.2
ammon 628.32
ammonius 213.11
amnemones qui 605.7
amor cæcus 174.28
amor castus 524.3
amor erga prolem 96.24
amor instabilis 334.16
amor liberorum 463.30
amor libertatis patriæ 545.27
amor parentum in filios nimius 15.6
amor Phrygij ac Pieriæ 531.26
amor sui 174.24
amor verus 230.33, 334.11
amoris comparatio 167.31
amoris diuitiarum augmentum 239.25
amoris mutui causa 365.18
amoris vehementis dissipatio 254.7
amphiaraus 122.10, 284.17
amphidamas 360.31
amphissa 524.14
amplectenda quæ sint 255.25
amuletã 25.26
Anabus 536.32
anacharsis 227.26, 352.4
anacephalæosis 136.32
anacreontea carmina 513.2
ἀναμαχεῖσθαι 480.14
anaxagoras 238.8, 389.22, 675.6
anaxagoras Clazomenius 298.4
anaxander Eurycratis F. 469.20
anaxãdridas Leonis filius 468.34
anaxarchus 406.9
anaxilas 469.23
anaximenes 410.32
anchises 165.35
androclidas Laco 469.26
andromacha 141.28, 142.28
andromache 297.9
andron Pedetes 625.31
ἀνίβγυξ 76.35
anima rei humidæ coitã 113.1
animæ actionum causæ diuersæ 378.20
animæ definitio Stoica 112.32
animæ & corporis coniunctio 113.20
animæ facultates 113.30
animæ immortalitas 110.32
animæ instrumentum 378.17
animæ locus 378.15
animæ nutrimentum 372.20
animæ partes 664.22
animarum mutatio 638.2
animarum transmigratio 112.6

ani-

animal molestissimum quod sit 196.28
animalia brevissimæ vitæ 285. 20
animalium descriptio 152.24
animalium erga Musicam affectio 377.3
animalium genera 691.9
animaliũ præstãtissima 285.13
ex Animalibus vtilitas 241.5
animi conservatio 15.28
animi deliquium quomodo curetur 148.34
animi gradus 222.32
animi humani partes 116.21
animi humani vis 668.1
animi moderatio 11.25
animi obfirmatio & erectio 225.36
animi partes 197.1
animi post cœnam exercitatio 325.12
animi pro domicilio merces 329. 6
animi saucij remedium 268. 28
animorum discrimen 53.2
animi malevoli indicium 399. 37
animorum medela 12,20
animosè dictum 419.8
annibal 432.31
annibal Barcæ F. 522.15
annus Ioui cur consecratus 587. 27
annus quot olim fuerit mẽsium 562.15
anni definitum spacium 639.18
anni exordium 562.37
anni an decrescant 630.10
anseres sacri 596.30
antagoras 411.10, 626.35
antalcidas 423.8, 427.13, 462.28, 469.30
antenor 136.20
anthedon quid 611.16
anthes 611.22
anticleâ 621.25
antigenidas 430.3
antigonus 298.5, 299.26, 409.28
antigonus Macedoniæ rex 18. 32
antigonus secundus 412.3
antigonus tertius 412.37
antimachus 140.12
antilochus 112.10
antiochus 414.9, 434.32, 435. 29
antiochus Accipiter 413.6
antiochus Ephorus 427.10, 470.13
antiochus Philopappus 174.22
antipater 202.8, 202,16, 227. 5, 404.15, 412.31
antipatris amici diuersi 421.22
antipatridas 407.27
antiphanes 227.30
antiphates formosus 415.24
antiphera Aetola 561.21
antiphon 208.21, & 30,
antiphrasis 80.15
antiquissimũ quid 360.5, 359. 12
antisthenes 58.36, 245.29
antolecythi 177.18
antonius 196.9
antonij luxus 188.24
antonomasia 80.6
antro Coratius 555.25

ἄαγ 76.9
Aornus 408.28
Apelles 191.31, 512.33
Apelles Chius 200.25
Apellis responsum 11 11
Aphabroma Megarensibus quid 610.12
Aphester quis 605,7
Apios 624 22
Apollo 101.32, 146.14, 281.1, 681.1
Apollo ac Diana cur sagittarij 146.11
Apollo Pythius 175.10
Apollinis cum dracone de oraculo decertatio 643.1
Apollinis de Principe sententia 358.11
Apollinis epitheton 77.17
Apollinis nomina 681.30
Apollinis ortus 632.23
Apollini proprium 684.15
Aponæa 515.15
apophthegmata anonyma 494 26
apophthegmata quid sint 393. 10
apophthegmatum autor 127. 22
apoplexiæ causa 308.32
Aposphendoneti 606.37
appellationum abusus 187.30
appetitus præter naturam 326. 15
appetitus auersio 310.35
appetitus coercẽdi ratio 311.21
appetitus condocefactio 306 36
appetitus conseruatio 313.31
appetitus nimij remedium 324. 2
appetitus sedes 213 32
appetitionem necessariorum comitantia 371.10
appetitiones vehementes vt arcendæ 313.15
Appius Claudius 441.7
ἄπυ 73.17
aquæ commodum 550.7
aquæ & ignis comparatio 548. 13
aquæ haustus commẽdatio 310. 32
aquæ interitus 551.26
aquæ marinæ vtilitas 241.18, 318.33
aquæ origo incerta 549.5
aquæ præstantia 548 13
aquæ vsus 322.31, 550.15
aquæ vsus necessitas 549.16
aquæ palustres 551.27
aquæ tepidæ vsus 323.20
aquæ viuæ quæ 551.32
Ara cur communis Herculis & Musarum 581.10
ἄραιβ 76.34
Arani litus 615.36
Araspes 238 6
Arbela 406.32
arbitrium 471 24
arcanum consilium 443.30
arcani silentium 407.13
arcanorum enunciatio 398.17
Arcesilaus 186.9, 200.24, 311.30, 543.8
Arcesilai dictum 282.30
Archelaus 401.16
Archemorus 284.19
Archidamus 423.26, 426.13
Archidamus Agesilai F. 471.34
Archidamus rex 2.16

Archidamus Zeuxidami filius 471.9
Archidamidas 471.2
Archilochus 40.24, 58.22
Archytas Tarentinus 13.17
Archytæ Tarentini facta 17.25
Ardalus 353.34
Aretaphila 534.14
Argei quid 569.24
Argileonis 472.8
Argileonis Brasidæ mater 507.36 (516.31
Argiuarum mulierum facinora
Argiuorum consuetudo 624.11
Argiuorum & Thebanorum societas 426.10
Argus 253.9
Arigeus 470.16
Arimenes 395.8
Arionis fabula 373.8
Aristagoras Milesius 508.9
Aristarchus 47.22, 222.25, 238.8, 260.16, 416.25
Aristinus 556.21
Aristippus 127.20, 230.7.
Aristippi dictum 7.22
Aristo 162.37, 470.28, 553.21
aristonis dictum 325.3
aristocratia 139.12
aristodemus 387.30, 410.25, 544.32, 545.20
aristogeto 420.13
aristomenes 214.20
aristophon 31.31
aristotelis halbuties 46.13
aristotimus 526.8, 527.1
arithmetica quid 122.33
arius Alexandrinus 452.18
aromatum vis 265.33
arrogantiæ effectus 204.20
arsalus 649.27
arselis 622.19
arsinoë 18.18
arsinoa 286.20, 618.19
artificum instrumenta 263.30
artificij honos 411.27
artium princeps 553.20
artoxerxes 393.15, 395.25
artoxerxes Mnemon 396.12
artyni qui 604.20
Asiaticorum natura 425.1
asini natura 355.16
asparagoniæ fructus 333.35
assentatio periculosa 178.6
assentationis vis 20.9
assurgendi honor 494.5
astycratidas 472.25
asyndeton 83.36
asyntaction 84.8
ἀτὰρ 73.36
Ate 379.30
ateas 397.24
atelles 66.24
atellij obitus 66.28
athamas 385.10
athenæ 20.6, 181.18
athenienſium laus 401.36
athenodorus 452.31
atheſis 444.34
atrides 33.15
attalus 413.16
attica Coliæ 163.21
attica conſtructio 76.2
attentio 229.13
attentionis conciliandæ modus 72.29
Auari exitus 547.35
arariciæ commodum 540.37
auariciæ effectus 507.7
auariciæ exemplum 518.5

auariciæ impediendæ lex 506. 28
auariciæ vitium 380.25
audacia 52.32
audaciæ descriptio 97.3
audaciæ militaris Spartanorum causa 469.11
audaciæ parandæ ratio 502.18
audaciæ sedes 115.8
audaciæ vis 229.10
audienda quæ sint 165.18
audiendi decorum 158.1
audiendi delectus 156.5
audiendi & dicendi ordo 156. 32
audiendi modus 159.14
audiendi tædium 159.4
audiendi vtiliter modus 25.8
in Audiendo æquanimitas 167. 6
audientium bonum 158.27
auditionis examen 162.25
auditionis finis 163.5
auditionis neglectæ cuctus 157. 9
auditionis vitia 157.12
auditionis vtilitas 156.14
ex Auditione fructus 162.16
in Auditione an & quatenus quærendum 163.35
in Auditione quæ cauenda 168. 27
auditor an præmeditatus esse debeat 168.33
auditor iudicij expers 166.30
auditor molestus quis sit 166. 4
auditor quomodo præformandus 158.12
auditor sibiipsi vt noceat 165.4
auditor vt se accommodare dicenti debeat 164.27
auditoris officium 169.3
auditoris sessio & habitus 168. 16
auditori quid cauendum 158.16
inter Auditorem & dicentem proportio 169.10
auditores molesti 169.22
auditores monendi mos poeticus 340.5
auditorum errata 165.21
auditorum importunitas & curiositas reprehensa 173.10
auditorum vitia 173.3
auditorum inusitatæ voces 169. 16
auditus causa 260.27
auditus natura et potentia 155. 23
augurum sacerdotia 597.10
augurium interdictum 585.35
auguriorum prohibitorum certo tempore ratio 572.7
aulicæ vitæ mutatio 396.29
aulis Bæoticæ 69.30
auium sinistrarum significatio 588.1
aurora 29.17
aures cur nobis duæ 157.31
aurum adulterinum 176.37
auxesis & hyperbola coniunctæ 98.2

B

Babylon 227.1
Bacchus 194.32
bacchus Eleuterius 599.30
bacchi hymnus 617.18
bacidis oracula 513.2

Bactria-

Bactriana 395.9
bagoij 204.6
balnei calidi vsus 321.10
ballachrades 624.15
bannoni 522.37
batheia 434.1
bathyclis poculum 364.6
batracomyamachia Homeri an sit 69.9
batrachus 31.35
battus 186.10
battus felix 543.7
Beatitudo externa 266.4
beatus quis 3.13, 237.36
beati qui 469.7
beatorum post hanc vitam sors 302.24
bellariorum adpetitio 309.20
bellerophontis fabula 521.3
bellum Chiorum cum Erythræis Ionum 516.1
bellum Decelicum 418.7
bellum & pax 15.21
bellum inter Naxios & Milesios 531.29
bellum inter Thessalos & Phocenses 514.28
bellum Lamiacum 421.1
belli lucrum 439.19
belli nervus 436.5
belli occasio 444.27
belli orchestra 429.31
belli sumtus 423.26, 472.15
belli Troiani causa 69.10
bella intestina 460.19
bellorum causa 279.17
bellicosi vnde fiant homines 464.1
benficium in ignorantes 200.
beneuolentia mutua 342.1
beneuolentiæ contrariũ 269.9
benignitas moderata 480.3
beopolitanus 540.31
Bias 156.7, 189.3, 196.27, 348.6, 472.30
bias Priena 612.3
bibendi modus 365.37
bibliothecæ coemtio 13.22
binarius numerus 123.10
bio 192.20, 387.13
bion 38.28, 234.9
bionis dictum 12.10
βιότ& 39.32
bito 192.1
biton 280.26
Blepsus 533.9
bletonesiorum consuetudo 590.18
Bocotarchas 429.27
bœotia 66.26
bœotiæ oracula 631.33
bœoti ritus 573.18
bœotorum reges 139.12
bœotis fluuius 439.10
Bonæ deæ sacello myrtus cur nõ inferatur 563.7
boni agniti neglectus 60.1
boni qui 578.32
boni reverà 166.24
bonũ proximũ à summo 368.25
bonum summum quod 118.30
bona excellentissima 62.5
bona expetibilia quæ sint 120.3
bonorum comparatio 120.30
bonorum corporis & fortunæ æstimatio 62.10
bonorum corporis imperfectio 121.5
bonorum descriptio 293.18

bonorum externorum contemtus 226.15
bonorum externorum sine virtute possessio 64.32
bonorum humanorum comparatio 8.23
bonorum præsentium conseruatio 481 13
bonorum principium 175.8
bonorum vrbi maximũ 574.18
βόμβος 76.34
boopis 617.23
bootes 103 28
boreæ vis & natura 106.1
bottiæorum puellæ 617.2
boum cornua Dianæ in Auentino templo cur affixa 555.20
Brasidas 229.6, 423.29, 453. 30, 472.34
brasidæ metus 222.26
briseis 47. 9, 58. 18, 70. 14, 134.7
briareus 253.9, 257.17
βροντὴν 76.31
brutus 513.13, 570.11, 604. 14
brutorum natura 262.22
Bubulus pes 617.20
bucoliorum genus vnde 609.25
bugaius 617.24
bullarum vsus 597.31
buris 500.23
busiritæ 355.18
butetius 591.7
buzigium 343.23
Byssus mensis 606.7

C

Caecia natura 244.28
Cæcilius Metellus 443.25
Cænei transmutatio 223.5
cæpio 445.21
cæsar 249.2
C. Cæsar 450.14
cæsar Augustus 452.3
cæsaris potentia 448.5
cadauera cur sint frigidissima 552.7
caducarum rerum natura 693. 15
caia Cæcilia 569.1
caij & Caiæ voce quid significetur 568.34
calamitatis communitas 258. 28
calamitatum origo 265.9
calamitatum remedium 290. 20
calauria 611 19
calbia 535.12
calchas 52.3
calcitro 17.18
calendæ vnde dictæ 564.19
calendarum appellatio vnde 564.28
C. Caligulæ 391.7
calippus 401.11
callias Lacedæmonius 463.21
callicles 302.14
callicratidas 487.26
calligeneia 616.3
calliope 69.3
callipides 462.7
callisthenes 204.5
callistratus 429.12, 628.20
caloris interni conseruandi ratio 321 20
calumnia 204.3
calypso 47.35, 119.5, 127.17
calypsonis antrum 93.20

Camertes

Camertes 444.22
camma 538.5
candaules 622.16
canendi genera 125.22
cantharidis pedes ac alæ 38.32
cantharion Arcas 619 30
caniculæ ortus 146.19
canis lignea apud Locros 609. 26
canum natura 578.10, 602.4
cantus interualla 665.2
capheisius 413.31
caphena 519.2
capitis nudatio & velatio 559. 6
Sp. Carbilius 560.36, 581.15, 579.19
caria 518.31
carmen heroicum 72.34, 73.7
carmen senarium 72.35
carmenta 580.26, 581.20
carmentæ templum 580.17
carneades 192.14
caro optima, simul & pessima 156.9, 348.20
carnis crudæ contactu cur interdictū flamini Diali 601. 16
carnis esus effectus 322.4
carnis mendicatoriæ significatio 608.14
carnis natura 601.19
carnes quomodo edendæ 322.14
carthago 260.17, 441,16
caryſtiæ rupis ſtamina 672.2
caſander 407.32
caſsiopæa bos 614.1
caſsius Seuerus 195.7
caſtè factum 413.5
caſtellū expugnādi ratio 403.7
caſtigandi ſub aliena perſona modus 213.10
caſtigandi verbis modus 212. 36
caſtigatio Laconum 503.1
caſtigationes corpori quales imperandæ 327.30
caſtitas 511.10
caſtores 613.14
caſtrametatio 143 36
caſus inſperati 287.15
catachreſis quid 77.20
catapultæ tormentum 472.17
cato 49.29, 52.23, 250.7, 315.2, 321.30, 335.27, 451. 31
cato maior 437.30, 572.24
catonis dictum 24.33
catulus 450.25
cauſæ medicæ 146.24
cauſarum diuiſio 675.10
cauſarum externarum natura 314.1
cauſarum inquiſitio ſuperuacua 49.35
cautio bellica 418.19
cautio imperatoria 443.4
Cebes 19.26
celeritas viſus expreſſa 96.7
celtarum cum Annibale fœdus 518.20
celtiberi 441.12
celticarum hiſtoriæ 518.10
cenſorum mos 578.1
cephiſocrates 200.37
cephiſophon 506.16
cephiſus 469.35
cercaphus 614.19
Cercopes 194.31
certamen Iſthmicum 229.2

certaminum aduersus feras finis 241.3
Chabrias 419.8, 429.33
charea 391.7
charephanes 31.15
chalcedoniarum fœminarũ consuetudo 623.27
chalciœcus 455.9
chaos Hesiodo quid 548.20
chares 419.4
charetes 420.18
charicretes 607.2
charilaus rex 186.31, 494.9
charila Delphis quid 607.13
charilæ sacrificium 607.27
charillus 423.11
cheiromacha 616.9
cherronesus 520.20
chersias poeta 378.30
chiarum mulierum facinora 515.21
chilo 240.28, 350.17
chilon sophista 258.6
chimæra 521.30
chimarus 521.4
chiomara 539.27
chiron 146.4
chirurgi officium 208.5
chirurgia 149.12
chœnix quid sit 80.5
chresmosyne 688.29
chresti qui 605.16
chrysa & chryseis 70.5
chrysæ votum 70.10
chrysantas 572.31
chryses 131.26
chryseis 47.8
chrysippus 56.8, 60.26, 578.12
chrysis 548.20
Cianarum virginum virtutes 523.34
cibi finis 371.23
cibi incommoda 371.28
cibi modici vtilitas 503.23
cibi quantitas 323.13
cibum capiendi ritus 306.30
in Cibo sumendo quæ considerãda 316.5
cibi ægrotantium 306.23
cibi aluum soluentes 327.14
cibi multi nutrimenti 321.34
cibi tenues 321.36
ciborũ auersationis causa 316.5
ciborum delectus 321.33
ciborum differentia 197.9
ciborũ dulcedinis origo & causa 316.1
ciborum noticia 331.10
ciborũ vulgariũ natura 311.21
cicada 95.37
Cicero 249.3, 448.20, 449.6
ciceronis nomen 448.21
cimmeriorũ de sole opinio 389.24
Cinesias 38.22, 390.3
circe 112.23, 119.6, 181.14, 334.24
circi Flaminij nomen 583.23
circuli cælestes quot 664.30
circuli cælestes simul circumacti 103.27
cirra 608.19
ciuis officium 486.24
ciuitas beata quæ 362.8
Claudius Marcellus 432.34
claudia Prisca 346.25
clea 512.6
cleander 25.20, 487.31
cleanthes 56.1, 58.35, 172.26,

26, 186.11
clearchus 210.12
cleadamus 620.26
cletus 214.19
cleo à Daulia 678.31
cleobis 192.1
cleobulina 346.24
cleombrotus 529.10
cleombrotus Lacedæmonij 628. 23
cleombrotus Pausaniæ filius 478.33
cleomenes 183.14, 426.22, 517.3
cleomenes Anaxandridæ filius 478.36
cleomenes Cleõbroti filius 481. 2
cleomenis dictum 470.28
cleonymus 483.29
cleon 214.29
climacides quæ 177.30
clælia 524.25
clytemnestra 151.3
Cnosiorum mos 624.30
Cocytus 277.5
cœlibatus pœna 486.30
inter Cœnam & somnum intercapedo 325.6
cum Cognatis cur non contrahant Romani nuptias 600. 30
cognitio proprij corporis 330.35
cognitio suiipsius 204.22
coliadæ qui sint 609.11
collaudationes à rebus præstantibus ductæ 62.14
collocandi honor 352.14
colloquium vtile 345.10
colloquij vtilitas 319.23
colonus 620.16
colorum diuersitas 567.10
comæ vsus 422.35. 488.21
comæ altæ ratio 423.16
commercia hominum inter se prima 358.35
comitas in colloquiis 16.26
comitatis commendatio 403.16
comiter dictum 422.7
comitiali morbo cur obnoxia capra 601 32
commendatio benedictis præmissa 33.8
communissimum quid 359.14, 360.11
communitas coniugum 341.23
comœdiæ origo 151.12
comparationum genera 95.15
compensatio præter naturam 330.5
concordiæ imago 397.33
concubitus interdictus 467.10
condimenta vbi quærenda 315. 35
condimentorum suauissimum 312.22
condimentorum varietas 331.25
conditio optima quorum 293.6
confirmatæ virtutis signũ 238. 17
congressus amici 198.23
congressus coniugalis 336.35
congressus coniugalis tempus 583.12
congressus cum vxore cuiusmodi esse debeat 2.22
conipodes qui 604.24
coniugalis amor 140.37
coniugium æquale 23.22
coniugium beatum 337.32

coniugium in numeris 687.5
coniugium inter impares 335.1
coniugij diſsidium 577.30
coniugij offensæ grauiſsimæ 338. 10
coniugij partes 341.15
in Coniugio rerum communitas 337.13
coniugij æqualia facta 336.29
coniugum conſensus 335.18
coniugum peccata 342.18
coniugum religio 337.4
coniugibus quæ vitãda 342.28
conon 462.23
conſalium feriarum 577.7
conſequẽtiæ cognitio vnde 685. 16
conſilium liberale 397.4
conſilij mali pœna 64.3
conſiliorum malorũ exitus 41. 27
conſolandi nos modus 297.2
conſortia 487.24
conſtanter dictum 421.8
conſtantis hominis proprium 270.5
conſtantia 49.7
conſtantiæ militaris ſignum 407.2
conſuetudo amicorum 249.37
conſuetudo coniugij prima 333. 30
conſuetudo malorum 20.37
conſuetudo mulierum cum viris 34.34
conſuetudinis humanæ ignoran tia 308.22
conſuetudinis vis 6.7, 171.37, 235.8, 307.6
conſus 577.8
contemplationis veri impedi- menta 279.13
contentio cum inimicis 251.12
contentionum remedia 251.3
contemtui aduerſa 160.24
continentia 58.17
continuationis attẽtæ vis 229. 13
contractus temerarius 21.11
contrariorum conciliatio 35.20
contrariorum doctrina 247.7
contrariorum repugnãtia 101. 20
conuerſiones planetarum quot 664.33
conuiciandi modus 244.15
conuicium falsè retortum 429. 15
conuiciorum audiendorum ra- tio 245.28
conuiciorum effectus 402.22
conuiciorum materia 62.20
conuictus quid 5.14
conuictus natura 5.15
conuiuandi vtilitas 369.
ad Conuiuium quomodo acce- dendum 350.2
conuulſionum cauſa 319.29
copiæ cauſa 575.5
corcyra 607.2
coretas 670.34, 674.22
corinthus 226.36, 375.17
ad Corinthum pugna 425.14
cornelius Pontifex 555.30
cornelia Scipionis ſoror 346.26
cornix 633.2
coron 688.28
coronæ quernæ ratio 594.10
coroniſtæ vnde dicti 544.37
corpus ex diuerſis corporibus 657.

657.31
corporis abusus 329.10
corporis ad sanitatem præseruatio 314.11
corporis adsuefactio 322.6
corporis coercitio 310.17
corporis conseruatio 15.26
corporis contaminatio 370.13
corporis cura 332.6
corporis descriptio 11.27
corporis & animi communicatio 280.1
corporis & animi societas 332.39
corporis molestiæ 279.11
corporis repletio 307.20
corporis requies 266.18
corporum exercitatio 147.37
corporum motuum differentia 655.4
corporum partes 341.10
correctionis indicium 233.25
cothus 612.35
cotys 397.9
Cranaa insula 69.27
crapulæ vitium 307.21
crassus 246.25, 585.11
crataidas 520.14
craterus 409.4, 529.27
crates 210.37, 241.35, 311.12, 339.12
cratetis dictum 7.10
credenda quæ sint 373 1
creon 258.23, 308.16
creta 240.20, 642.21
criminis obiecti purgatio 246.16
crimine falso obiecto quid agendum 246.17
crisson Himeræus 192.11
critheis 66.28
critias 392.5
critola 544.22
critologus quis 605.24
crœsus 191.37
cronos 560.6
cruditatis causa 311.12, 322.3
cryassa 519.16
Cubus 661 8
cubi natura 662.14
cucurbitularum vsus 361.
culpæ communicatio 215.16
cuma 66.25
cumæ libertati restitutæ 546.14
cunctationis descriptio 97.5
cupiditas imperij 399.1
cupiditatum illicitarum damnum 310.15
cura alienarum rerum 405.12
cura ocularis 16.1
cura pro publico 427.37
cura suiipsius 371.26
curarum vacuitas 21.17
curatores 142.8
curiositas inepta 472.4
curiositas inimicorum 242.19
in Curiosum dictum 410.3
M. Curius 431.20
cursus viri fortis 97.8
Cyclops 147.30
cyclopum insulæ 93.16
cylo 528.36
cyniſca 461.4
cynos baton 609.32
cynosurensis 610 26
cypselus 378 31
Cyrus 55.19, 211.34, 342.9, 394.15, 517.30, 572.32
cyrus minor 396.3

D

Dactylus 73.3
Daiphantus 430.30, 514.27
damaſenor 616.7
damatria 508.35
damindas 483.22
damis 483.18
damnoſiſsimum quid 359.14, 360.15
damonidas 426.29, 483.14
damoteles 625.34
danaides 372.6
δαναὸν 39.19
daphnis 536.24
daplmus fluuius 376.17
darius 178.11, 394.23, 406.26
ante deambulandum quid agendum 319.30
decus conciliantia 339.1
defatigationis remedium 148.4, 149.10
à Defatigatione quid agendum 323.20
defectus ſolis et lunæ cauſa 388.5
defenſio ſui 472.37
degenerum natura 287.28
deimachus Eleonis F. 620.33
deiſidæmonia 381.8
delectationis in auditione ratio 163.17
delectus rerũ præſtantium 72.2
deliberatio anceps 19.14
in Delicto deprehenſi pœna 503.5
delinquentis per ebrietatem pœna 364.16
delphi 294.18
delphica ſacrificia 607.14
delphinorum natura 376.35, 377.5
delus 491.11
δῆμος 111.30
demades 312.29, 409.19, 412.34, 426.16
demaratus 212.20, 483.33, 517.12
demaratus Corinthius 405.9
demetrius 9.15, 411.7 & 19. 629.4
demetrius grammaticus 628.21
demetrius Phalereus 210.35, 328.18, 422.30
demetrÿ 204.7
democratia 140.7
democratiæ pictura 139.18
democritus 231.22, 329.1
demodocus 151.24
demonides 32.5
demoſthenes 10.21, 299.15
demoſthenes Athenienſis 298.4
demoſthenis factum 230.17
dentium curatio 318.32
dercyllidas 486.34
dercyllidas Pyrrho 483.27
deſcriptio actionum 94.8
deſcriptio affectionis 94.13
deſcriptio cauſæ 93.27
deſcriptio formæ 93.5
deſcriptio inſtrumenti 94.1
deſcriptio loci 93.15
deſcriptio modi alicuius 94.25
deſcriptio temporis 93.22
deſertorum ſupplicium 144.19
deſperatio 225.20
deſpicientia 166.17
deus quid 388.30 (21
deus quomodo percipiatur 107.

dei cogitationes 108.5
dei instrumentum 378.17
dei instrumenta 378.23
dei natura 653.7
dei nomina 688.9
dei omnipræsentia 383.24
dei opera 658 26
dei regia dignitas 108.18
dei regimen 107.35
deo immortalitatẽ cur tribuant Epicurei 648.3
dij affectibus præditi 45.7
dij an ore vatum loquantur 637.7
dij cur fingantur consuetudine humana vti 72.3
dij hominibus assimilati 107 5
dij Stoicorum 658.4
dij vt inuocandi 388.14
deorum appellatio 119.34
deorum beneficium 201.10
deorum cognomina 696.36
deorum contentio 36.7
deorum cura & præsentia 108. 29
deorum inimici 390.35
deorum immortalitatis argumentum 371.33
deorum insitiæ effectus 380.8
deorum iustitia 109.1
deorum manifi veneratio 570. 19
deorum metus 383.22
deorum natura 106.30, 385. 36, 658.1.13
deorum numerus 646.36
deorum opera caduca 636.34
deorum pictura 152.28
deorũ principis natura 107.10
deorum prouidentiæ proprium 108.35
deorum simulachra 640.12
diis acceptus 3.13
diis attributa corpora 107.3
diis chari qui 122.9
de Diis 106.27
de Diis veræ opiniones 36.16
dexicreo 624.36
diagoras 392.6
dialectus Homeri 73.10
dialectus Ionica 74.8
dialecti Atticæ exempla Homericâ 74.30
dialecti Doricæ exempla 73.12
dialecti Doricæ & Aeolicæ communia 74.2
dialectorum in constructione vocabulorum proprietas & diuersitas 75.36
diana 101.36, 38.19, 413.3
dianæ templum Romæ in vico patricio 555.15
diatyposis 90.19
dicæarchus 680.20
dicere ex tempore quibus permittendum 11.11
dicendi genus floridum 92.20
dicendi genus grande 91.37
dicendi genus medium 92.3
dicendi genus tenue 92.7
dicendi libertas 398.16, 49.21
dicentis mores 454.35
dicendi studium 450.9
dicentium vitia quomodo audienda 159.25
dictionis Homericæ varietas 92.25
dictum in fine positum 33.30
dicti vnius ad plures vsus accommodatio 60.25

dictorum adiacentia 38.30
dictorum causæ 49.28
dictorum & factorum consideratio 47.34
dictorum & factorum discrimẽ 393.35, 394.5
dictys 275.20
didymus Planetiades 633.36
dies atri siue nefasti 565.5
diei exordium 591.16
difficultatis rerum causa 172.5
dinon Tarentinorum dux 621.15
dio 401.10
dio Syracusanus 13.18, 298.5, 299.7
diodotus 449.3
Diogenes 212.28, 219.37, 226.36, 229.10, 233.10. 241.35
diogenis dictum 2.25, 38.16, 233.31, 243.27
diogenis præceptum 8.13
diogenes Cynicus 79.2, 549.13
diogenes Sinopensis 225.25
diognetus 532.3
diomedes 51.16, & 34, 52.29, 133.15, 138.20, 149.4, 379.24, 559.10
diomedon 429.5
dion 181.31, 183.12, 258.22
dionysius 161.33, 181.9, 12, 31, 183.12, 207.17, 208.30, 258.22, 398.29, 502.10
dionysius Siciliæ tyrannus 471.28
dionysij adulatores 183.22
dionysij tyrannis 188.16
Dionysius iunior 400.16
dionysia 231.2
diophantus Themistoclis filius 2.10
diphridas 460.27
dis 392.26
disciplina domestica 503.16
disciplina militaris 442,20 446.7, 572.21
disciplina natura destituta 3.3
disciplina Spartana 466.25
disciplinæ militaris exemplum 396.35
disciplinarum hostes 14.2
dispositio Homerica 130.36
disputandi contentio 16.29
disputãdi de virtute ratio 230.27
disputationes molestæ 633.25
disputationum in cœna vel post vsus 324.25
dissensiones virginum vt ferendæ 334.2
differendi argumenta 165.18
differendi promtitudo 10.33
differentes vitiosè quatenus pro sint 159.28
dissidij coniugalis ob obtrectationem remedium 343.16
dissimulatio 179.10
dissimulatio peccatorum paterna 23.3
diuina inconstantia refutata 635.20
diuinãdi spiritus qualis 669.23
diuinandi vis 669.10
diuinatio 150.8
diuinationis causa 635.17
diuinationis partes 150.9
diuitiæ cæcæ 485.9

diuitiæ doctrinæ cõparatæ 680. 30
diuitiæ quibus adsint 8.32
diuitiarum contemtus 65.33
diuitiarum possessio vnde pendeat 8.25
diuitiarum simulatio 234.1
diuortia 560.36
dius 66.25
Dromychætas 412.23
dryas 26.21
dryopes 39.22
dryus 649.27
δῶ 73.13
doctrinæ genus mutum 34.6
doctrinæ immortalitas 8.4
doctrinæ vis 3.20
dodecaëdron 659.34
dolentium & lætantium discrimina 118.13
dolon 52.25, 222.26
doloneia 643.15
dolor rationi subditus 114.12
doloris medela 290.29
doloris natura 268.35
doloris sedes 115.4
doloris vacuitas 117.8
dolore affectorũ descriptio 117. 3
in Dolore modus 269.7
Domitianus 577 34
domitius 245.15, 250.1, 436. 8, 446.20
domus quid 363.6
domus vt regenda 362.28
donatio coniugum 341.22
donationes coniugum cur prohibitæ 558.5
donum à genero aut socero cur capere vetitum 558,25
donum inconueniens 411.6
donorum dei interitus 636.30
dorica constructio 76.4
doryxenus quid 610,23
δούπω 76.34
Dubij facilis solutio 35.33
dux militum 443.12
dux præstantissimus 553.6
dux qualis esse debeat 457.16, 463.12
ducum reuerentia 493.17
in Duce quantum situm 464. 30
Dyrrhachium 454.13
δύη 123,25

E

Ebrietatis effectus 209.19
ebrietatis fuga 55.16
ebriosi descriptio 33.20
ebriosorum mores 603.2
Echecrates 632.26
echelaus 377.18
echetus 139.30
ἐχυρῶ 73.36
eclipseos solis causa 104.26
ecprepes Ephorus 474.22
Ederæ natura 603.5
educatio 4.7, 499.15
educationis rectæ vis 8.20
educationis vis 483.18
eduliorum generæ 311.19
Ei 378.6
εἴ, quid significet 683.30
εἴαπερ 74.1
Elæa 632.25
elapheboliæ 515.18
elasiæ qui 613.13
elbia 590.31
electræ 539.22

Eleorum laus 424.10
elementa formatiua 551.12
elementorum accidẽtia 103.34
elementorum concordia 101.7
elementorum explicatio fabulosa 100.16
elementorum mutationes 638.3
elementorum natura 100.35
elementorum numerus & species 99.12, 123.37, 550.25, 551.6
elementorum ordo 99.15
elementorum transmutationes 660.22
eleo fluuius 620.32
eleorum consuetudo 624.25
eleorum mulieres 617.16
elephantis natura 262.27, 344.16
eleutheræ 599.30
eleuther 619.9
elidæ amores 20.5
elieus 619.36
ἕλλαβε 74.3
ellipsis 83.25
elysius 281.16
Embaterij moduli 504.17
emendatio morum exemplaris 23.26
emphasis 80.20
Enalus 377.26
encnisma Argiuorum quid 613.20
encyclia 12.3
enallage 81.11, 84.8, 85.86. 87.88.89
engastrimythoi 637.6
Epœnetus 474.25
epaminondas Thebanus 13.18, 38.19, 157.29, 181.25, 238.23, 330.19, 427.20
epanalepsis 81.33
epanaphora 82.8
epanodos 82.15
ἐφόδια 74.1
ephesius 413.4
ephippus 618.11
epicharmus 208.17, 398.27
epicureorum dogma 646.3
epicureorum refutatio 647.8
epicurus 64.8, 127.14, 169.12, 328.18
epicureæ sectæ initium 127.14
epicydes 415.2
epigrammatis vsus 152.8
epimetheus 41.30
epiphonesis 90.10
epitherses 645.9
epitheta quid 77.10
epitymbia 364.15
Equus cur Marti immoletur 596.10
equorum institutio 157.25
Ergane 263.17
ergieus 623.13
eros 450.11
erotes 452.21
errantium diuersitas 233.5
error exitiosus 380.15
error in bello 418.8
error venenatus 380.25
eruum Kathartera cur Tralliani vocent 622.25
eryxo 543.6
Essentia quinta 100.29
esius eorum quæ vixerunt 370.17
Eteocles 32.20, 499.14
etruſci 48.36
Euãder 569.34, 574.15, 593.29
Euboi-

Euboidas 474.27
euctus 212.7
eudamidas 427.3
eudamidas Archidami F. 474. 31
eueni dictum 176.28
euippus 421.36
eulæus 212.7
eumenes 413.14
eumetidis scirpi 361.13
εὐνομίαι 137.8
eunostus heros Tanagræ 619.35
euripides 34.3
euripidis dictum 169.31
euripidis laus 401.18
euribyades 415.11
euryclea 153.1
eurycratidas Anaxandridæ filius 475.32
eurydice 24.3
eurypilus 149.17
eumetis 352.11
euthycrates 260.20
euthyneus 291.15
eutropio 18.35
Exceſſus Dorij & Lydij 236.17
excubiarum modus 436.37
excuſatio amici irrita 257.7
exercitatio animi vtiliſsima 249.15
exercitatio corporis 13.27
exercitationis vis 229.5, 235. 16
ab Exercitatione quid agẽdum 320.35
exercitationes literarum ſtudioſis conuenientes 318.30
exercitationum vtilitas 147.35
exiſtimatio 469.6
exiſtimationis argumẽtũ 250.15
exordij fines 131.13
expiationum ritus 557.6
exprobratio damnorũ fortunæ 63.15
exprobrationes & cõuicia 62.2
explorãdi ſeipſum ratio 230.12
exſecratio quid 575.31

F

FAbius Maximus 432.16
C. Fabricius 431.29
fabulæ de rebus apud inferos 29.26
fabulæ nomen quando compectai 647.5
fabularum poeticarum cauſa 98.31
fabularum vtilitas 27.27
facilimum quid 359. 360.17
facinora magna 451.5
facinorum malorũ efficẽtio 35.5
facium quinque in nuptiis accenſio 554.31
facundia 61.10
facundiæ vis 37.2, 136.2
fama regũ vnde pendeat 402. 19
familia optima quæ 363.25
famis cauſa 326.13
farinæ natura 601.4
faſces Prætorum geſtandi ratio 590.9
faſtus deminutio 231.23
faſtus depoſitio 231.35
faſtus excuſsio 158.13
faſtus vacuitas 51.25
fatalium malorum origo 272. 30
fatum 108.9, 300.20
fati fuga 110.17

fati tolerantia 285.37
fati vis 109.30
Faulius aruſpex 563.10
fauoris demerendi modus 399. 11
fauſtus 449.24
Febrium cauſa 313.32
fecialium maximus 582.7
felices qui 292.16
felicitas incerta 498.25
felicitas vera 119.30
felicitatis vox 43.34
felis natura 344.4
feneſtræ portæ Romanæ appellatio 571.23
ferarum peſima 349.2
fermenti natura 601.10
ferro quomodo duricies ac mollicies inducatur 676.5
feſtorum dierum contentio fabuloſa 566.10
fides 434.11
fidei exemplum 525.21
fidei habendæ derogandæq; modus 378.10
fiducia 620.20, 442.37
fiducia ſui 426.29, 430.20, 455.2, 483.15
figuræ ſententiarum 90.4
filius carus 254.10
filio à patre honos habitus 433. 25
Flaminis Dialis ceremoniæ 601.3
flamius Dialis ſolennia 602. 31
flamini Diali cur iurare non liceat 575.25
flaminius 583.23
fluxionum ventris cauſa 311,20
fœminæ laus 512.10
fœnum in cornu 584.4
fœtus menſtruoſus 353.1
forma quid 663.10
formæ corporis & conſeruandæ & augendæ præcepta 338. 30
formæ excellentis deſcriptio 97. 16
formæ variæ approbationes 167.26
fortis comparatio 117.22
fortium adumbrata expreſsio 96.34
fortiter dictum 424.9
fortitudo audax 237.5
fortitudo delineata 96.22
fortitudo mulieris 528.13
fortitudo quomodo paretur 56. 17
fortitudinis & iuſticiæ comparatio 425.5, 463.1
fortitudinis præmium 433.11
fortuna 416.18
fortuna an robuſtiſsima 359.35
fortuna & fatum 42.25
fortuna qualis 272.36
fortuna ſecunda 497.23
fortunæ breue fanum 586.8
fortunæ facinus artificioſum 263.20
fortunæ munera 42.5, 445.3
fortunæ oppoſita 260.29
fortunæ oppoſitæ artes 263. 9
fortunæ primigeniæ 600.11
fortunæ proſperæ conſequentia 274.3
fortunæ proſperæ vſus ad quem pertineat 12.37
fortunæ varietas 437.26

fortunæ vis 260.10, 272.37, 586.20
Fratrum amor 413.8
fratrum benevolentia mutua 140.35
fraus 424.25
fraus vtilis 465.15
fricandi modus 319.34
fricationis vtilitas 319.31
frigida lotorum cautio 321.5
frigoris remedium 148.37
frugalitas 423.2, 427.27, 442.26
frugalitas doctorum 354.23
frugalitatis exempla 457.36
frugaliter dictum 406.18, 431.25
Fucandi artificium 467.6
furciferorum appellatio 584.33
furoris exemplum 618.18

G

GAlatia 320.23
Gallogræci 539.28
garrulitatis pœnæ 18.13
garrulitatis reprehensio 401.21
gaudij fundamentum 267.6
Gelo 398.2
geminatio consonantum 74.2
genij an sint 644.32
genij mali 645.6
genij quid 667.8
geniorum differentiæ 641.25
geniorum longæuitas 647.27
de Geniorum morte 645.7
geniorum. natura & inuentio 637.26
geniorum natura 644.34
geniorum necessitas 640.37
geniorum nomina 649.37
geniorum simulacra 640.18
geniis quæ euenerint 642.29
geradatas 467.25
geryon 561.34
Glaucia 621.1
glaucus medicus 304.32
gloria 8.32, 61.9
gloria quibus rebus paranda 465.12
gloria vera 426.10, 466.1
gloriæ amor 408.18
gloriæ comparandæ ratio 458.37, 463.11
gloriæ cupiditas honesta 239.14
gloriæ parandæ medium 310.5
gloriæ studium 403.1, 405.23
gnoma quid 127.37
gnomarum genera diuersa 128.6
Gobrias 178.16
Gorgias 202.1, 302.15, 343.31, 512.13
gorgiæ dictum 26.13
gorgo 346.24, 508.8
gorgo Leonidæ vxor 486.26
Græciæ imbecillitas 635.30
græci peste afflicti 70.11
grammatices profectus 221.3
grammaticus ineptus 194.
grati exemplum 434.27
gratia vnde proficiscatur 56.19
gratiam quid pariat 469.37
gratiarum sacrificium 339.26
gratitudo 403.33, 404.8
grauedinis remedium 148.2
grauium ad medium motus 656.5
grauiter dictum 421.27
gryllus 298.33

gulæ reſeruandæ media 324.20
Gyges 622.17
gylippus Spartanus 17.9
gymnaſtice 12.18
gyrtias 508.24

H

HAde 392.26
Hamaxokyliſtõn genus vn de 627.11
harmodius 418.28
harmodij ac Ariſtogitonis ſtatuæ 208.24
harmoniæ compoſitio 664.36
harmoniæ ortus 101.25
harmonica 689.4
harpalus 404.27
Hecate 578.25
hecateus Sophiſta 471.5
hecatomphonia 371.16
Hector 33.26, 53.30, 134.27, 136.6, 141.28, 142.27, 218.36, 289.32, 297.8, 379.19
hector cum equis colloquẽs 112.9
hectoris obitus 70.23
hecuba 49.22, 390.20
hegeſippus Crobylus 419.18
helenus 150.21
helena 32.27, 49.21, 69 25, 152.2, 337.30,
helepolis 411.30
hellanicus 527.32
hephestion 407.12, 409.4
heracletus 383.12
heracletes 329.35, 261.36, 550.31, 670.4
heracleti dictum 160.30
heracleo 634.21
heracleo Megarenſis 633.20
Heraclidæ 71.15
heraclitus 165.11, 638.36
heraeënſes 610.25
hercules 111.26, 194.31, 248.7, 568.1, 581.11, 622.11, 642.14
hercules falſus 193.3
herculis apud Coos ſacerdotis habitus 626.27
herculis aræ 581.17
herculis cum Antagora pugna 626.37
herculis poſteritas 426.37
herculis ſacrificium 593.25
herculi cur plerique decimam bonorum conſecrent 561.32
hermione 342.35
hermodotus 410.11
hermolaus 391.6
herois mortui indicium 646.20
heroidis ſacrificium 607.24
herondas 486.7
heſiodus 66.28, 376.5, 478.37
heſiodi ſepulchrum 376.33
Hidrieus Cares 425.23, 457.1
hiero 398.15, 247.18
hieron 208.18
hieroſolyma 414.21
himera 398.2
himerius 195.11
hipparchus Euboënſis 404.3
hippocrates 234.2
hippocratidas 487.16
Hippocles 272.20
hippoclus 515.25
hippodamus 487.9
hippolytus 49.20
hippothous 333.12
hiſter 600.28

histrionum appellatio 600.21
histrionum mos 243.10
Homerica auis 229.25
homericæ dictionis copia 72.25
Homerus 239.5, 398.25, 417.29
homerus quando & quomodo mutarit nomen 67.22
homerus quo tempore vixerit 71.12
homerus quòd Colophonius 68.20
homerus quorum Poeta 478.37
homeri ætas 69.4
homeri elocutio 130,34
homeri excellentia 70.36
homeri fiducia 230.26
homeri genus 71.5
homeri in narrando artificium 72.6
homeri in scribendo præstantia 72.15
homeri mors 68.15
homeri nomen 66.37
homeri ortus 66.22
homeri parentes 71.11
de Homeri patria dissensio 68.32
homeri poemata 69.7
homeri poësis 71.3, & 23
homeri sepultura 68.17
homero ænigma propositum 68.11
homo perfectus 13.3
homo quid 111.14, 292.15
hominis cũ brutis collatio 262.7
hominis finis 294.7
hominis sine cibo viuentis fabula 648.30
homini optimum quid 281.8, 292.37
in Homine res principes quæ 9.5
homines deorum memores 109.6
hominum penuria 635.30
hominum simulacra 640.20
hominibus omnibus commune 385.35
homicida quis habeatur 572.31
homoœptoton 82.35
homœoteleuton 82.23
honestas antiquæ 573.8
honestatis fons 6.25
honor assurgendi 138.15
honoris commendatio 560.15
honoris inanis contemtus 458.6
honoris studium 189.37
honori sacrificãdi ratio 560.14
ὁπάργιον 73.23
ὁππότερ& 74.3
hora dea 576.20
hordei in sacrificiis vsus 605.25
horizontis magnitudo 630.13
horroris causa 115.31
hortæ templum cur semper apertum 576.14
hortensius 449.17
ὁφιχαὶ 73.23
hospitor Delphus quis 606.6
ex Hoste vsus 496.15
hostibus fusis quid agendũ 145.6
ex Hostibus vtilitas quomodo capienda 241.12
Humanæ res quales 271.35
humanarum rerũ status 271.1
humanitatis admonitio 410.10
humanitatis exemplum 396.12

humanitatis signum 407.20
humaniter dictum 402.7
humiditatis natura 670.5
humilitatis simulatio 233.15
humoris vis & natura 549.30
humorum permixtio 341.19
Hyades 103.21
ὑπάλλαγη 73.27
hybristica sacra 517.20
hypeccaustria 605.4
hyperbaton 81.14
hyperbola 91.25
hyperes 611.25
hyperides rhetor 206.35
hyperion 102.26
hyperochus 608.37
hypocrateridium 675.22
hyponœa 34.10
hypsipylas 253.19
hystenopotmi 556.34

I

IActantia stolida 271.18
iactantia sui 51.26
iactantiæ inanis effectus 172.15
ianuarius cur principium anni 562.7
Ianus 574.15
ianus cur bifrons 563.34
iapygia 531.13, 617.7
iason 428.34
iason Pheræus 329.12
iason Thessalus 246.4
Icosaëdron 659.35
Idathyrsus 397.18
idæi dactyli 238.17
ἴδμων 73.35
idomeneus 129.30
iduum origo 564.22.32
ignauiæ elisæ indicium 224.4
ignauiæ fuga 21.10
ignauiæ reprehensio 173.3
ignis origo 549.8
ignis natura 631.8
ignis vsus 241.25
ignem aquæ esse præstantiorem 551.1
ignominiæ in bello causa 474.1
ignorantiæ confessio 234.3
iliados exordium 131.16
iliados initium 70.24
iliados materia 71.26
Imbrus 519.24
imitatio 237.1
imitatio dictorum 160.7
imitatio virtutum 18.2
imitationis morum exemplum 457.30
imitatione res expressa 31.17
imperandi & obediendi exercitatio 461.11
imperator 419.15
imperator optimus quis sit 419.8
imperatoris cautio 418.35
imperium mariti cuiusmodi esse debeat 341.9
imperium tutum 454.12
imperitia decori 309.23
impietas an superstitio melior 392.1
impietas erga parentes 140.33
impietas quid 381.18
impietatis & superstitionis comparatio 381.5
impietatis origo 391.20
impius quis existimandus 381.13
impij vt ferant aduersa 386.4
impij & superstitiosi comparatio 388.36, 389.2
impio-

impiorum & superstitiosorum differentia 385.17
importunitatis periculū 209.18
Isachus amnis 608.21
inanium rerū contemtus 462. 15
incessus tardus 97.11
inconstantia Laconum 507 3
increpationes & collaudationes vicariæ 14.34
indignatio 116.6
indolentia fera 269.6
indolentiæ origo 269.20
industriæ vis 3.21
inediæ causa 323.26
inediæ statæ 327.25
infantes à quibus lactandi 5.5
infinitas 662.34
infinitatis descriptio 658.34
infiniti punctum 285.19
ingenuis pueris quid discendum 481.16
ingenuitatis laus 1 17
in Ingratos dictum 402. 28, 416.2
inimicitiæ accidentia 249.23
inimicitiæ commoditas 242.8
inimicitiæ effectus 249.20
inimicitiarum causa 240.27, 258.10
inimicitiarum propria 257.32
inimici obiectum 242.23
inimico vt nocendum 244 12
inimicū vlciscendi ratio 243.30
inimici qui sint 373 2
inimici vt tractandi 461.27
inimicorum insidiæ 242.10
inimicorum laudatio 249 4
iniuriæ latæ vtilitas 423.21
iniuriā inferre & ea affici 64.5
iniustitia extrema 178.5
iniustitiæ extirpatio 484.20
iniustitiæ periculum 438.22
innocentia 410.18
ino 561.18
insaniæ causa 268.37
insaniæ mulierum causa 344. 6
inscitiæ causa 172.10
inscitiæ deiiciendæ ratio 173.
inscitiæ medela 165.12
insidiæ 518.36
insidiarum reticentia 487 18
insomnia profectus indicia 234.23
instabilitas animi 60.15
instituentium laudationes et vituperationes 14.31
instituentium plagæ & contumeliæ 14.28
instituta Laconica 502.3
institutio ingenuorū puerorum 1.4
institutio liberorum 2.30
institutio proba 6.2
institutionis prauæ euentus 7. 35. & inde.
institutionis requisita 2.35
instrumentorum Musicorum differentia 125.35
instrumentorum Musicorum genera 125.22
intemperantia 60.4, 314.25
intemperantiæ effectus 61 30
interrogationes superuacaneæ 173.18
intestina bella 425.16
inverecundiæ signum 154.29
invidia 61.31, 243.30, 467.11
inuidia qualis 250.20

inuidiæ causa 158.27
inuidiæ effectus 237.30
inuidiæ fuga 158.25
inuidiæ medela 251.3
inuidiæ obiectum 438.26
inuocatio musarum poëtica 131.
Io *insula* 67.4
iocasta 31.32
ioci vsus 209.5
iollidas 430.31
ion Chius 229.4
ioncum natura 487.15
ionum reguli 397.19
Iphiclus 593.36
iphicrates 264.23, 418.12
Ira 117.11
ira paterna 22.37
ira rationi obtemperans 47.4
ira rationi prævalens 114.16
iræ causæ 115.18
iræ coercitio 17.10
iræ declinatio 397.11
iræ expressio 95.29
iræ fuga 54.30
iræ fuga in coniugio 339.20
iræ moderatio 423.14, 452.35
iræ remedia 247.27
iræ sedes 113.31, 115.3
iræ vis 47.25
irarum remedium 340.20
irati ab insano differentia 438.25
iratorum descriptio 116.33
irene 611.19
iris 104.30
ironia 90.30
irus 127.18, 151.27
Iudæorum *sabbatum* 388.30
iudicis officium 167.3, 463.17
iudicium de seipso 174.27
iudicium in auditione poetica 46.14
iudicium internum 187.19
iudicium præpositerum 176.11
iudicij impedimenta 303.8
iudicij iniqui causa 303.1
iudicia 417.37
iudicia capitalia 469.13
iudicia iusta 397.1
iuno Iouis *vxor & soror cur* 99.36
iuno 101.35, 141.22, 593.11
iunonis cum Ioue *congressus* 34, 17
iunoni sacrificandi mos 339.16
iunoni vnde nomen 587.35
Iupiter 35.2, 141.18, 151.37, 286.22, 302.20
iupiter cur æther 100.5
iouis epitheton 77.15
iouis & Neptuni comparatio 56.24
iouis flamen 573.6
iouis Labradensis simulachrum 622.10
iouis lances 29.16
iouis significatio multiplex 41.17
ius 68,6
ius optimum 331.25
iuris atri vsurpatio 502.15
iuris author 137.18
iuris ignorantia 466.18
iurisconsultorum nomina solennia 568.35
iusiurandum quid 575.26
iureiurandi ritus 567.35
iuste factum 404.26
iustitia 21.9
iustitiæ bellicæ exemplũ 493.15

iustitiæ carcer 302.27
iustitiæ exēplū 409.33, 468.18
iustitiæ oculus 375.6
iustitiæ vsus 424.15
Isaras 521.2
isthmicum certamen 52.36
Ixion 32.29, 34.4

K

Καλλιχαρίδης 73.25
Κανών 43.47
καμμονία 89.20
κατανεύσῃ quis 612.10
κεκλήγουσῶν 73.37

L

Laarchus 543.13
laboris commēdatio 505.30
labores infrugiferi 328.32
laborum commendatio 3.21
laborum moderatio 14.1
laborum vsus 148.1, 328.30
labotas 481.6
labra Lydis quid 622.24
lacænarū apophthegmata 507.36
lacedæmonij 202.16
lacedæmoniorum laus 2.15
laconis dictum 186.30
lactis vsus 322.22
lacydes 200.36
lacys 246.20
C. *Lælius* 440.32
laërtes 142.36
lais 310.1
lamachus 418.8
lampsace 533.7
larentia 570.32
lares Præstites 578.6
larissa 460.8
lauacra frigida 320.35
lauacrorum effectus 307.15
lauacrorum frigidorum noxia 321.2
lauacrorum virtus 149.3
laus quibus debeatur 471.11
laus vera 417.5
laudis moderatio 160.32
laudes infrugiferæ 192.20
laudes nimiæ 15.5
laudes quatenus vtiles 192.23
laudes tacitæ 191.10
laudum in audiendo moderatio 169.11
laudandi dicentem ratio 368.11
laudandi modus 166.1
in Laudando voces 169.11
in Laudando decente personarum decorum 169.24
laudari quî debeant 492.15
laudatio artificiosa 133.28
laudatio ex comparatione 189.25
laudationes insidiosæ 189.10
laudationes occultæ quomodo cognoscendi 191.1
laudationum examen 187.1
lauteæ 575.19
lasthenes 260.19
lasthenes Olynthius 403.10
latona 101.37
Leager 623.16
leander 536.22
lebadus 619.9
lectionis poetarum requisita 66.3
lectionis vtilitas 319.22
legati Romam venientes cur apud Saturnum nomina dent 575.14

legendi poemata ratio diuersa 53.35
legendi ratio 25.8
leguminum vsus 595.20
leleges 622.27
lemnus 519.24
leo Byzantius 245.4
leo Eurycratidæ F. 481.30
leonides 405.34
leonidas Anaxandridæ F. 482.3
leontide 512.17
leosthenes 421.1
leotychidas Aristonis F. 481.19
leotychidas primus 481.9
leptis 341.24
leucippus 618.6
leucippa 618.19
leuconia 515.22
leucothea 561.14
lex a Cyro lata 518.2
lex de adulteriis 453.7
lex de nominibus 522.12
lex de seuitute Delphinorum 377.6
lex de suspensarum virginum pœna 523.25
lex vnus præco 358.13
legis beneficium in seruos 383. 27
legis nomen 137.4
leges infringendi ratio 464.25
leges non scriptæ 486.2
leges Retræ 464.3
legum authoritas 491.32
legum bonarum causa 242.36
legum discendarum consuetudo 137.21
legum Laconicarum paucitas 423.12
legum Lycurgi vtilitas 457.19
legum mutabilitas 357.17
legum naturæ obseruantia 399. 21
legum scientia 137.2
legum violatio 444.25
Liber pater 599.25
liber quis 59.16
liberum procreatio 543.25
liberi qui sint 155.3
liberi quomodo nutriendi 4.35
liberorum sacrificium 392.15
libera reprehensio 204.35
liberæ voces 403.13
liberalitas regia 396.1
liberalitas vtilis 414.24
liberè dicendi occasiones 212.16
libertas 419.20, 500.36
libertas adulterina 193.11
libertas dicendi ob voluptatem 194.23
libertas importuna 194.1
libertas inanis 209.3
libertas laude mixta 218.8
libertas vera 155.4, 193.15
libertatis affectatio 192.31
libertatis amor 497.30
libertatis certamen 217.4
libertatis commendatio 206.11
libertatis conseruatio 468.1
libertatis dicendi vsus 196.25
libertatis importunitas 209.25
libertatis in dicendo comparatio 196.19
libertatis in dicendo moderatio 205.12, & 33
libertatis in dicendo vsus 220. 3, 205.3
libertatis mala condimenta 208.3
libertatis restitutæ insignia 435.

435.25
libertatis species 219.12
libertatis vitæ causa 457.22
libertatis vsus 209.35
libertatis vsus in rebus magnis 217.17
post Libertatẽ dicendi quæ adhibenda 202.12
libertate oris vbi abstinendum 209.11
Libitinæ templum 364.7
librorum vtilitas 422.32
licentia 154.24
C. Licinius 441.21
P. Licinius 436 17
licinia 591.5
lictorum appellatio 583.28
linearum Geometricarum natura 336 10
linearum motus qualis 200. 11
linguæ abusus 383.1
linguæ moderatio 247.25
linguæ refrænandæ præcepta 28.3
linguæ vsus & abvsus 156.10
liquorum vsus 322.21
literæ mulieribus quatenus vtiles 345.30
literarum discendarum ratio 502.20
literarum origo 550.37
literarum vtilitas 324.13
litores 383.33
M. Liuius 433.18
liuius Druso 578.3
liuoris tumulus 532.28
Loci mutationis effectus 394.20
locorum suspectorum vtilitas 57.36
Lochagus 483.15
locrus Physcij filius 609.27
locri 376.8
loquacitatis causa 247.35
loquacitatis importunæ pœna 18. 20
loquacitatis pœna 19.5
Lucanus 433.3
lucar 593.16
lucerna auguris 585.18
lucernæ vsus in cultu deorum 586.30
lucius 526.24
lucri fuga 468,28
luctatorum ars 190.7
luctus mortuorum varij 295.25
luctus barbarorum 288 18
luctus dæmon 286.23
luctus familiarium 142.13
luctus mortuorum finis 286.2
luctus qualis 288.11
luctus vt sit diminuẽdus 286.12
luctus finis 291.8
luctus mediocritas 290.25
luctus remedium 288.5
luctus ritus 560.20
luctus vacuitas 286.29
luctus veneratio 286.30
adversus Luctum cogitationes 291.20
luctum quæ deceant 567.5
ad Luctum propensi 288.14
de Luctu lex 288.8
lucullus 445.17
L. Lucullus 447.16
ludi literarij apud Romanos origo 581.14
ludi talorum pœna 409.2
lunæ differens variatio 564.23
lunularũ in calceis ratio 587.4

Lupercalia 584.2
lupercorum ritus 584.1
luſius 444.10
lutatius Catulus 444.33
luxuria 267.25
luxus effectus 311.14
luxus pæna 506.12
luxus reprehenſio 437.31, 458.19
luxus vitandi ratio 370.23
Lycaon 53.30
lyciarum facinora 520.37
lyctus 520.32
lycurgus 4.19, 26.21, 238.23, 357.19, 393.24, 464.2, 483.18, 593.6
lycurgi legum vis 507.12
lycurgi inſtitutum 570.2
lycurgus Lacedæmonius 422.34
lyde 276.2
lydorum rex 67.11
lygdamis 501.15
lyræ abuſus 342.14
lyſander 215.3, 339.3, 424.22, 461.15, 488.35, 496.23
lyſimachus 313.3, 412.22, 496.2

M

Macedones quales 403.14
Macellus latro 579.23
macelli vox 579.14
machaon 149.13, &.27
μαχιοδαι 480.14
mæander Sami tyrannus 480.23
mæon 66.25
mæon rex Lydorum 67.12
mæonis regis mors 67.15
magiſter gratuitus 247.13
magiſtri quales eſſe debeant 6.22
magiſtratus 438.19
magiſtratus in Democratia vt legatur 269.29
magiſtratus medico comparatus 604.7
magiſtratus quibus interdictus 603.26
magiſtratus autoritas 459.26
magiſtratus contemtus 46.33
magiſtratus creandi ratio antiqua 21.21
magiſtratus dignitas 433.29
magiſtratum petendi mos 577.13
magiſtratu indignus 394.18
magnanimitas 431.30
magnanimitas in honoribus petendis 444.1
magnificè dictum 406.8
magnificentia 396.3
magnitudo animi 487.33
magnus quis ſit 425.4
maieſtatis regiæ decorum 393.17
maio menſe cur mulieres non ducantur 592.18
maledici vt tractandi 402.10
maledicta cur damnentur 390.29
maledictorum perpeſsio 63.7
maleuolentiæ ſignum 390.29
mali origo 123.12
mala contraria 38.3
malorum deſcriptio 293.17
malorum multorum compenſatio vnica 349.25

malorum remedium 276.15
in Malos contendẽtes iudicium 403.2
malitia compendiosa 479.33
maluæ & albuci vsus 367.30
mamertes 490.24
mamertini 446.9
manæ Genetæ 578.20
mandragoræ vires 26.36
mandro 533.16
M. *Manlius* 594.2
manuum calidarum natura 306.9
manuum continentia 7.17
ad Marathonem pugna 414.31
marathonia victoria 251.19
marcellinus 447.36
margites an Homeri 69.9
maris vtilitas 550.26
maris vtilitas vnde 552.34
maris & fœminæ mores 599.1
mariti appellationes 345.27
mariti erga vxorem mores 336.13
mariti officium 345.20
C. *Marius* 443.36
mars 101.34
mars Quirinus vnde dictus 593.15
martis ac Veneris fabula explicata 101.16
martis significatum 41.4
martis syderis cum Veneris syderе congressus 34.14
marsyas 410.17 (25
martius mẽsis à quo dictus 562.
martia 591.5
masculi 522.30
materia prima 259.32
materiæ inuentio philosophica 637.20
matrimonium 23.17
matrimonium quibus indigeat 333.27
matrimonij castimonia 554.21
matrimonij ineundi tempus 467.7
matrimonij societas indissolubilis 554.27
in Matrimonio contrahẽdo prudentia 338.28
matrimonio inito quæ cauenda 334.8
matrisfamiliàs austeritas qualis 339.21
matrona maritum quibus demereri debeat 340.6
matrona quibus rebus fidere debeat 338.2
matronæ prudentes 342.12
maturitatis laus 285.11
Matutæ templum 561.14
matrum cohortationes 510.23
matrum in filios seueritas 509.1
maximum quid 359.13 360.6
Mecænates 452.29
medea 31.12
medicamenta ad siccandum apta 149.22
medicamenta μετάθεσις cur dicta 146.1
medicamentorũ discrimen 149.33
medicina 12.18, 145.17
medicina quid sit 145.21
medicina contẽplatrix 145.35
medicina effectrix 146.30
medicinæ commendatio 305.28
medicinæ partes 145.28

medicinæ studium quem deceat 305.
medicus optimus 492.8
medici encomium 145.20
medicorum in fluxionibus consilium 268.17
mediocritas 486.1
mediocritatis acquisitio 236.30
mediocritatis in victu observatio 307.28
meditationis vtilitas 10.26
medius 308.32
medy dictum 203.34
media 227.2
medium tenere 11.30
megabates 456.23
megabyzus 191.31
megara 9.15
megarenses 235.28, 610.25
megarensium petulantia 611.8
megaris 610.23
megisto Timoleontis vxor 528.13
melanippus 534.24
melanthius 35.12, 127.18, 161.22, 343.32
melanthius adulator 177.23
meleager 47.27
melesigenes 66.36
meletes fluuius 67.14
meletis 66.34
meliarum historia 518.27
melissa 354.10
melitus 222.27
memmius 442.30
memnon 306.31
memoria 16.5, 697.2
memoriæ exercitatio 16.4
memoriæ vis 668.19
mendacium 19.9
mendacij fuga 141.10
mendacij lucrum 36.31
mendicitatis causa 500.5
menecrates 425.10, 462.17
menedemus 186.6, 232.27
menelaus 69.25, 136.11.& 17, 139.37, 140.36, 149.13, 256.6
menelaus & Vlysses reposcendæ Helenæ legati 69.37
menon Thessalus 252.29
μεν& 115.23
mensæ secundæ 325.22
mensæ tollendæ ritus 582.35
mensis Hermæus, vel Mercurialis 517.19
menses Iunoni cur consecrati 587.27
mensium ordo 562.10
mensium principia 564.17
mentis requisita 173.30
mentis vis 260.33
menyllus 421.18
mercurius 101.37, 112.28
mercurius cur in dedicandis fanis gratiis additus 167.9
mercurij Charidotæ sacrificium 625.13
mercurij & Veneris coniunctæ collocatio 333.26
meri cicutæ misti vis 196.22
merope 199.30, 247.8, 283.24
Mesogeum 377.15
messeniorum lex 371.17
metalepsis quid sit 78.22.
metaphora quid 77.27
metaphoræ exemplaHomericæ 77.30

meta-

metaphoræ species 78.4
Q. *Metellus* 572.7
metellus nepos 448.33
methodus logistica 124.24
methon 607.9
methona 607.11
metiendi altitudinẽ ratio 348. 28
metonymia 79 33
metrodorus 339.28
metus 117.14
metus deorum 60.18
metus ignominiæ 523.28
metus qualis affectus 381.25
metus vniuersalis 381.36
metus appositum 116.3
metus causa 115.25
metus pœnæ 20.35
metus sedes 115.5
metus vocabulum 381.29
mezentius 576.4
Micca 526.16
midas 387.27
milesiarum facinora 523.10
miletum 406.13
militis mali signa 438.8
milites optimi qui 498.13
milites veri 464.10
milites confirmandi ratio 465. 19
militaris exercitatio 427.24
militaria opera 14.6
militia 14.5
militia mercenaria 408.8
miltiades 237.4, 251.19, 414.30
minæ 493.3
minerua 101.34
mineruæ Optiletidis sacellum 485.31
Minos 137.18, 303.27, 323.33, 617.10
Sp. Minucius 246.32, 432.27
minyæ 622.27
miseratio quid sit 116.10
miseria humana 292.2
mithridates 190.29, 411.17, 540.11
mixarchagetas Argis quis 613.13
Mnemosyne 16.6
mnesiphilus 361.32
Modestiæ vituperium 189.30
moderati hominis indicia 386.5
moderatio animi 51.25
moderatio in adolescentia 13.35
modestè dictum 408.35
modestè responsum 424.4
modi excessus 148.12
mœroris immodici origo 269.12
mœstitiæ subitæ significatio 317. 20
molæ causa 346.9
mollicies 60.4, 508.20
mollicies Græcorum 574.2
mollicies imperata 395.17
molpagoras Ion 348.36
molpus tibicen 614.30
molus Merionis pater 642.24
molycria 376.22
monophagi qui dicantur in Aegina 621.32
moralium obseruatio 54.5
morbi indicia 314.20
morbi epidemij 146.6
morborum accidentia 307.11
morborum acutorum & diuturnorum discrimen 146.33
morborum causa 318.22, 372.3
morborũ prænotio 316.34, 317.8
morborum prænuncij 314.19

morborum præsensio 314.15
mores diuersi hominum 256.22
mores quid sint 4.15
morum & verborum discrimen 161.7
morologus 398.30
mors 487.6
mors an communissima 359.36
mors digna 508.33
mors ex gaudio 532.26
mors honesta 487.15, 511.3
mors in bello 427.22
mors intempestiua quæ 289.10
mors purpurea 18.30
mors qualis 278.23
mors quid 303.33, 552.5
mors quorum lugenda 288.30
mors vltronea 530.30
mortis commendatio 292.25
mortis contemtus 21.26, 65.33, 478.25, 483.26
mortis cupiditas fatalis 523.10
mortis encomium 276.14
mortis genus optimum 452.2
mortis genera 295.25
mortis intempestiuæ consolatio 289.16
mortis metus quid sit 280.12
mortis munus 280.22
mortis similitudo 279.6
mortis virtute præstantium causa 300.5
morti peculiare malum 282.31
mortem non esse malam 282.5
de Morte immatura 284.4
mortales miseri 39.3
mortui alibantes cur dicti 548.35
mortuorum conditio 282.13
mortuorum sors 291.1
in Mortuos beneuolentia 290.30
motus animi vnde 60.6
motus corporum post cœnam 325.10
motus vis 306.15
motus animi quid denotet 317.20
Muli fabula 354.3
mulier austera vt tractanda 340.11
mulier mala 266.6
mulieris diuitis vsus 336.1
mulieris honestæ opera 510.1
mulieris ornatus 339.3
mulieris Pergamenæ facinus 541.2
mulieris sermo 340.25
mulieris virum expertæ oculus 232.8
mulieri imperare maritus vt debeat 341.4
mulieres consultationibus de bello & pace adhibitæ 518.19
mulieres quæ ducendæ 1.10
mulierum amici qui 337.2
mulierum exitij causa 146.9
mulierum habitus in luctu 566.34
mulierum imperia 437.35
de Mulierum laudationibus lex Romana 512.16
mulierum laus 470.19
mulierum laus propria 341.1
mulierum libertas 592.12
mulierum virtus 512.2
multitudo 663.4
multitudo continua expressa 95.24
multitudinis in ordinem coactæ expressio

expreſsio 96.4
mundiciei commendatio 339.30
mundus an vnicus 102.5
mundus communis 383.15
mundi gubernatio 109.27
mundi medium 655.20
mundi partes 123.33
mundi quinque numero cur 659.11
mundi ſitus 657.6
mundum vnũ eſſe numero 654.27
mundorum infinitas 650.15
mundorum numerus 652.15
mundos plures eſſe vno 653.1
murena 250.7
murus cur ſacer 567.19
muſarum opus 365.8
muſica 122 34
muſicæ argumenta vnde petenda 34.32
muſicæ vſus 342.15
muſices definitio 125.1
muſices diuerſus vſus 125.8
muſices origo & finis 384.32
muſices prauæ effectus 34.21
muſices vis 125 2
muſices vſus 504.1
mutatio repentina 221.32
mutationibus vt adſueſcendum 457.26
Mycale 625.17
μυκᾶσθαι 76.30
mycenæ 139.35
mylephaton 601.9
myro 530.21
myronides 416.20
myrſilus 349.6
myrtus Veneri ſacra 563 18
myſonis reſponſum 591.22

N

NAis 638.14
narranda quæ ſint 372.35
narrandi varietas 95.3
narratio comparatione intermixta 95.14
narratio exẽplo adhibito 95.8
narratio perſonæ 93.2
narratio rhetorica 132.24
narratio ſimilitudine aucta 95.11
narrationis quantitas 94.35
narrationi occaſionẽ quæ præbeant 92.31
narrationes ſingularum rei geſtæ circunſtantiarum 92.37
narrationum vſus 325.23
naſica 243.22, 437.4
natales 418.28
natales illuſtres 2.7
natalium effectus 1.15
natalium ſplendor 8.24
nationum diſcrimina 52.14
natura abſque diſciplina 3.2
natura quotuplex 661.30
naturæ conuerſio 563.3
naturæ defectus an corrigatur arte 3.15
naturæ & fortunæ differentia 261.26
naturæ futilis indicia 400.2
naturæ humanæ curſus 300.15
naturæ raritas 254.4
naturæ requiſita 323.10
naturæ ſeparatio 666.10
nauplius 616.19
nauſicaa 47.34
nauticæ leges 506.31

Nebulis fabula 17.20
necessitas aliis seruiendi vnde 394.17
necessitas moriendi 296.18
necessarium 110.2
necessariorum & superuacaneorum discrimen 549.4
nectanabis 465.26
necya 29.2
negligentiæ signum 239.16
nicolenus Naucratites 348.4
nileus Codri F. 67.4
nemesis 245.6, 402.2, 633.5
nemesis quid sit 116.9
nephalium sacrorum ritus 323. 30
neoptolemus 609.14
neptunus 100.17, 101.32, 124. 3, 235.20, 302.20
neptuni epitheta 104.9
nero 195.17, 258.23
neronis peregrinatio 681.24
neruorum origo 149.9
nessus 610.1
nestor 52.6, 114.18, 124.3, 132.9, 133.7.& 37, 136.16, 219.3
nestoris & Vlyssis comparatio 121.5
Nicander 490.29
nicander vates 679.21
nicanor 402.11
nicias 387.35, 425.24, 457.1
nicionis mors 421.15
nicocrates 534.22
nicomachus 512.33
nicomedes 431.1
nicostratus 426.33
nicostratæ 580.80
niger 320.22
niobe 146.16, 294.8, 390.9
nisus rex Megaridis 610.13
nitri natura 327.
nobilitatis lucrum 310.5
Nominis imponêdi tempus 598. 20
nomina vetera 574.30
nomisma ferreum 484.18
nomisma priscum 574.
νόμω & vnde dictus 137.9
nonarum origo 564.20. 30
nonius 450.4
nouitatis amicorum adfectatio 253.25
nox acuta 629.28
Numa Pompilius 561.8, 562. 27, 579.30
numantia 443.13
numantini 442.3
numerus impar 123.15
numerus par 123.14
numeri diuisio 686.
numeri imparis vis 124.
numeri nouenarij natura 124. 19
numerorum discrimen 566.1
numerorũ principium 639.27
numerorum principia 123.4
nundinarum origo 575.8
nuptarum coma cur hasta Romanis discernatur 593.2
nuptiæ cum propinquis 557.33
nuptiarum ritus 554.32
nuptiales ritus 568.18
nutrices quæ deligendæ 5.21
nutricum amor 5.3
nutritio 4.35
nymphæ Hamadryades vnde dictæ 638.30

Nymphæus

Nymphæus 519.2

O

OBedientiæ exemplum 501. 36
obiurgare qui quos & coram quibus debeant 214.13
obiurgatio laudi mixta 216.8
obiurgatio reuocatoria 216. 20
obiurgationes amici vbi fieri debeant 213.17
obiurgationes vt audiendæ 170. 7
obliuio 697.3
obliuio auditorum 159.
obliuio fluuij 570.13
obliuionis remedium 550.37
obscura quomodo audienda 47. 32
obscuritatis rerum causa 347. 11
obsoniorum condituræ pernicies 311.29
Occasionis neglectæ damnum 209.10
occulti admiratio 98.36
occulti sensus inuestigatio 50. 24
ocium 398.8, 490.34, 506. 26
ocium vtile 433.33
ocij damnatus 486.7
ocij detestatio 122.2
ocij effectus 328.6
ocij vituperium 37.6
ocij vsus 328.29
ochimus 614.18
ochna 620.4
ochus 518.4
ocridionis sacellum 614.17
Odij adiacentia 247.18
odij paterni argumentum 23.2
ὄδμη 73.34
odorum differentia ex fine 185.2
Oechalia oppugnata 642.14
œconomica 141.15
œnoclus 608.20
œnomai imprecatio 624.26
Offensæ vt cauendæ 341.30
officium adulatoris 201.11
officij finis 202.1
officiorum inæqualitatis causa 256.18
οἷον & quid significet 39.30
oleum cur plus minúsue absumatur causa 631.10
olei vis 313.35
oligarchia 140.5
olympi etymon 99.35
olympi explicatio 100.27
olympias 273.37, 338.15
olynthus 160.17, 260.21, 466.5
Omen 436.32, 471.23, 489. 25
omen refutatum 445.27
ὀμηρεῖν 67.23
ὁμηροι καὶ ὁμηρεύοντες qui 67.2
ominis correctio 398.30
Oncheſtus 610.14
onobatis quid 604.27
onoclus 614.10
onomademus 250.27
onomatopœia 76.23
Opera inanis 162.9
opera non frustranea 10.11
opera vtilis 162.11
operum propriæ & gratæ appellationes 365.

opes 36.36
opum finis 279.20
opum incertitudo 226.35
opum insatiabilitas 366.25
opiniones exitiosæ 380.31
opiniones illiberales 309.25
opiniones vulgares 65,6
optili quid 485.32
optimi à deterrimo differentia 53.11
opus deum optimum decẽs 635. 23
Oraculum 377.14, 613.1
oraculum apud Tegyras 632.22
oraculum Dodonæum 455.20
oraculum Mopsi 672.30
oraculum Thessalis de Arna 668.29
oraculi antistita quomodo affi-ciatur 678.10
oraculi Delphici origo 670.28
oracula 428.13
oracula Mardonio data 632.8
oraculorum causa 644.5
oraculorũ defectus causa 634.5
oraculorũ silentij causa 667.2
oratio ad quos pertineat 138.19
oratio ciuilis 130.30
oratio contemplatiua quid sit 98.16
oratio cupressis adsimilata 421.3
oratio de rebus inexpertis 475.2
oratio historica 92.30
oratio inutilis 163.1
oratio nimis exilis 11.17
oratio prolixa repræhẽsa 411.2
oratio vniformis 11.32
orationis breuitas 419,34
orationis cõtinuatæ vtilitas 319.
orationis copia 136.31
orationis diuersi effectus 171.11
orationis elegantia quando con-sideranda 163.15
orationis genera 91.31
orationis laudandæ materiæ 167.14
orationis longitudo 494.26
orationis maiestas & suauitas quomodo concilientur 72.29
orationis natura 21.22
orationis nuptialis vtilitas 333. 15
orationis ornamenta inutilia 161.16
orationis qualitas 229.30
orationes contrariæ 136.24
orationes extemporales 10.13
orationes improbæ 32. 8
oratoris boni quid sit 506.18
oratorum clamitationes 448. 28
oratorum diuersæ virtutes 168.5
oratorum propriæ notæ 136.15
orchomenij 376.33
orestes 31.13, 140.25, 151.7
orion 103.21
ornatus mulierum quis esse de-beat 345.7
orontes 396.26, 483.35
orpheus 370.21
ortus causæ 676.18
ortus nostri & interitus flumen 277.4
osculi mos 557.8
osculo salutandi mos 514.15
ostentationis fuga 214.33
ostentum 69.30, 529.6
ὦθα vox apud Homerum quid 106.3

suorum irritorum causa 157.4

P

Paedaretus 426.25, 492.11, 510.6
pædagogus qualis quærendus 6.10
pæoniæ remedia 297.31
palamnæus quid 613.30
palamnæi 643.27
palilogia 81.33
palintocia quid 611.4
palintociæ causa 627.13
palladium 623.17
palloris causa 115.27
pan 646.2
panætius 442.1
pandarus 57.4
pandora 274.31
panthea 55.20, 238.7
panthœdas 490.37
paralus 298.14
parasiti effigies 184.6
parembola 81.21
parentationis tempus 570.10
parenthesis 81.20
parentum error 6.30.36
parentum exempla 23.26
parentum in liberos inspectio 15.30
parentum lenitas 22.25
parentum merita 412.16
Paris 32.28, 219.1, 337.31
paridis iudicium 69.12
paris & imparis numeri vis 555.1
parium 533.13
parison 83.9
parmenio 273.36, 405.3, 406.23
parmenion 204.5, 258.21, 402.2, 412.31
parmeno 31.28
parrhasius 31.14
paronomasia 83.17
partium corporis vsus 370.1
partum antecedentia 157.2
parua magnorum argumenta 629.17
paryſatis 396.23
pasiphaë 334.32
patæcion 38.18
pater patratus 582.7
patrum in senatu species 581.5
patienter dictum 410.23, 421.35
patientia 269.27, 493.3, 497.10
patientia in tormentis 535.35
patientia prudens 444.8
patientiæ exemplum 401.2
patientiæ in discendo exempla 172.26
patriæ celebritas 415.23
pro Patria quomodo agendum 141.1
patricij cur dicti 581.6
patriciorum habitatio 59.41
patroclus 70.17, 104.19, 124.5, 140.35, 143.1, 149.17 & 24, 192.27
Paulus Aemilius 436.23
pauper diuiti donans 680.25
pauperum liberi quomodo instituendi 14.20
paupertas 37.6
pausanias 246.36, 273.29, 391.6
pausanias Cleombroti F. 491.7
pausanias Plistonactis F. 491.30

paxis 645.17
Peccati sanatio 213 28
peccatorum omniũ causa 474. 26
peccatorum pœna 438.2
peccatorum sponteorum pœna 138.24
pecunia inutilis vt vtilis reddenda 400.14
pecuniæ contemtus 431.2
pecuniæ insatiabilis indicium 395.6
peleus 134.33
pelopidas 428.5, 430.35, 513. 13
peloponnesius 374.22, 487.2
pempazestæ quid 664.3
penæma vocis significatum 625. 20
peneleus 618.13
penelopes proci 12.11
penelopa 48.9, 140.37
penelope 141.35, 142.36, 337. 32
peregrè mortui dicti, reuersi quo modo introeant ædes 556.3
peregrinatio interdicta 505.5
peregrinationis incõmoda 475. 23
perfidia punita 479.10
perfidiæ & calliditatis differentia 455.37
periander 347.18
pericles 10.19, 13 17, 298. 12, 417.11
perillus 406.6
perinthus 467.23
peripateticorum de affectibus opinio 117.23
peripateticorum de bonis animi sententia 119.29
periphrasis quid sit 81.9
periscylacismus 584.10
peritia 437.10
peritia bellica 143.19
peritia multarũ rerum 66.20
perrhœbia 364 1
apud Persas formæ præstantia 394.14
persarũ regis migrationes 226. 37
persarum regum consuetudo 336.17
perseus 413.14
persidum fœminarum facinus 517 30
persuasio simulata 196.11
persuasionis falsæ cautio 175.1
perterritus adspectu hostis expressius 96.16
perturbatio animi quid 380.17
perturbationis vacuitas 234.21
perturbationum animi commune crimen 381.23
peruersitas 56.22
peruicacia expressa exemplo 95.21
pestis causa 146.6
petro Himeræus 651.24
T. Petronius 195.17
Phæaces 48.21, 139.13, 147. 37, 151.23
phædimus 534.18
phædra 49.19, 180.30
phagilus quis 609.12
phalaris 222.25
phalaridis tyrannis 188.16
pharnabazus 462.23
pharsalus 451.25
phæstius Epimenides 628.18

phemius 66.32, 138.26
phemius Aneanum rex 609.1
φυσᾶν 76.29
phidias 340.29
philautia 206.5
philautiæ consequens 174.31
philautiæ indicium 206.12
philippides 412.26
philippus Demetrij F. 516.18
philippus 160.17, 183.13, 307.34, 208.13, 212.21, 338.12, 343.6, 401.33, 410.1, 643.5
philippus Macedonum rex 273.33
philppus Orphei *sacrificulus* 481.25
philo Thebanus 403.21
philocrates 260.18
philoctetæ 31.31
philodemus 526.15
philophanes 454.8
philopœmen 436.3
philosophantiũ discrimen 227.17
philosophi ad molestum auditore oratio 170.1
philosophi traductio parasitica 190.1
philosophi mercenarij 400.16
philosophi quomodo audiendi 165.33
in Philosophorum scriptis obseruanda 228.15
philosophorum sectæ 126.33
philosophorum solennia nomina 568.37
philosophorum vertigo 30.30
in Philosophos dictum 427.6
philosophia circa quid versetur 684.35
philosophia dissimulata 24.35
philosophia quid doceat 12.21
philosophiæ amoris signum 224.22
philosophiæ continuatio 213.15
philosophiæ desiderium 224.31
philosophiæ examen 161.9
philosophiæ laus 412.20
philosophiæ materia & finis 628.30
philosophiæ partes 98.25
philosophiæ Platonicæ difficultas 227.35
philosophiæ præstantia & vtilitas 12.15
philosophiæ principium 232.20
philosophiæ proprium 681.35
philosophicæ rationis fructus 166.20
philosophiæ veteris præcepta 272.22
philosophiæ vsus 267.27, 491.6
philosophiæ vtilitas 255.19, 400.22, 404.14
philotas 204.5, 258.20
philotimus 164.19, 217.32
phocion Athenienſis 419.30
phobus 533.9
phocenſium victoria 515.14
phocidum factum 524.10
phocidum fœminarum facinora 514.22
phocion 202.7, 238.9, 328.16, 340.14
phœbidas 493.23
phœnicia 69.28, 550.37
phœnix 47.14, 134.28, 215.35, 632.24

Phœnix Achillis pædagogus 6. 20
phœnicia cerebrum 324.30
phraathes 447.13
phryne 310 3
phrynis 236.26
phylactes 604 35
phyle 422.5
phyleus Augeæ F. 568.14
phyximelum quid 606.31
Pici mutatio 563.22
pici natura 563 33
pici veneratio 563.21
pictor imperitus 203.26
pictura 152.18, 191.10
picturæ descriptio 31.3
piè dictum 422.2
pieria 531.5
pietas erga parentes 140.23
pietas in ciues 434.24
pietas in patrem 412.8
pilæ ludus 156.36
pinariorum familia 581 20
pindarus 281.5
piraënses 610.25
pirithous 258.30
pisces capiendi ratio 334.20
pisistratus 422.4
piso 449 34, 453.32
pittacus 360.25
pittaci dictum 349.6
Plancta 366.12
plantarum præstantissimæ quæ 285.12
Plato 3.11, 19.26, 211.34, 215.8, 244.29, 344.33
platonis curuitas 46.13
platonis facta 17.30, 207 16
platonis præceptum 328.27
platychætas Bœotorũ quis 606.1
pleiades 103.21
pleistarchus Leonidæ filius 492. 23
pleistonax Pausaniæ filius 492. 34
pleonasmus 80.37
pleonasmi vsus 81.1
πλυβὺς quid significet 85.33
ploiades nebulæ quæ 605.31
plontis 616.9
ploratio rei vilis 245.15
pluto 302.21, 566.36
plutonis cognomen 100.22
pluuiæ tempus 106.19
pluuiarum causa 106.4
Poëmata Homeri quid sint 150. 35
poemata legendi ratio 27.5, 228.25
pœna in Lycæum ingrediẽtium 619.1
pœna ob alterius culpam 496. 35
pœnarum diuersitas 590.15
poesis 152.20
poesis quæ sit 28.2
poesis quid sit 45.34
poesis Philosophia permixta 27.1
poeseos illecebræ 26.9
poeseos præstantia 25.36
poeseos termini 72.27
poetæ cur mentiantur 27.17
ex Poetarum auditione commoda 62.36
poetarum contrariæ dicta 35.17
poetarum cum Philosophis comparatio 35.8
poetarum de propriis dictis iudicium 32.35

poetarum dicta Philosophorum sententiis munita 63.19
poetarum figmenta probabilia 29.5
poetarum mendacia 27.16
poetarum veræ sententiæ 30.3
poetarũ virtutes diuersæ 168.2
poetis vt parendum 49.31
poeticæ argumenta vnde petenda 34.32
poetices ars quatenus laudetur 31.20
poetices descriptio 30.35
poetices varietas 44.35
poeticæ cognata ars 31.1
poeticorum figmentorum opposita 37.25
polemon 215.10
poletes quis apud Epidamnios 615.8
poliagrus 48.13
pollis 397.2. 520.14
pollucis cultus 613.15
pollus 612.18
polus septentrionalis 103.24
poli Austrini situs 105.37
poli Septentrionalis situs 105.35
polyarchus 544.1
polybij præceptum 440.6
polycleti dictum 240.8
polycrates 383.19
polycratidas 493.19
polycrithus 618.1
polycrita 531.27
polydorus Alchamenis filius 493.1
polypodis caput 25.32
polypodis mutationes 259.21
polysperchon 413.32
polyxenus 400.18
Pompeius 246.23, 249.2, 445.33, 449.29
pompeius vnde Magnus appellatus 446.26
pompeia 450.29
pontificis Romani proprium 525.25
pontus 285.20
popedius Silo 444.29
C. Popilius 445.5
popilius Cotta 449.13
πόποι 39.22
populi Romani maiestas 445.12
porcia 513.12
porsenas 524.33
portæ cur non sint sacræ 567.26
porus 409.10
possessio rerum preciosarũ 491.25
postumius Albinus 439.34
postumia 246.28
potentiæ abusus 526.10
potentiæ conciliãdæ ratio 403.18
potestatis moderatio 438.16
Præceptorum philosophicorum nouitas 65.10
ad Prælium exhortationes 57.15
prænomina 599.10
præoccupatio malorum 55.34
præparatio corporis 308.6
prærogatiuæ honoris iudicium 542.5
præsagiendi vis vnde 670.7
præstantiæ hominis causa 262.3
priamus 140.10, 289.29
prienæ 348.15
prienæ quid 611.34
princeps beatus 357.25

princeps pessimus 438.11
princeps quo pacto fiat moderatior 358.5
principis institutio 138.5
principis officium 431.4
principi vt gloria sit paranda 357.21
principum responsa 454.26
principum supplicia 395.31
principatus 61.9
principium bonum 27.11
principium infinitum 663.14
principia absurda 644.13
principia motionis 554.18
principia Platonica 662.8, 691.33
principia rerum 99.6
principia vniuersi 380.22
principiorum difficultas 171.25
πρίσεις 76.30
προαναφώνησις 90.5
procops 222.18
procreatio 1.10
procreationis signum 555.8
prodicus 312.21
proditio 452.15, 466.22
proditoris fides 426.19
profectus expeditus 225.7
profectus à dementia distantia 222.18
profectus argumentum 227.15
profectus ex somniis indicium 235.20
profectus impedimenta 225.15 226.8
profectus indicium 226.14, 231.10, 233.6, 238.2.& 33
profectus in virtute rationes 223
profectus nota 230.6
profectus veri proprium 237.25
proficientis in virtute signum 239.20
proficientis officium 236.36
Promedon 531.30
prometheus 41.30, 241.22, 263.34, 264.32, 549.8
proportionis natura 671.5
proserpinæ cognomen 40.17
prosopopœia 90.12
protesilaus 69.37
protheus 259.25
protogenes 411.26
prouerbium, Isthæc rata esto, vnde tractum 621.14
prouidentia 108.9
prouidentiæ diuinæ discessus 634.6
prouidentiæ effectus 263.5
prudentis commendatio 54.23
prudentis viri & vatis discrimen 52.2
prudentum propria 57.2
prudentia 52.30, 56.27
prudentia musica 264.5
prudentia culinaria 264.6
prudentia quid 264.26
prudentia insolita 394.24
prudentiæ & pulchritudinis comparatio 120.35
prudentiæ vocabulum 260.33
Psoloes qui 618.18
psychostasia 29.15
Ptolemæus 183.13, 188.19, 194.13, 214.21, 409.22
ptolemæus Philadelphus 18.17
Pudicitia 57.8
pudicitia mulierum Laconicarum 467.21

pudor intempestiuus 314.31
puellæ è mari à delphino seruatæ narratio 377.11
pueri coalumni 6.2
pueris quid discendum 463.15
puerilia quibus instituenda 5.37
pugillationis interdictæ ratio 423.4
pugna aduersus vitia 223.30
pugna apud Mantineam 424.7
pugna Leuctrica 425.28
pugna vt ineunda 437.7
pugnãdi in hostes modus 469.29
pugnandi ratio 439.8
pugnantiũ fortiter mors 144.10
pudicitia 140.36
pulcerrimorum operum effectio 378.15
pulcerrimum quid 359.14, 360.8
pulcræ rei perfectio 168.24
pulchritudo 8.33
puniceæ vestis vsus 505.18
purgationũ ventris vsus 326.1
putrefactio quid 552.4
Pycimeda 66.27
pydna 212.10
pyramidis descriptio 659.33
pyramidis mensura 348.27
pyramidis natura 662.16
pyrrhias 616.29
pyrrhon 234 8
pyrrhus 413.28, 431.30
pythagoras 3.11, 122.35, 126.3, 213.23, 249.28
pythagoræ dictum 166.15, 389.15
pythagoræ error 634.15
pytheas 419.24
pythes 531.12, 546.24
pythias spiritu interfecta 679.15
pythica cantilena 374.16
pytho 610.2
python 413 31
pythopolites 547.34

Q

Quærendi modus 165.5
quæstio de mari ebibendo 356.7
quæstiones quales proponendæ 164.5
quæstiones variæ 359.2
quæstiones argutas proponendi consuetudo 360.30
quæstionum argutiæ 164.13
quæstionum siue problematum solutio 554.10
quercus 612.2
quinariꝰ natura 659.12, 686.10
quinariꝰ numeri vis 555.5
quinariꝰ proprietates 664.8
quinariꝰ vis & præstantia 686.23
T. Quintius Flaminius 453.9
quirinaliorũ appellatio 593.9
quiris quid antiquis 593.15

R

Radamanthus 303.26
raptio Cretensis 20.5
raptus expressus 96.30
raria 343.22
ratio à metu superata 114.
rationis communitas 112.14

rationis & iræ pugna 114.1
rationis imperium 114.5
rationis obedientia 154.34
rationis situs 113.30
rationis vsus 262.31
rationem habere quæ dicuntur 49.33
ratiocinatoris officium 270.8
reconciliatio fratrum 395.10
recusatio dextra 308.24
redundantiæ effectus 313.37
refrigerationis extremitatum effectus 306.11
refrigerationis vsus 148.30
refugia 384.5
regio feris carens 240.22
regis boni officium 470.29
regis copiæ 435.36
regis informatio 139.6
regis officium 405.18
regis potestas 410.15
regum colloquia 396.23
regum cura 405.5
regum imitatio 336.26
regibus deorum quid 360.21
regium quid sit 395.27, 409.26
regius animus 405.27
regnum tutò conseruandi ratio 486.20
regni commendatio 139.3
regni conseruandi ratio 468.27
regni diuisio fabulosa 302.20
regressus in virtute causa 223.18
reipublicæ bene formatæ causa 242.36
reipublicæ forma rara 240.23
reipublicæ formæ 137.26, 138.33
reipublicæ optima forma 494.17
reipublicæ salus 486.31
religio 140.19
religio auita 383.3
remissio animi 151.30
remissio quando adhibenda 329.15
remuneratio 397.10
reprehendendi libertas 177.6
reprehensi mores 246.8
reprehensio alterius 159.35
reprehensio malè dictis præmissa 33.15
reprehensio sine cõtumelia 213.37
reprehensionis fuga 171.4
reprehensionis liberæ cautio 217.30
in Reprehẽsione acerbitas 218.23
reprehensiones iniquæ 155.10
reprehensionum metus 52.22
reprehensionum occasiones 217.35
reprehensor idoneus 210.19
repudiatio vxoris 183.35
requies à continuatione laborum 15.16
requies in inanimis 15.25
res familiaris vtrius coniugum esse dicatur 337.29
rei faciundæ modus 366.20
res quando laudentur 187.1
rerum finis 364.36
rerum omniũ optima quæ 466.36
reverentia 503.8
rex sacrificulus 582.21
Rhea 664.27

rhetor ineptus 194.7
rhetorica 130.30
rhetorica quid 130.32
rhetorices autor primus 130.31
ridiculi in rebus seriis 438.30
ῥίγιδανὴ 39.18
ῥίγιος vocis significatio 115.3
riglus 308.35
risus causa 310.20
ritus Delphici 643.10
Robur 8.35
roboris causa 147.21
robustissimum quid 359.16
Roma fœmina Troiana 514.10
romanæ ciuitatis origo 514.10
romulus 561.5, 567.23, 594.19
ῥοχθεῖ 76.35
Rubicon fluuius 451.7
ruboris signum 438.6
ruma quid significet 580.36
ruminæ sacrificium 580.35
rumor siniſter 450.34
rumores falsi 357.12
Rymetalces Thracon 452.12

S

Σάχος 76.10
sacra clandestina 337.8
sacrorum mysticorũ ratio 18.7
sacrificium Neleium 531.15
sacrificia ad Hyampolim 514.25
sacrificia fœda 641.35
sagitta curæ 59.21
Salmanticarum historia 522.15
salsè dictum 402.31
salsè responsum 424.17
saltationis exercẽdæ locus 320.14
saltationis vsus 309 18
saluberrima quæ 318.24.
salutis conſequẽdæ modus 220.1
de Sambico prouerbium 623.2
samius 183.13
samiorum mos 625.13
samiorum reſpubl. 625.35
sanè capta 615.18
sanguis quid ſit 111.11
sanguinis causa 146.27
sanitas 8.34
sanitas quibus non paretur 328.5
sanitatis conſeruandæ medium 328.22
sanitatis recuperandæ ſignum 236.22
ſapientiæ parandæ ratio 279.30
ſapientum dicta de principe 357.20
ſapientum poſſeſsiones 367.3
ſapientum priſcorum numerus 682.17
ſapientiſsimum quid 359.13, 360.10
ſaponis natura 327.
ſappho 513.1
ſarcaſmus 91.12
ſardes 579 11
ſardiani 579.3
ſarpedon 104.16, 148.34
ſatibarzanes 395.33
ſaturnalia 68.5
ſaturnus qualis deus 560.4
ſaturni captiuitas 646.27
ſaturni & Rheæ filij 100.17
ſaturni falx 574.36
ſatyrus 241.21
ſaxa cur ſint aridæ 551.19

Scamander 620.32
scaurus 250.1
scelerum conscientia 501.22
sceletus Aegyptiorum 350.24
schema quid sit 80.31, 76.18
schematis species 80.37
schemata concutrentia 83.5
scientiæ corporis curandi 12.17
scilurus 397.32
scipio 260.17
scipio Africanus 439.27
scipio iunior 433.34, 440.1
scipio maior 433.31
scipionis funus 443.33
scriaphidas 506.10
scuri dij 649.29
scitè dictum 402.35
scyrus 61.11
scythæ 355.1
scythas 460.8
Seditionum causa 311.13
seianus 258.22
seramnes 394.3
σείρη χρυσία 77.22
seleucus 412.5
selinus 470.20
semiramis 395 1
semiramidis magnificentia 513.11
P. Sempronius 561.1
senatus constituendi origo 137.35
senectutis honor 494.20
senectutis incommoda 23.5
senectutis præceptum 438.23
senectutis proprium 447.20
senectutis viaticum quomodo paretur 13.35
sensus quot numero 690,2
sensuum acutissimus 553.37
sensuum defectus causa 552.10
sensuum impotentia 261.36
sensuum numerus 664.21
sensuum quis acerrimus 155.25
sententiæ mutatio 481.9
sententiæ vitæ humanæ necessariæ 294.19
sententiarum Homeri imitatio 128.13
senum cum adolescentibus conuersatio 214.5
septerij solennitas 607.15
septimontij festum 584.16
sepulchrum puerorũ apud Chalcidenses 612.35
sepulchri honor 588.30
sepulcralia certamina 143.8
sepulcreta 143.5
sepulcrorum superstitio 504.34
sepulturæ ritus 142.22
sermonis distributio 361.35
sermonis genera 92.27
sermonis libertas 179.7
sermonis pœnitudo 310.29
sermonis simile 416.11
sermonis turpitudo 16.23
sermonis vsus 157.1
sermonis vtilitas 318.35, 319.6
sermones probabiles turpibus factis accommodati 49.11
sertorius 447.9
seruæ aditu templi Matutæ cur prohibeantur 561.15
seruilis animi indicium 51.32
seruitutis calamitas 384.2
seruilius 446.31
seruius 513.12, 571.25
seruius rex 555.29, 597.28
seruius Tullus 586 9, 600.13

seruorum feriæ 597.25
seruorum fides 516.24
seryphius 415.20
sesostris 513.11
seueritas temperata 22.32
sextius Romanus 223.20
Si coniunctio quã habeat vim 684.23
sibyllæ oracula 513.2
sidon 69.28
signa felicia 150.19
significationum notæ 667.15
silanio 31.31
silentium 126.4, 340.31, 453.1
silentium tempestiuum 18.5
silentij causa 474.8
silentij commendatio 157. 310. 29
silentij vtilitas 248.14
silenus 292.12
sileni 194.32
simiarum captura 180.25
similitudo affectuum 183.25
similitudinis adfectatio 179.33
similitudinis error 179.19
similium differentiæ 180.12
simonides 228.22, 273.29, 415.28
simonidis responsum 26.11
simul actu difficilia 425.10
simulatio eruditionis 166.11
simulationis deprehendendæ ratio 182.21
sinatus 538.5
sinistrum vnde dictum 588.9
sinorix 538.5
sirenes 125.4
sisyphus 31.34
sitis remedium 24.5
σῖτε 76.35
Smicythus 402.18
smyrna 66.33, 67.11
Sobrietas 576.18
sobrietatis cõmendatio 396.20.
sobrietatis exemplum 481.17
sõclarus 25.20
sõcordiæ vis 3.28
Socrates 3.11, 19.26, 150.23, 207.32, 211.31, 213.19, 215, 25, 238.9, 248.18, 252.33, 278.18, 280.12, 302.14, 309.5, 320.12, 338.30, 470. 33, 517.12
Socratis dictum 9.20, 17.9, & 19, 37.37
Socratis sententia 275.33
Sol an animatus 103.7
Solis boues comesti 112.15
Solis cursus 592.9
Solis eclipsis 104.35
Solis epitheton 77.16
Solis forma 102.36
Solis magnitudo 103.1
Solis motus 102.16, 630,6
Solis obscurati causa 668.11
Solis occasus 102.33
Solis ortus 102.27
Solis situs 102.17
Solis vis 103.5
Solis vmbilici 630.18
Solis vsus 321.22, 550.32
de Sole opinio Anaxagoræ 389. 23 (690.26
Soliditas in quo intelligatur esse
Solon 191.36, 211.30, 333.30, 357.6, 583.15
σῶμα 111.35
somnium 529.21
somniorum causa 678.35

somniorum diuersitas 235.30
somnus 553.22
somnus sumptuosus vt fiat 383.6
somnus superstitiosorum 382.10
somnus vitiosorum 266.26
somni causa 369.32, 383.8
somni commoda 382.2
somni vsus 148.2
sonorum species 125.24
sophistarum mores 165.29
sophistarum orationes 161.25
sophoclis dictum 228.5
sordium euenta 331.34
sotades 18.18
sous 493 26
Sparta 20.7, 69.24
Spartæ muri 458.23
spartæ muri & termini 470.9
spartæ ruina 507.26
spartanorum erga Smyrnæos beneficentia 201.25
spartanorum principũ factum 161.3
speculum vitiosum 336.3
speculi descriptio 335.37
spertis 500.23
spes honoris 20.35
speusippus 17.31, 212.2, 215.9
sphinx 449.20
spicarum differentia 231.24
spintharus 157.29
spiritus pro anima 113.7
spiritus intra terram concluſi causa 104.4
spiritus descriptio 111.12
spiritus vis ac natura 319.6
spirituum diuinationi inſeruientium vis 672.14
spirituum inæqualium noxia 319.29
spolia 480.37
spoliorum conſecratio 571.34
spondeus 73.12
sponſa in nuptiis cur iubeatur aquam ac ignem tangere 554.15
sponſæ in Bœotia conſuetudo 333.34
sponſaliorum tempus 599.32
sponſionis traductio 379.26
sporades inſulæ 646.9
σπόρ& 599.7
spurium 599.22
spurius 599.10
spurij vnde dicti 599 6
Status popularis præſtantia 362.12
Stellarum errãtium motus 223.23
Stephons 617.35
Sternutationis vſus 150 19
Sthenelus 51.19, 133.36
Sthenis 446.11
Stilpo philoſophus 235.19
Stilponis Megarenſis dictum 9.14
Stirpium cauſa producens 552.14
Stirpium genera 549.29
Stoicorum decretum 109.17
Stoicorum decreta 222.13
Stoicorum dogma 122.8
Stoicorum opiniones 192.5
Stratagema 412.12, 425.36, 444.35, 456.4, 465.27
Stratonica 539.14, 617.32
Struthias 189.2
Studij rectè viuendi cauſa 242.34
ad Studia quomodo adducendi

di pueri 14.25
stupor 416.8
Suadæ & Gratiarum coniunctæ sedes 333.28
de Suauitate vitæ opinio 265. 24
suauium ciborum vsus 309.6
subditorum obedientia erga magistratus 138.10
subditos demerendi ratio 356. 36
Sulpitius Gallus 560.37
ad Superbum responsio 425.13
superbia 51.33
superbiæ excussio 231.31
superbiæ repressio 160.23
superficiei motus 200.10
superstitio 61.30
superstitio animi morbis collata 392.33
superstitio quid 381.18
superstitio vt fugienda 393.1
superstitionis causa & genus 381 25
superstitionis effectus 387.26
superstitionis exitialis exempla 387.27
superstitionis finis 384.13
superstitionis vox 381.8
contra Superstitionem 481.25
superstitiosi vt ferant aduersa 386.11
supplicandi ritus 602.14
susæ 227.1
suspecti vulgo 183.10
susurrorum præcautio 343.4
Sybaritarum in inuitando consuetudo 349.35
Sylla felix 445.2
Synecdoche quid sit 78.32
synecdoches species 78.38
syracusæ 181.8
syria 177.30
syria dea 390.23
syssition 471.6
syssitia 484.33

T

TAciturnitas 18.10, 126.4
taciturnitas et audacia mulierum 519.20
talasia quid 569.7
talasius in nuptiis cur canatur ibid.
talorum iactus 288.1
tanaquil 571.29
tanaquilis 513.11
tantalus 391.12
tarentum 433.13
tarquinius 597.33
tarquinius Priscus 571.28
tarquinius Superbus 545.6
tartarus 302.27
taruntius 570.16
tauri natura 344.17
taxiles 408.23
Teleclus 423.19, 493.36
telemachus 131.7, 138.27, 140. 24, 146.13, 609.23
telephus 171.8, 245 36
telesilla 516.33
telesippe 408.3
teleutia 510.7
tellis 430.5
tellus 191.37
telluris munera 322.8
temo 608.25
temperantiæ descriptio 260.31
tempus an vetustissimũ 559.25
tempus quid 565.35

temporis ratio 694.31
Tenea fanum apud Tenedios 614.27
tenacitatis & sordium effectus 311.5
L. Terentius 434.23
teres 397.6
teribazus 387.15
terminus vitæ cur ignotus 277.20
termino Deo cur nullum animal immoletur 561 3
terpander 504.26
terra in limum elementum 99.15
terræ facultates 671.19
terræ forma ac situs 99.16
terræmotus 104.4
terræmotus consequentia 104.26
terræmotuum causa 104.8
terræ situs 100.24
testimonium falsum 614.30
tetrachordorum dispositiones 689.16
τετράφαρμος 74.28
Thais 32.35
thalamus coniugalis qualis esse debeat 345.2
thales 347.19
θαλπωρὴ cursores dicta 116.5
thamus 645.17
thapÿ prædones 139.26
theactamenes 487.3
theagenes 346.25, 611.5
theagenes Thebanus 541.13
theano 340.22, 346.23
thearidas 486.10
theba 431.11
thebe Pheræa 535 6
thebæ 68.5, 210.36, 226.37
thebarum mores 20.5
themis 580.27, 649.17
themistheas vates 486.13
themistocles 246.35, 237.5, 414.29
themistoclis dictum 251.19
themistoclis & Aristidis inimicitia 416.35
theramenes 274.4
therſites 31.5,34, 51.6, & 14, 95.5, 151.17
therycion 486.36
theo 31 14.
theocritus sophista 18.24.
theocriti mors 19.6
theodorus 31.28, 452.26
θεοσεβὴς qui 116.27
theologorum Delphicorum error 642.36
theophrastus 227.8, 328.17, 329.3
theopompus 423.23, 486.19
theoremata quid 98.18
theseus 49.19, 258.30, 287.20
thesmophoriorũ celebratio 616.1
thespreti 139 25
thessali cuiusdã responsum 4.12
thetis 29 16, 58.14, 70.15
thiasi quid 621.6
thoas 616.7
θοάσειν 40 4
thracia 181.22
thrasybulus 349.20, 422.15
thrasymedes Heræensis 678 34
thressa 627 4
thyades 524.13
thyadum princeps 608.10
Tiberis fluuius 514.2

Tiberius 258.22, 453.17
tiberius Cæsar 194.33, 330.31
tibicinum ritus 579.27
tibur 579.33
tigranes 445.18
tigris natura 344.19
tigridum natura 385.4
timagenes 208.31
timesiæ oraculum 258.15
timidi cervis adsimilati 116.30
timiditas 56.22
timiditatis argumentũ 209.20
timiditatis expressio 96.20
timoclea 346.25, 513.13
timocleia 541.12
timocrates 458.16
timomachus 31.12
timotheus 38.19, 313.24, 390.1, 401.25, 418.33, 504.31
tiresias 124.4, 385.9
tiresiæ oraculum 672.21
tisaphernes 181.22, 455.27
titus Imperator 307.28
Tlepolemus 618.12
Tolerantiæ abusus 454.21
toredorix 540.14
Tragœdia quid 26.13
tragœdiæ forma 150.28
tragœdiæ principium 150.26
traiectio literarum 73.24
trasyllus Cynicus 411.4
τρεῖν 73.24
trebonius 444.11
tremoris causa 115 30
tribunatus plebis 589.7
tripos quid 685.20
tripodiscæ 610.26
triticum quomodo nascatur 549.35
triuiæ statuæ 429.37
triumphi mos 589.8
troadum facinus 557.16
troadum mulierum facta 513.36
troia obsessa 70.3
troiani belli spacium 69.34
troianorum & Græcorum differentia 53.27
troilus 289.29, 376.16
trophonius 280.37
tropus quid 76.18
trosobius 649.27
Tubero 437.16
turpitudo coniugalis 335.30
turrium interdicta expugnatio 488.10
tutelaris Deus qualis 581.24
Tymotele 546.10
tyndareus 146.14
tynnichus 498.30
typhonicorum & Titanicorum fabula 649.18
typhonum sacrificia 392.22
tyrannicidium 529.35
tyrannidis causa 311.14
tyrannidis indicia 234.34
tyrannidis singulare exemplum 534.25
tyrannorum dona 400.8
tyrannorum metus 383.20
tyrrhenarum historia 519.23
tyrtæus 500.18
tyrtæus poëta 491.18

V

VAlerius Poplicola 575.12
Valerius Soranus 581.27
valeria 524.26
validissimum quid 360.16
vaniloquentia 454.24

vanitas interrogantis reprehensa 501.14
vaporis effectus 672.10
varietatis commendatio 11.37
vates Græciæ 636.9
vatinius 449.7
vbera bina cur mulieribus 5.9
vehiculorum vsus 580.20
vetentes 579.5
venatores callidi 191.12
veneficiorum euenta 334.21
veneficiorum vis simulata 641.
venenorum differentia 150.2
ventorum causa 105.14
ventorum & pluuiarum differentia 106.18
ventorum natura 105.13
ventorum oppositio 105.30
ventorum ordo 105.18
ventorum principium 148.30
ventris patrocinia 370.3
Venus 322.24
venus intempestiua 312.16
veneris abstinentia 309.37
veneris & Bacchi opus 365.13
veneris vsus 342.21
veneralium ritus 576.2
venustatis commendatio 339.25
verbositas 479.26, 481.8
verecundia 335.12, 344.34
verecundia inepta 308.14
verecundia nimia 170.27
verecundiæ ingeneratio 214.4
verecundiæ nimiæ effectus 172.10
veritas 495.33
veritas an sapientia 359.28
veritas vnde cognoscēda 245.35
veritatis commendatio 175.7
veritatis laus 141.10
veritatis oratio 198.17
veritatis pater 560.6
veritatis studium 19.7
verris filius 448.29
verum Ens 694.20
vestalium impudicarum pœna 595.35
vestitus precios⁹ 424.23
vestitus vilitas 465.9
vestium vsus 265.15
via Flaminia 583.26
vices rerum 270.22
vicinitatis laus 416.2
vicissitudinis causa 277.10
victimæ humanæ 590.20
victoria anceps 45.4
victoria Cadmeia 16.33
victoria concessa 16.31
victoria fraude parta 481.35
victoria sui 456.30
victoria vera 472.10
victorum lingua 244.4
victus tenuis 146.37
victus ratio circunstātiis accommodata 331.31
victus cura præpostera 312.34
victus ratio 307.8, 368.12
victus ratio accuratissima 316.18
victus ratio nimis accurata 327.25
victus ratio moderata 327.2
in Victu erratorum correctio 318.12
vigiliæ & somni vsus 25.19

vini

vini adstringentis natura 147. 31
vini detrimentum 323.37
vini diuersi vsus 147.13
vini intempestiuus vsus 323.2
vini miscendi ratio 322.33
vini vehementis natura 147. 30
vini vis 2.25, 354.17, 669. 31
vini vsus 322.28, 358.25
virgines sine dote 487.2
virginum educatio 486.16
vir bonus 420.27
viri habitu muliebri custodia liberati 520.5
viri imperium 335.19
virorum exitij causa 146.9
virorum quorundam natura 344.21
virilis atque muliebris virtutis similitudo ac discrimen 513. 6
virtus an disci possit 122.14
virtus benevolētiæ iuncta 254. 4
virtus in rebus aduersis 238.3
virtus summa 116.24
virtutis ansa 155.32
virtutis certamen 494.20
virtutis commendatio 119.10, & 32
virtutis descriptio 232.33
virtutis dignitas 252.4
virtutis efficacia 121.21
virtutis elementa 20.35
virtutis & diuitiarum comparatio 120.30
virtutis & vitiorum origo 380. 28
virtutis fons 6.25
virtutis honos 438.18
virtutis obseruandæ ratio 54. 12
virtutis officia 270.13
virtutis parandæ ratio 483. 30
virtutis perfectio 122.18
virtutis præmium 144.17, 418. 15
virtutis principium 122.15
virtutis requisita 2.33
virtutis scientia quæ 122.19
virtutis significatio 43.2
ad Virtutis studium adhortatio 404.12
virtutis sufficiētis exempla 118. 32
virtutis vsus 474.36
virtuti præmium datum 446. 18
virtutem affectanti commodius quid 486.5
de Virtute & vitio sententiæ Homeri 116.18
in Virtute profectus latens 221. 15
de Virtute Stoicorum opinio 117.5
virtutes morales quid 4.17
virtutum differentiæ 513.15
virtutum ordo & dignitas 119
visus causa 260.26
vita beata in quo consistat 65. 36
vita ciuilis & bellica 137.32
vita humana quid 300.27
vita libera 21.14
vita in quo consistat 122.28

vitæ qua nobis ratione attributa 291.7
vita rustica 137.32
vitæ degendæ fons 187.27
vitæ degendæ præcepta 17.3
vitæ delectus 307.5
vitæ descriptio 277.10
vitæ diuersi fines 38.1
vitæ finis 285.35, 384.13
vitæ futuræ descriptio 301.6
vitæ genus mansuetum 240.18
vitæ humanæ conditio 403.5
vitæ humanæ dimidiæ numerus 639.2
vitæ humanæ diuisio 15.18
vitæ humanæ imago 273.22
vita in metu misera 401.13
vitæ longitudo 284.32
vitæ mensura 285.23
vitæ rationes 13.8
vitæ terminus 130.11, 277.16
vitium extremum 116.25
vitia contra inimicos vsurpanda 250.20
vitia latentia vt curanda 331.35
vitia virtutibus admixta 44.16
vitiorum comparatio 160.4
vitiorum cõtagionis causa 182.30
vitiorum in corpore aditus 155.30
vitiorum correctio 232.32
vitiorum diuisio 590.14
vitiorũ genuina correctio 205.17
vitiorum in posti Homeri descriptorum causa 71.35
vitiorum natura & vis 266.10
vitiorum proprium 243.20
vitiorum veris contrariorũ obiectio 195.10
vitiorum vis 265.37
vitiosi nominis fuga 233.29
vitis in Græciam quomodo peruenerit 550.35
vituperationum abusus 205.8
vituperium iniquum 295.16
viuendi genera permiscenda 13.12
viuendi rectè principium 173.8
Vlcus quid 586.5
vlissea exordium 131.19
vlissea materia 71.28
Vlisses 31.14, 34.27, 47.34, 55.23, 61.11, 62.27, 118.34, 122.12, 127.15, 134.5, 136.35, 136.18, 140.37, 141.35, 147.30, 148.37, 149.4, 150.15, 151.19, 153.2, 164.9, 216.36, 219.17, 337.31, 379.23
vlisses somniculosus 48.36
vlisis commendatio 119.15
vlysis laus 108.24
vlisis socij 112.19
vlisis sacellum 623.12
vltio 423.32, 455.12, 472.37, 497.5, 539.1
vltio diuina 542.17
vmbilicus terræ 628.10
vmbilici decidentia 598.25
vnctionis vsus 149.3. 321.20
vnitas 123. 662.35
vnitas sacra 565.36
vnitatis natura 686.20
vniuersi circularis reuolutio 312.

112.22
vniuersi confusionis causa 368.32
vniuersi Deus 657.25
vniuersi distributio Homerica 651.37
vniuersi exordium 99.1
Vniuersi nomen 102.8
vniuersi partes 101.1
vniuersi principium 548.22
Vocabula translata 76.37
vocabulorum ex rebus subiectis significatio 40.8
vocabulorum in Homero nouitas 77.4
vocabulorum vsus 39.13
vociferatio 126.20
vociferationum fuga 319.25
voconius 449.21
voluptas breuis 412.25
voluptas corporis optima 369.25
voluptas iniusta 36.29
voluptatis arbitrium 109.37
voluptatis breuissimæ damnum 313.6
voluptatis commendatio 37.15
voluptatis in amicitia consideratio 184.35
voluptatis studium 37.32
voluptatis veræ impedimenta 312.24
voluptatis vituperatio 37.20
voluptates potentia vtili præditæ 37.38
voluptates veræ & licitæ 312.4
voluptatũ carnis occasio 267.2
voluptatum consectatio & fuga 369.20
voluptatum contemtus 457.18
voluptatum fomes 311.24
voluptatum origo 315.32
voluptatum pernicies 312.17
voluptatum verarum impedimenta 313.10
voluptatibus corporis vt moderandum 310.6
vomitus quando & quomodo admittendus 327.5
vomitus malũ peculiare 326.12
vomitus vsus 326.1
voracitas in aliena domo 311.7
votum 505.25
voti inconstantia 501.32
vox quid sit 319.10
vocis exercitatio vbi faciendæ 320.5
vocis moderatio 320.18
voces liberæ vbi vsurpandæ 211.26
vocum obseruatio 55.37
vocum promiscuarum expressio 96.1
Vrbanitas rei seriæ admixta 19.36
vrbis felicissima quæ 337.10
vrbis condendæ ratio 567.28
vrbium munitio 458.25
vrsa 103.22
Vsus rerum mediocrium 59.32
vsus rerum nõ optimarum 241.15
vsum rerum præcedentia 407.8
vtiliora tempore 549.2
vtilissimum quid 359. 360.12
vtilitatis ex re quauis obseruatio 228.37
vtilius inter duo quid 552.25

vtilius quid 548.27, 550.1
Vulcanus 62.29, 102.2, 137.26, 152,29
Vulcanus claudicans 151.15
vulcani templum 576.31
vulgi iudicium 9.30, 420.5
vulgò placere studentium vita 10.3
vulneratorum differentia 144.25
vulneris curandi ratio 149.15
vulturum natura 24.24, 594.20
vultus placidi vtilitas 210.12
vultus tetrici significatio 450.2
Vxor intempestiua 336.5
vxor pusilla 2.17
vxoris erga maritũ mores 336.22
vxores filiis quæ quærendæ 23.20

X

Xantippus 298.14
Xantippa 248.19
xenocles 460.8
xenocrates 172.27, 215.10, 328.16, 339.24, 409.6, 474.32, 640.11
xenocratis præceptum 155.35
xenocrita 544.30, 545.18
xenophanes Colophonius 398.24
xenophanes physicus 392.29
xenophon 19.26
xenophon Socraticus 298.31
xerxes 395.10, 415.1, 547.20

Z

Zacynthus 435.26
Zepœtus rex 623.31
Zeleia 521.3
Zeno 59.10, 227.8, 241.35
zenon 234.22
Zenon Citiensis 412.18
Zephyria 157.3
Zeuxidamus 475.36
Zeuxis 255.31, 512.33
Zoilus sacerdos 618.31
Zonæ quot 664.30
Zopyrus 394.31
zoroastres 637.25

FINIS.

AVTHORVM QVI IN HAC PRIMA PARTE NOMINATIM CITANTVR, CATALOGUS ALPHABETICUS.

Aeschines 158.3, 299.17
Aeschylus 29.14, 57.26, 64.6, 130.4, 232.8, 239.33, 262.6, 276.12, 295.6, 417.3, 594.35, 606.36, 642.31, 648.15, 671.36
Aesopus 228.4
Alcinous 139.14
Alexander 599 29
Alexis 37.31, 647.31
Anaxagoras 263.1
Anaxandridas 606.29
Antimachus 574.37
Antimachus poeta 276.1
Antipater 68.30
Antistius Labeo 576.15
Apollodorus 621.20
Aratus 103.33 130.24,
Archilochus 40.24, 129.8, 168.2, 358.35, 506.1, 684.2
Architas Amphissensis 610.8
Architimus 619.14
Aristarchus 71.13, 137.8
Aristo 25.2
Aristophanes 17.20, 54.1, 214.30
Aristoteles 58.10, 67.3, 109.36, 113.20, 116.26, 123.37. 227.4, 292.12, 325.28, 532.31, 549.24, 557.14, 598.36, 605.21, 609.22, 611.24, 654.25, 665.5, 672.10, 689 29
Arteius 577.24

B

Bacchylis 64.21
Biantis sententiæ 63.29

C

Callisthenes 606.29
Castor 559.31, 587.4
Cato 577.14
Charo Lampsacenus 533.10
Chilonis præcepta 63.29
Chrysippus 645.3, 657.4
Cicero 570.11
Cleo Halicarnassensis 461.20
Clitomachus 441.25
Cluuius Rufus 600.22
Crantor 272.20, 290.27, 292.8
Crantor Academicus 269.15
Crates 71.17

D

Democritus 16.24, 317.2
Demetrius Phalereus 272.8

Demosthenes 91.36, 130. 10, 211.15, 244.8, 265. 8
Diocles 620.29
Diogenes 161.24
Dionysius Thrax 71.10

E

Empedocles 28.5, 101. 4. 200.28, 252.31, 256. 13, 262.9, 392.9, 598.18, 643.34, 670.17
Ephorus Cumæus 66.22
Epicharmus 280.36
Eupolis 184.7
Euripides 40.35, 44.10, 31.1, 60.31, 64 24, 128. 32, 129.23, 168.4, 171.8, 176. 25, 198.18, 209. 33, 214. 1, 218.10, 238. 12, 257.24, 268.30, 272. 3, 278.6, 283.2, 283.16, 287. 20, 293.20, 295.9, 300. 25, 322.24, 342.14, 512. 28, 592.34, 640.24, 666. 30, 669.6.35, 673.35, 690. 23, 697.9

F

Fauorinus 568.8
Fenestella 574.30

H

Heracletus 276.31, 687. 20
Heraclides 25.2
Herodotus 154.27, 335.11, 517.24, 594.25, 641.33, 675.23
Hesiodus 41.30, 60.29, 250.35, 264.33, 274.30, 314.16, 361.6, 365.31, 367. 24.36, 388.20, 548.17, 574.37, 634.4, 637.34, 638.11, 639.6, 641.21, 667. 6.34, 671.19
Hieronymus 173.21
Hippocrates 248.4, 314. 20, 604.7
Hippys Reginus 651.26
Homerus 18.30, 29.2.7, 32. 27, 33.5, 34.6, 44.4.26, 62.32, 99.4, 101.9, 254. 10, 273.6, 274 11, 278. 27, 291.16, 296.5, 297. 8, 302.19, 305.3, 312.28, 325.19, 342.22, 345.25, 357.1, 361 1, 366.1.12, 371. 33, 379.19.33, 388.22, 582. 1.17, 629.22, 637.31, 651. 26, 658.23, 676.9, 685. 13, 690.17

I

Ion 288.20, 294.23
Ister Alexandrinus 622. 27
Iuba 555.36, 564.18, 581. 11, 588.22, 593.10

L

Iulius 565.7
Lysias 91.36

M

Menander 32.35, 37.11, 44.7, 61.6, 193.3, 270.32, 300.10, 324.15
Mnasigeto 611.27
Myrtis Anthedonia poe tria 620.19

N

Nicander 28.6
Nigidius 563.31
Nymphis 522.3

Parme-

P

PArmenides 28.5, 168.3
Phanias Eresſius 651.26
Philemon 63.4
Philoxenus poeta 24.29
Phocylides 168.3, 172.34
Pindarus 277.36, 209.16, 244.3, 250.22, 272.2.14, 280.37, 294. 301.12, 384, 37, 385.37, 494.37, 548.13, 634.25, 638.27, 697.7
Plato 5.32, 14.2, 26.26, 52.22, 64.19, 109.36, 113. 20, 137.21, 160.1, 167.25, 174.22, 175.7, 178.4, 179, 22, 181.2.8.11, 188.4, 213. 18, 214.4, 227.21, 234.30, 237.35, 247.17, 248.1, 252.5, 261.27, 262.12, 266. 30, 279.11.26, 280.10, 287.34, 302.7, 310.10, 317.26, 332.19, 337.9, 339.24, 384.31, 554.2, 570. 8, 637.19, 639.4, 641.4, 645.2, 650.8, 652.4, 659. 16, 660.15. 662.7, 665. 7, 675.6, 676.14, 684. 15, 689.26
Platonis decreta 63.28
Polybius 540.7
Protagoras 298.15
Pyrrho Lyparæus 588.29
Pythagoras 21.2, 112.6, 128. 28, 129.3, 257.36, 295.3
Pythagoræ decreta 63.28

S

SAppho 346.29
Simonides 175.23, 203. 22, 237.22, 250.19, 277. 25, 285.17, 310.28
Socrates 27.34
Solon 226.30, 252.6
Sophocles 37.4, 41.1, 49. 13, 59.11, 130.17, 168.4, 173.17, 182.25, 219.17, 236. 33, 245.24, 261.11, 278.3, 339.7, 343.25, 448.15, 585. 7, 637.1, 642.34, 697. 18
Steſichorus 697.13

T

THales Mileſius 99.2
Themanus 301.2
Themiſtocles 565.9
Theocritus 130.22
Theodorus Solenſis 659.23
Theognis 28.7, 38.24, 258. 17
Theophraſtus 109.36, 272. 36, 401.33, 605.33, 621.20
Theſpys 64.15
Thucydides 91.36, 187.29, 214.37, 217.17, 229.15, 258.33, 512,8
Timotheus 57.23
Timoxenes 345.8

V

VArro 554.33, 555.36, 556. 6, 560.31, 567.20, 593. 27, 598.12, 599.33

X

XEnocrates 645.3
Xenophanes 99.6
Xenophon 159.25, 186. 24, 240.32, 241.11, 219. 10, 460.37

FINIS.

Thrasymachus.
Thrasylus Fortilius.
Timæus.
Timocrates.
Timon.
Timotheus.
Tryphon.
Tullius Cicero.
Turnebus.
Tyrannio.

BASILEAE, EX OFFICINA THOMAE GVARINI, ANNO SALVTIS HVmanæ M. D. LXXII. Mense Augusto.


PALMA GVAR